$ 850
543

116/52/2

IOS. IVSTI

SCALIGERI

IVLII CÆSARIS

A BVRDEN EILII

OPVSCVLA

VARIA ANTE HAC NON EDITA:

Nunc vero multis partibus aucta.

b. e. Confutatione fab. Burdoniæ, & opusculis pluribus, q̃ in editione Parisiens: desiderantur.

FRANCOFVRTI
Apud IACOBVM FISCHERVM,
ANNO M. DC. XII.

AD NOBILISS. AMPLISSIMVMQ. VIRVM

IAC. AVGVSTVM THVANVM

REGIVM IN SANCTIORE CONSISTORIO consiliarium, & in amplissima Regni Curia Præsidem,

ISAACI CAVSABONI IN VARIA OPVSCVLA IOSEPHI SCALIGERI PRÆFATIO.

ABSOLVTA est tandem, Præses amplissime, variorum editio opusculorum Musageta quondam nostri, Iosephi Scaligeri, tuo cum primis hortatu atq; impulsu, ante annum ferme ipsum & susceptа & incoata. Quæ editio, quum vno atque altero ab hinc mense à typographo ad vmbilicum esset perducta; neq; illius publicationem quicquam aliud tam moraretur, nisi vt, quemadmodum initio fueram pollicitus, de proposito auctoris quando ista exarabat, & nostro edentium consilio, scitu necessaria quædam in operis vestibulo exponerem; ea repente calamitas interuenit, Sole Gallarum ex inopinato occumbente; qua omnes γνησίους Gallos in mœrorem nulla dicendi copia enarrabilem, & luctum ἀπαρηγόρητον coniecit: mihi vero non solum de manibus calamum excussit, & studiorum meorum tenorem protinus ab-

rupit; sed & mentem malo externatam confudit, vitamque adeo ipsam acerbam mihi reddidit atq; ingratam. Meritissime id quidem: nam si toto hoc amplissimo regno nemo vnus est repertus, vel mediocri saltē pietatis humanitatisue sensu, & ciuilis officii intelligentia praeditus; qui nuperi parricidii nuntium sine lamentabili comploratione acciperet: si finitimi omnes populi, si multi etiam longis terrarū spatiis diuisi; si omnes tota Europa Principes, tanto casu, non secus ac fulminis repentini ictu, stupefacti ingemuerunt, & doloris ingentis sui significationem dederunt: quid nobis animi esse debet, quibus Regis incomparabilis augustissimam maiestatem pari humanitate conditam, mentem diuinam, cœleste ingenium, & alias animi corporisque dotes sine exemplo maximas propius nosse ac venerari, numinis immortali beneficio contigit? qui bonitatem ipsius, liberalitatem, & in suos indulgentiam, non ex aliorum sermonibus, sed propria tot annorum experientia notam habemus? qui semper a Deo non fictis votis, verum affectus synceri precibus petere soliti fuimus; vt vel de nostris annis illi vellet augere? Sed vt priuatas doloris mei caussas omittam, impium in patriam & Gallici nominis hostem esse iuratissimū oportet, quem publice acceptum damnum in vnius illius sacri capitis amissione, non commoueat, non squallore luctuque afficiat. Amisimus enim, amisimus, & quidem teterrimo parricidio, heu seculi infamiam! amisimus inquam Christianissimum Regem nostrum Henricvm magnvm, *Principem Principum Europae decus, Patrem patriae, bello inuictissimum, pacis amantissimum: prorsus ad Home-*

Homericam perfecti Regis ideam, Ἀμφότερον, βασιλῆ' ἄγαθὸν, κρατερόν τ' αἰχμητήν; scientia belli, vel Iulio Cæsari parem; arte & peritia regendæ Reipublicæ, vel Augusto: clementia facilitateq; ignoscendi & felicitate perficiendi destinata, omnibus omnium seculorum Principibus aut parem, aut superiorem. Et potuit tamen inueniri, qui talem tantumque Principem, in quo salus communis nitebatur, in quo tranquillitatis & quietis in Europa spes prudentibus præcipue vertebatur, violare scelestius sustineret? potuit inueniri, qui omnia diuina humanaque iura exitiabilis sceleris noua & inaudita immanitate polluens, nefario se patriæ parricidio obstringeret? potuit vnius (si tamen vnius) perditissimi Alastoris mens peruersa tantum, tam inexpiabile ἄγος concipere: nec solum mens concipere, sed etiam pro dolor! horresco referens; manus consceleratæ exsequi? o prodigium, non hominem! o furiam! Cuius vitæ Marsipse, poetis ἀλλοπρόσαλλος & inconstans dictus, in belli campo, vbi ferro cernebatur, constãtissime semper pepercerat; huic illa Erinnys in alta pace non pepercit: & cui tot centena hominum millia vitam debebant, pro quo integri exercitus, vrbes integræ, populi Galliarum vniuersi mortem alacri animo oppetiissent, is manu vilissimi bipedum & deploratissimi vitam amisit. Illud os augustum, illud sacrum caput, per tot bella, tot conspirationes, tot insidias frustra appetitum, vnius prope dii perfidia atque audacia lucis vsura cassum iacet. Ille magnus bellator, ille magnanimus victor, ille hostium suorum triumphator, inter tubarum clangores, perdentium ac pereuntium clamores, telorum

& gladiorum fragores, terrificos tormentorum boatus, semper impauidus, semper securus & tutus; in media ciuitate fidelissima, amantissima, in publica omnium lætitia, inter gratulantium voces, clandestina vnius molitione, spiritu priuatus, & mortalium oculis est ereptus, nescio an aliquid simile visuris. Deum immortalem, ἐξ οἵου εἰς οἷα! quod gaudium quanto mœrore est mutatum! In hanc cogitationem defixo mihi, subiit interdum, veterem magni viri querelam vsurpare, ὦ Τλῆμον Ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθα, ἔργον δ' οὐκ ἔσχες· quid enim profuit optimo Principum funditus euersam patriã seruasse, vt esset qui ipsum perderet? Sed non ita est: nam vt de præmiis apud Deum repositis nihil nunc dicam; vitam quidem istam caducam, quæ vsu non mancupio mortalibus possidetur, quamque paullo post Rex, etiam si nulla vis esset adhibita, fuit posiurus; parricida Tartareus potuit illi eripere: at gloriam virtute rebusque gestis partam, per quam magni viri fiunt immortales, adeo non ademit, ac ne imminuit quidem, vt cumulatiorem certe illustriorem reddiderit. Hic enim tantus omnium gentium & nationum in illius obitu deplorando cõsensus, quid aliud fuit, nisi grauissimum testimonium, nõ gratia aut metu, sed iudicio expressum, eius opinionis quam vniuersus pene dixerim Orbis terrarũ de virtute ipsius admirabili habuit? Iam subditorũ amor, quo nihil magno Principi gloriosius, in morte Regis stupendus & vix credendus apparuit. Quod in nullius vnquam Principis funere legimus accidisse, id vidimus in hac regia ciuitate euenisse, de aliis per prouincias vrbibus certa fama accepimus. Simulac de Rege palam factum est, non

solum omnis sexus, ætas, conditio, dignitas, parenti communi planctu, lamentis & pio quodam furore in Stygium parricidam parentauit: verum etiam, ceu tonitru cuiusdam fragore subito ac vehemente edito, alii repente concidere, alii statim exanimari, vel in morbos incidere, quibus mox sunt exstincti: quidam stupere viui, qui vix tandem, aut ne vix quidē ad se redierūt. Quid multa? populi per vniuersam Galliā in huius morte vocē illam mirifici affectus, mutato nomine repetere sunt auditi, qua olim ante tot secula, ipsius progenitorē Robertum Regem sapientissimum Hugonis Capeti F. mortuum, (ita veteres auctores scribunt) fuerant prosecuti. HENRICO IMPERANTE ET REGENTE SECVRI VIXIMVS, NEMINEM TIMVIMVS; PATRI PIO, PATRI SENATVS, PATRI OMNIVM BONORVM, FELIX ANIMÆ SALVS, FELIX AD SVPERNA ADSCENSVS, FELIX CVM CHRISTO REGE REGVM PERSÆCVLA COHABITATIO. *Qui sic desideratur amissus, hunc viuum fuisse amorem & delicias suorum, quis non intelligit? Viuit igitur Henricus Magnus, optimus Rex noster, inanimis & grata recordatione suorum subditorum, quam nulla vnquā obliuio obscurabit. Viuit, aternumque viuet semper florens, semper recens illius ingens gloria, in memoria hominum & seculi huius & omnium post futurorum; qui præclara ipsius facta, in tuis, præstantissime Thuane Historiis incertum fide an facundia maiore descripta, magno cum stupore sunt lecturi. Nemo itaque optimum Regem, quasi male cum ipso esset actum lugeat: qui & in cœlis nunc, vti speramus, alterius vitæ gaudia delibans, meliore sui parte beatus viuit*

& in terris quoque licet Orbi Christiano & Gallorum Reip. ac suis paruum; sibi tamen & gloriæ suæ satis vixit. Non enim annorum numero nec spatio ætatis præstantium virorum & Principũ vita terminanda; sed laude, fama & perpetuæ posteritatis immortalitate. Quin potius Christianorum Principum deplorandam hodie conditionem miseremur. Nam cuius illorum erit iam vita secura? post quam vtique in tempora viui peruenimus eiusmodi monstrorum feracia, quæ cædem Regum, & quidem Regum Christianissimorum, in parte pietatis exquisitissimæ & Deo, per quem regnant Reges, acceptissimæ, sibi persuadent esse ponendam. Fuit videlicet illud olim tempus, cum omnes sine exceptione Christiani, non propter pœnæ metum, sed propter conscientiam, Principibus etiam malis, etiam paganis, aut hæreticis & impiis, atque adeo Ecclesiæ Dei hostibus, parendum esse credebant: cum Reges, quorum nomen apud omnes gentes, etiam melioris cultus rudes, aut feras, & Deum nescientes, semper fuit sanctissimum, eo fidelius a cunctis Christianis colebantur, quo verior & melior gentium superstitionibus religio est Christiana: cum dominantium vnica, secundum pietatem, Reipub. basis & firmissimum esse fundamentum, inconcussa & ἀμεταπτώτῳ fide cuncti doctrinam Christi profitentes habebant persuasissimum. Quondam igitur, cum Nerones, Domitiani, Seueri, Decii, Gallieni, Diocletiani; at quæ bone Deus pestes humani generis! in Ecclesiæ greges quæsitissimis supplicijs sæuiendo, Orbem terrarum sanguine piorum inundarent, martyribus cœlos complerent, Christianorum reperius nemo, qui verbo,

nedum

nedum re aut ferro, Imperatorem sisum lædere saltem cogitaret. Nunc quam sit temporum ratio mutata, duorum Regum, (ne alios commemorem,) & re & nomine Christianissimorum, simili fere cæde peremtorum, funestissima & tristissima docent exempla. Sed nihil agunt Deo atque hominibus exosi parricidæ: nescit enim mori Christianissimus Rex Francorum, quem lex Regni perpetua atq; sanctissima facit immortalem. Regnum quoq; ipsum commoueri, concuti, impelli ad ruinam potest: sed ea demum lege, vt per hanc agitationem firmius in sua sede stabiliatur. Quis non putabat exstincto Henrico III. vna cum Rege dominationis regiæ formam, & vniuersum hoc imperium a fundamentis esse conuulsum, nunquam postea instaurandum? At vidimus ipsi postea auspiciis, ductu, atque virtute Henrici IV. Regis prudentissimi, præter omnem spem omnia in integrum restituta: vidimus regnum quod putabatur nullum futurum, velut deposito senio ætati meliori redditum: vidimus leges patrias, quæ æternum sopitæ credebantur, vires paulatim recipere, ac tandem robur suũ obtinere: vidimus denique, vbi ad concordiam mentes hominum sunt reuocatæ, otii & publicæ tranquillitatis amorem tam altas regnante optimo Rege nostro in omnium animis radices agere, vt ne illo quidem sublato, quicquã sit turbatum. Quis credidisset tantam in regno mutationem sine vlla ipsius mutatione, atque adeo sine vllo plane strepitu, nisi quem lamentantes edebant, posse contingere? Sed affuit nimirum, amplissime Thuane, huius potentissimi regni auctor & conseruator DEVS OPT. MAX. *affuit oportuno tempor*

salutaris illius dextera, & porro semper, vt confidimus, aderit. Ille regnum & regiam domũ, qua salua salui sumus, qua inclinata salutem neque speramus neque optamus, pro sua infinita benignitate, & beneuolentia in hanc gentẽ, tot insignibus argumentis declarata, tutã præstabit. Ille Christianissimũ Regem nostrum LVDOVICVM XIII, *& gloriosissimam Reginam* MARIAM *Filii imperiũ singulari prudentia nunc administrantẽ, cœlesti Angelorum suorũ præsidio teget, ac Spiritu suo ἡ γεμονικῷ consilia ipsorum reget. Hoc optamus, hoc speramus, hoc dies noctesque a Domino nostro Iesu Christo postulamus atq; contendimus. Maneat adamante fixa hæc Principum, & regni Procerum cum Ordine amplissimo sanctissima concordia: quæ in ipso articulo temporis necessarii, instinctu quodam repentino sancita, haut sine numine profecto; inter pulcerrima fidei & prudentissimæ sollertiæ exempla, cum æterna ipsorũ, & vniuersi Gallici nominis gloria atq; admiratione audientiũ, olim memorabitur. Vides, amplissime Thuane, quo me vis doloris abripuerit transuersum. neque enim hic locus erat harũ lacrymarum: at loci tẽporisue rationẽ habere, aut modũ tenere, non est illius, qui ὅλος ἐν τῆς ἀνίας; quod mihi nunc accidit. Sed redeo tandẽ ad propositum. Vt igitur dicere inceperam, absoluta est variorum Iosephi Scaligeri opusculorum editio, te potissimũ auctore, me autẽ impulsore, heic suscepta. Erat sane optandũ, vt qui ista scripsit, idem recensuisset atq; publicasset. Id vero quum ego multis epistolis ab illo petiissem; quarũ vna, vt esset impetrabilioris efficaciæ, publice eum compellabã; non aliud nisi hoc responsum tuli: multa se huiusmodi rogatu*

gatu

gatu amicorum scripsisse, quorum exemplū nullum seruare esset solitus. Postquam ergo semel illae potestate sua exissent, desinere se, in rerum suarū censu ea habere; eorumq; edendi aut non edendi; plenum arbitriū amicis permittere: sibi, vtrum utrū fecissent, perinde futurum. Afferebat etiam interdum excusationem aequissimā; quod partim grauioribus studiis & scriptis seriis (nam haec & similia his inter remissiones & oblectamenta sua ponebat) occupatus; partim curis aliis & assidua epistolarum scriptione impeditus, tempore ad ista recognoscenda necessario destitueretur. Et omnino ita se res habebat. Nam quod amici & familiares ipsius norunt, is erat Scaliger, qui stupenda felicitate ingenii & assidua intentione studii, quum esset assecutus, vt ingentes rarae doctrinae opes in ex promta sua memoria, velut in sanctiore quodam aerario haberet reconditas: vt quaque sese occasio subita offerebat, siue in communibus colloquiis, siue ad quaesita ab amicis per literas responderes, liberali manu quicquid magno sudore quaesierat, promeret. Atque hoc tanta facilitate & promtitudine vt qui persaepe amicos ea doceret, quae discere ab alio quam ab ipso non poterāt; beneficium tamen accipere non conferre sibi videretur. Non enim pluuias, vt aiebat Pindarus, aquas colligebat; sed vno gurgite κρουνὸν aut ποταμὸν potius πηγάζων, exundabat. Nihil est quod discere quisquā vellet, quod ille docere nō posset: nihil legerat, (quid autem ille non legerat?) quod non statim meminisset: nihil tam obscurum aut abditum in vllo vetere scriptore Graeco, Latino vel Hebraeo, de quo interrogatus non statim responderet. Historias omnium

populorum, omnium ætatum, successiones imperiorum, res Ecclesiæ veteris in numerato habebat: animalium, plantarum, metallorum, omniumq; rerum naturalium proprietates, differentias, & appellationes, qua veteres, qua recentes tenebat accurate. Locorum situs, prouinciarũ fineis, & varias pro temporibus illarum diuisiones ad vnguem callebat. nullam disciplinarum scientiarumue grauiorum relilquerat intactam. linguas tã multas tam exacte sciebat, vt vel si hoc vnum per totum vitæ spatium egisset, digna res miraculo potuerit videri. Omitto mathematica ipsius studia, & nobilissimam temporum disciplinam. qua in parte, vt non assecutus sit semper, quod quærebat; ea certe præstitit, quæ iustam admirationem doctis æstimatoribus non possint non exprimere. Quod equidem eo confidentius dico, quia scio Franciscum Vietam, subtilitate & inuentionum acumine mathematicorum nostri seculi facile principem, non aliud indicasse. ad quem aliquando quum venissemus ego & amicus quidam meus, vir optimus & eruditissimus, esset q; de Scaligeri id genus scriptis ortus sermo; postquam exposuisset Vieta quid in iis desideraret; hoc ad extremum suo candore dignissimum elogium adiecit: Quicquid huius sit, inquit, tanta me illius portentosissimi ingenii incessit admiratio, vt auctores rerum mathematicarum, eræsertim Græcos, solum Scaligerum perfecte putem intelligere. Addidit etiam tunc idem: Pluris se Scaligerum vel errantem facere, quam multos κατορθοῦντας. Quum autem non vnius Vietæ, sed omnium quos Iupiter æquus amabat, ea semper fuerit de summi huius viri præstantia opinio consen-

tiens:

ens: ea ex re illud euenit, vt docti homines, & qui familiariter cum ipso viuebant, & qui vbiuis Europæ degebant, suas ad ipsum dubitationes referrent, & quod alibi dicebamus, ceu μάντιν ἀτρεκέστατον, Tripodem illius consulentes, responsa inde peterent. Equidem non verear affirmare, si omnia in vnum colligerentur, quæ Scaliger in amicorum gratiam scripsit, aut ab iisdem consultus respondit: ingens aliquod volumen posse componi. Sed omnia colligere, quæ tot locis diuersis habentur, & ab hominibus Gallis, Germanis, Anglis, Belgis, aliarum nationum, inter pretiosissima cimelia seruantur, hoc vero non vnius est hominis. Exsistet fortasse olim aliquis, qui curæ habiturus sit hanc curam. Nos interim quæ potuerunt in his locis inueniri, nunc damus, & ad simile inceptum, fidei ac diligētiæ exemplum aliis præbemus. diligentiæ, quia ad omnia inuestiganda hoc libro comprehensa, non mediocri aut segni opus fuit inquisitione: fidei, quia nihil quicquam huc admissum, de quo non certò liqueret, γνήσιον εἶναι & παλαιὸν τὸ παιδίον. quin pleraque omnia ex auctoris manu sua curate descripsit Puteanus tuus, C.L.F. cuius amor in literas & cultus erga hunc heroem dum vixit, nunc erga mortui memoriam, hoc quidquid est operis nescio vnde ex abdito nobis parauit & concinnauit. Pleraq; enim istorum edita ante hunc diem non fuerunt; quædam ante publicata, nunc illius studio pleniora & emendatiora prodeunt. Constat nobis, nihil istis esse admixtum, quod aut Scaligeri non esset, aut quod si reuiuiscat idem, publicatum fuisse moleste sit laturus. Summa enim cautio adhibita, ne alterutro genere peccaretur; quod

a sordidis typographis, aut inuerecundis literarũ institoribus in magnorum virorum scriptis passim fieri videmus & dolemus. Ne de aliis dicam, in vnius Iacobi Cuiacii, Iurisconsultorum huius ætatis nominatissimi, monumentis, vtrumq; est admissum: nam & multa illius sunt edita, quæ edi vetuerat: & quædã sub eius nomine sunt publicata, de quibus ille οὐδὲν ἐν ὀνείρῳ vnquam cogitauit. Eiusmodi est illa Græcarum epistolarum Latina interpretatio; quã inaudita mẽtiendi & falsa fingendi licẽtia Cuiacio quidam adscripserunt, & sub tã illustri nomine obscuri cuiusdam & mediocriter docti Germani versionem publicarunt; quũ V.C L. *Franciscus Pithœus, a quo illi habuerunt, eã sæpe mihi in bibliotheca sua ostenderit, & Basileæ nescio quo casu sibi repertã dixerit. Porro etsi non multum fortasse interest, quo ordine opuscula hæc sint edita; possunt tamen vtiliter & hæc & quæcunque alia his similia restant edẽda, ad quatuor veluti classes referri: ita vt prima animaduersiones contineat in scriptores antiquos: secunda, diatribas philologicas, & de rebus variis dissertationes: tertia poemata quæ vel fecit auctor, vel e Græcis vertit: quarta, epistolas. Ad primum ordinem in hac editione, pertinent Notæ in Plinium, in Cæsarem, in Senecam Tragœdum, & eum quem falso ac ridicule Asinium Cornelium Gallum dixerunt. Notis in Plinium præbuit occasionem Melchioris Guillandini verbosissimus in capita de papyro Commentarius Hic Guillandinus, me adolescẽte in magna fuit apud plerosq; literatorũ exquisitæ cuiusdam doctrinæ opinione & fama: idque vel eo maxime, quod per Ægyptum & Asiam dicebatur peregrinatus. Nam*

quia

quia oculi creduntur esse μάρτυρες ἀξιοπιστότατοι, plerũq; fieri videas, vt plurimum fidei iis habeatur, qui plurimum per remotas terras erraruni; si modo aliquam doctrinæ speciem præseferant. Exemplo sit Andreas Thuetus, homo nullarum literarũ, nullius doctrinæ, nullius iudicii, denicq; ne cõmunis quidem sensus satis particeps: qui per varias Orbis vtriusque partes circumlatus, ac deinde historias scribere aggressus, multis etiam eruditis viris imposuit: eratq; adeo verendum, ne apud posteros quoque lousissimus futilissimusq; scriptor & nomen & locum honestum obtineret: nisi tu, doctissime Thuane, quituum est insignis amor veritatis & flagrans bene de literis merendi cupiditas, hominis tibi noti vanitatẽ detegendo, & sui erroris eruditos admonendo, veri patrocinium hac etiã in parte vltro isses susceptum. Longe altius vir fuit Guillandinus; qui præter medicæ artis & præsertim botanicæ peritiã non vulgarem, ne meliorum quidẽ literarum notitia caruit. Iccirco, vbi primum prodiit illius in locũ Plinii de papyro, planta Ægyptiaca, Commentarius; ea secuta est doctorum approbatio, vt celebris nominis vir Dalecãpius, in eundẽ locum Plinii postea scribẽs, Guillandinum, propter istud scriptum maxime, mira laudatione afficeret: alii vero qui de charta & toto illo argumẽto scripserunt, id demum apud Plinium probarit, quod Melchiori esset probatum. Adeo fit sæpe in literis, vt pro aureis vulgo habeantur, quæ χολοσαφινα tãtum sunt & felle lita. Nam serio docti & iudicio instructi ecquod recondita eruditionis indicium in tã prolixo Cõmentario potuerũt deprehẽdere, equidẽ fateor me ignorare. nulla enim ippe rei qua de agebatur singularis

notitia, & frustra calcata Ægyptus; nulla vetustatis solida cognitio; auctorum Latinorum intelligentia mediocris; Græcorum ne mediocris quidẽ. quippe in Græca lingua totum se de Lexico suo pependisse, neque ipse diffitetur, & res clamat ipsa. Adde leuitatem iudiciorum; vt cum multa corrigit integerrima: cum auctores, præsertim veteres, temere & sine vlla ratione reprehendit. Vt cum exempli gratia Suetonius dat illi pœnas, quod chartam plumbeam dixerit: quum nos id alibi non solum ἀναλόγως, sed etiam elegantissime dictum esse probauerimus, & Lysimachũ vetustissimum scriptorem laudauerimus, qui multo ante Suetonium μολυβδίνας χάρτας dixerat: Guillandinum vero non puduit docere Romanum hominem, & quidem adeo doctum & castigatum, Romane loqui, & iubere vt potius diceret, plumbeam papyrum; quod est ineptissimum. Omitto plane desultoriam scriptionem; in qua auctor prorsus, quod aiebat philosophus, τοῖς ἔξωθεν λόγοις ἀναπεπλήρωκε τὸν λόγον. Merito igitur Iosepho Scaligero dolui, Guillandinum, qui tam male Plinium acceperat, tanto cum plausu passim ab omnibus accipi. Atque hoc suum iudicium iam olim scribens in Festum, quum paucis verbis indicasset; vt rationes quibus mouebatur scripto breui complecteretur, postea ab ipso impetrauit vir clarissimus atque integerrimus Senator, Claudius Puteanus; cuius mores & doctrinã ita Scaliger probauit, vt & cõiunctissime cum illo semper vixerit, & omnia sua studia familiarissime communicauerit. Illi viro doctissimo, quem suorum sibi scriptorum Aristarchũ fuisse, ipse Scaliger scribit, debetur hæc eruditissima

contra

contra Guilandinum disputatio. Notæ in Cæsarem Notitiæ Galliarum, velut auctarii iure accesserunt, de qua dicemus paullo post. Certum est editionem Iulii Cæsaris sæpe illum cogitasse: nam etiam in scriptis suis nõ semel eius spem facit, & desiderium commouet. Sed incerta & semper vaga ipsius vita, priusquã in Hollandiam concederet, & Cæsaris & Plauti, & aliorum plurium veterum auctorum editiones, de quibus serio cogitauerat, nobis inuidit. Produit tamen ante paucos annos Lugduno Batauorum Cæsaris editio quam scimus, licet frons libri dissimulet, pumice critico magni illius Censoris fuisse expolitam. De Notis in Senecam tragicum nuper scribebat Daniel Heinsius, arte & ingenio vir excellens, & omnium doctorum gratiam vel eo meritus nomine, quod Iosepho Scaligero, quẽ parentis loco viuum coluerat; postquam est fato functus, omnia pii filii officia abunde præstitit; in bibliotheca τοῦ μακαρίτου eas sibi esse inuentas. Solebat hic literarum parens relaxandi animi gratia, & sicut olim de Origene & alumnis eius disciplinæ est dictum, ἐν καιροῖς ἀνέσεως φιλολογεῖν καὶ ἀκριβοῦν τὰ ἀντίγραφα. ita illi nata hæc opella est, multã continens tam illustri ingenio dignissima. Apparet autem, typographi alicuius rogatu, qui illarum Tragœdiarum editionem parabat, has Notas fuisse exaratas. Puteanus vero noster, quum exemplar illarum deprauatissimum & longe corruptissimum fuisset nactus, Iosias Mercerus I. F. Græce Latineque vir doctissimus, sua illas manu descripsit atque emendauit. Iuuabit probos & φιλομαθεῖς adolescentes, has obseruationes cum illis conferre, quas in eosdem auctores Iustus Lipsius, literarum

dum vixit columen olim edidit. deprehendent enim, iudiciorum quidem atque opinionum diuersitatem non paruã; at κακοηθειας, inuidiæ, liuoris, nullum vel leuissime impressum vestigium in animo probissimi senis nostri, qui posterior scripsit. discẽt igitur hoc exemplo, ita seruandã in literarum studiis iudiciorum libertatem, vt omnis absit malignitas, omnis alienæ famæ obtrectatio. Pseudogalli elegiam Itali critici pro germano poemate Cornelii Galli æqualis Augusti, & cuius mortem Virgilius defleuit, venditabãt. Consultus super eo hic nostri seculi Varro a CL. Puteano, cui de fraude suboluerat, responsi loco Notulas misit, quæ heic habentur. Ad secundam classem referri debent hoc volumine comprehẽsæ diatribæ istæ. De Iudæorum decimis; Notitia Galliæ; De linguis Europæ, & dialectis Francorum; item de pronũciatione quarundam literarum; Iudicium de thesi chronologica; Constantiniani numismatis explicatio, & quædam aliæ Gallice conscripta. Pulcerrimam atque eruditissimam dissertationem de decimis in Lege Dei, viro nobilissimo, tibi coniunctissimo debemus, Carolo Harlæo fratri magni illi⁹ Achillis Harlæi, quo principe Senatus gloriatur hodie Ordo amplissimus; atq; vtinam glorietur diu. Ille aliquid explicari sibi petierat, quod ad decimas Iudaicas spectabat; Scaliger antiquum obtinẽs totam illam partem iuris antiqui Iudæorum, doctissimis etiam viris minus bene expositã, paucis verbis est complexus. Notitiam Galliæ non haberemus, nisi venisset in mentem Paulo Merulæ, viro iuxta probo & erudito; in opere suo Geographico Gallias nostras describere, eamq; ad rem opem & subsidium, ac velut Ariadnæ filum ab hoc

Theseo

Theseo petere. Videtur autem vir vndecũq; doctissimus, quando illam Galliarum in partes suas tributionem exarauit, de eodem, quod aiunt, oleo & τοπικὰ apud Julium Cæsarem elucidasse, & de hodiernis linguis illa disseruisse, quæ Notitiæ sunt subiecta. Eodem & obseruatio illa referenda, qua de legitima aliquot literarum pronuntiatione agitur: quæ ita est à Puteano edita, vt est inuenta, non vt optaremus. Judicium de thesi chronologica, vt illa tam multa quæ de hoc argumento in opere magno, De emendatione temporum & ad Eusebii Chronicon obseruauit atq; etiam alibi, peritiã exactam historiarum, quæ sacris literis continentur, arguit; in quo plus esse difficultatis quam scioli quidã arbitrentur, mortalium nemo ita clare ostendit, vt hic noster Polyhistor. At in lectione Patrum quantã ὁ μακαρίτης habuerit ἕξιν, & rituũ veteris Ecclesiæ quantam notitiam, optime omnium declarat nummi Constãtiniani accuratissima interpretatio, ad virum antiquitatis peritissimum missa, Marquardum Freherum I.C. q̃ spondeo, Ecclesiasticæ ἀρχαιολογίας studiosum neminem sine fructu & voluptate lecturũ. Ad tertium ordinẽ referenda sunt poemata, quæ in hoc volumine continentur, quæque his addi possunt compluria, duum generum, aliorum auctor est Scaliger, aliorum dumtaxat interpres. Iusus ipse iuueniles suos, aut senilis insomniæ solatium appellitabat: nunq̃ enim inter serias curas suas versus a se cõpositos & ἐξ ὑπογύου σχεδιασθέντας numerauit: nunquã exorari potuit, vt suos poeticos fœtus tollere mallet, quam exponere. qui tamen ea facultate quantum in vtraque lingua excelleret, Græce Latineque docti, & poeticorum sacrorum mystæ satis

norunt: tu omnium optime, clarissime Thuane; qui Græcos & Latinos scriptores habens familiares, poetarum sacra opertanea, a quorum aditu profani arcentur, non ἀκροθιγῶς nota habes, verum vt epopta, ad intima quæq; illorum arcanorum penetralia dudum admissus. Inueni post impositum huic editioni colophonem, psalmos aliquot Dauidis Græce Scaligero versos; quos, vbi primum fuerit occasio, non patiar intercidere: merentur enim vt in fronte prima huius tertiæ classis locentur. Initia Orphei adolescẽs olim vertit, quando & Lycophronis Cassandram, geminum huic opus, doctis nunquam satis laudatum. Scimus Q. Sept. Florentem Christianum, inter æquales poetas merito suo clarissimum, summa versionum huius viri admiratione ductum, quam ante annos vigintiquinque publice est testatus, & Initia Orphei & Diras Æschyli ex eiusdem interpretatione ad edendum præparasse Sed Diræ quidem, incertum quo casu, perierunt: Initia vero manu patris descripta, Claudius Christianus Petro Puteano tradidit. In quarta classe specimen epistolarum habetur, quas Iosephus Scaliger ad amicos scripsit & numero plurimas, & vel propter elegantiam ac propter quendam ipsi proprium δεινότητος characterem, lectu dignissimas. Quod si quis omnes huius viri epistolas, non solum, quas certo proposito argumento accuratius scripsit, sed etiam quas subito exarauit publicaret; eum ego existimem non male operam positurum. Pertinet enim ad profectum iuuentutis habere ipsam æmulationis veterum tam illustre exemplar. Nam hodie qui Latine loquantur, multos inuenias: at qui sine cacozelia & inepta affectatione

anti-

antiquos imitentur, o pido paucos: qui vero sermonis Romani illum, vt sic dicam, indigenam saporem sincere & caste exprimant, inuenies omnino paucissimos. Etsi autem epistolis Scaligeri omnibus inest aliquid, cuius gratia eas legisse neminem possit pœnitere: nobis tamen propositum nunc quidem non fuit, quasuis epistolas ipsius edere; sed illas dumtaxat, quæ argumento essent notabiliores. Pleræque igitur, aut διδακτικαὶ sunt, & præter solemnia literarum, aliquid scitu dignum continent: aut ἀπολογητικαὶ, & defensionem auctoris aduersus inuidentium obtrectationes habent. Quod autem nonnullæ earum sunt editæ, quas ad me scripsit; hoc vero tua grauissima auctoritate, quæ plurimum, vti par est, apud me valet, non voluntate mea factum esse, testor fidem tuam, Præses amplissime. Erat enim mihi certum fixumq; materiam malignis non dare, qui benignitatem viri candidissimi, in meritis amicorum supra meritum, & vltra modum prædicandis, ad occasionem calumniæ rapientes, vtrumque simul inuadent & illum quidem leuitatis, qui ἐκ κώνωπος ἐλέφαντα me vanitatis quæ ista sim passus edi, arcessent. Illi vero vti volent. ἐπεὶ οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Nam Scaligero quidem viro in literis tanto, & virtutis adeo spectatæ, quid honestius culpa immodicæ benignitatis? mihi vero in tua vnius voluntate facti constat ratio. Sciui alioquin, ac præ me semper tuli, tantum hunc illius amorem non adeo eruditione aut ingenio esse me promeritum; ac cupiditate ingenti discendi quæ nescio: cui ipsum non minus cupide, pro insita sibi bonitate, solitum esse satisfacere, vel hæ paucæ epistolæ e centum vndecim quas ab eo acceptas seruo, fidem

fecerint. Multa studiosi in illis legent, quæ alibi se non legisse, si ingenui sunt, non inuiti fatebuntur; sin autem, vel inuiti agnoscere cogentur. Atque hæc fere sunt, Præses amplissime, quæ vel a me vel a Petro Puteano tuo, hoc tempore potuerunt reperiri, fugitiua, vt sic appellẽ, Iosephi Scaligeri scripta, antea non edita. Nam leges Atticas, Dissertationem de re nummaria, Librum de æquinoctiis, & alias lucubrationes eiusdem, quas scimus in publica Lugduni Batauorum bibliotheca asseruari; quum ab amicissimo Heinsio, eius bibliothecæ præfecto, nobis communicari petiissem, aut certe ilhic edi; respõdit vir humanissimus, religione quadã se impediri, quominus illa publicaret: quia testamenti tabulis cautum sit, ne quicquam edatur, incoatum tantum vel affectum, non autem perfectum. Quamobrẽ & istis & illo tantopere multis desiderato Arabicæ linguæ Thesauro, vna cum supellectile vniuersa librorum Orientalibus linguis scriptorum, aliorumq; manuscriptorum, nec nõ Commentariis in Historias animalium a Iulio Cæsare Scaligero labore ingenti compositis: his inquam omnibus, hoc est, incomparabili quadã gaza, soli iam, vt apparet, Bataui fruentur; qui & postremos vitæ illius annos obtinuerunt, & nunc mortui cineres possident. Vtinam quidem aliter superis visum esset, neque tanto ornamento proprie suo Gallia nostra vnquam esset orbata; sed quoniã ita Θεοῦ ἐτελείετο βουλὴ; ad gloriam nobilissimæ gentis atq; huic Regno coniunctissimæ, istud quoque decus accedere, æquo animo, καὶ ἀχνύμενοι κῆρ, feramus: quum præsertim in fouendo colendoque Hercule illo Musarum, & ornanda eius memoria postquam fuit, qua prin-

cipes

cipes eius Reip. qua literarum antistites, honestissimæ cuiusdam æmulationis pulcerrimũ certamen inter sese videamus certasse. Non est prætermittenda hoc loco lucubratio Scaligeri, cuius alibi meminimus; breuis illa quidem & parua sed interiorũ & reconditarum, literarum, quæ in illo fuerunt non paruum testimonium Prouerbia dico Arabica, Romano sermonè in meam vnius gratiã expressa. Duo ipse eius libelli exempla diuersis temporib. ad illum misit quorum posterius priore longe emẽdatius, manu descriptum erat Hadriani Guilielmi, Flessingensis; qui paullo post in hac vrbe inexplicabili morbo implicitus & abreptus, vtriq; nostrum, imo omnib. qui norant ingens sui desiderium reliquit. erat enim in illo adolescẽte præter eximiã morum probitatẽ & Græcæ Latinæque linguæ notitiam, Arabicarum literarum & totius ἰατρικῆς ὕλης incredibilis, vt in illa ætate peritia. Quoniam autem versio horum Prouerbiorum, quæ penes nos est, e priore exẽplari fuit propagata; δευτέρας φροντίδας e collatione posterioris sæpe a Scaligero exegi, atq; ille mihi sæpe ꝓmisit: quod ipse morte præuentus quum præstare nõ potuerit, hortatu meo in se recepit Thomas Erpenius, cum aliarum literarum & philosophiæ callẽs iuuenis, tum Arabismi & grammaticarũ eius linguæ obseruationũ mirifice curiosus & intelligens. Quod si Deus immortalis cœptis fauerit. spondemus breui illum libellum vna cũ versione & Notis Arabice a Guilielmo Lebeo ciue Parisiensi editũ iri; qui characteres Arabicos, atq; etiam Hebraicos omnium elegantissimos (quod hæc etiam editio ostẽdit) arte industriaq; sua, ac propriis sum. ib. sculpsit; & laudabili cũ primis incepto,

patria atque Academiæ huic decus non pœnitendum, quo prius carebat, conciliauit. Sed iam tempus est vt orationis vela contraham, & epistolæ huic, quam dudum sentio sua prolixitate modum excedere, finem imponam: si prius tamen te, vir amplissime, Iacobe Auguste Thuane, rogauero, obtestatusq; fuero, vt istarum Iosephi Scaligeri, veteris amici tui, lucubrationum, patrocinio aduersus inuidos Bambaliones, terræ filios, velis scipere. Nam si cetera illius præclara inuenta, & incredibilis doctrina plena scripta, malevolorum virulentos morsus non effugerunt; quæ spes est hos libellos, ab eodem ingenio profectos, sed quos ipsorum pater ex tempore, & impetu quodam effudit, potius quam meditatus scripsit, meliore fato futuros? Non enim cogitabunt seueri Aristarchi, rem esse omnium iniquissimam, exigere a quoquam mortalium, vt in otio & in negotio æqualiter animum intendat. non cogitabunt, siquidem insubita scriptione interdum sit humanitus offensum, eum virum Scaligerum fuisse ita de genere humano scriptis suis diuinitus meritum vt facile ἄλλοις ἐν ἐθλοῖς τόνδ' ἀποθύπτειν φόρον. Sed sumne ego stultus, qui cum hominibus omnis rationis inimicis, rationibus agere instituam? Nam apud illos certe, qui vbiuis locorum doctrina & virtute pari libra sunt ornati, illustrissimi nominis tui auctoritatem, Præses sapientissime, ad commendationem huius libri abunde satis valituram, dubitare non possum: qui sciam, vnum hodie inter togatos esse te, quem nō magis dignitas hac amplissima, magnis in Rempublicam meritis tibi parta, vniuersis Franciæ populis reddat venerabilem; quam innata ingenii dotes, quibus excellis, cunctis tota

Europa

Europa probis doctisque hominibus, admirabilem. Nam quum tua olim opera varie uti, multo ante quam nascereris, destinasset magnus ille mũdi arbiter, omnia liberali manu in te contulit, per quæ aliquis ad veram solidamque gloriam potest peruenire. Nihil hic dicam de antiqua generis nobilitate, de maiorũ imaginibus, & ceteris quæ vulgo dona Fortunæ vocitantur. Patrem quoq; tuum silebo, virum maximum, qui Ordini amplissimo totos viginti annos quum principẽ locum obtinens præsideret, omniũ sibi virtutum inuicem consertarum & cohærẽtium ineſſe comitatum, & priuatim & publice, dictis, factis, liquido comprobauit. hæc enim etsi ad honorem tuum pertinent, magnoq; tibi sunt ornamento; longe tamẽ illud magis, quod in prima statim adolescentia eum te præbuisti, quem nullo negotio omnes intelligerent, maiorum suorũ claritudini gloriæ esse præoptare, quam meritis ipsorum splendorem suum debere: adeo vt nemo iam tum fuerit, qui id agere te dubitaret, vt quod lumẽ tibi parens præferebat, posteris ipse olim præferres. Igitur in studia liberaliũ artium & iuris ciuilis Romanorum non secus illa ætate incubuisti, (rara quadam felicitate nactus Valentiæ Segalaunorum tempore eodem præceptorem quidẽ Iacobum Cuiacium, condiscipulũ vero, sed ætate grandiorem, Iosephum Scaligerum;) ac si ille solus ad gloriam aditus tibi pateret; aut in illo solo præsidio spes omnes tuæ niterentur. Studio legitimo defunctus, & peregrinationibus, quas ad multas Europæ partes suscepisti, publicæ rei administrationẽ auspicatus, p varios deinceps honorũ gradus, ad hãc illustrem dignitatem conscendens, in diuersis muneribus, functioni-

bus & legationibus probatus, mentis altæ consilium, moderationem animi, fidei ac morum constantiam, aduersis rerum immersabilis vndis, *ita perpetuo vsurpasti; vt multum seculi tui hominibus daturus fueris etiamsi nihil præter exemplũ dedisses. In tanta enim rerum varietate, quantam illis difficilimis temporib. experiri contigit; cum quidem pleriq; hominũ de Fortuna pendentes alternis Vatinii, alternis Catones erant, æqualitatem vitæ per omnia constantem sibi seruasse, neq; vllo vnquã casu grauiore concussum, ab insita probitate desciuisse; aut perfecti sapientis, aut vt Stoicis pacatis vtamur, eius erat, qui perfectam sapientiã proxime accederet. Hoc illud est tempus, quo Henrici Magni castra sequẽs, inter tumultus castrenses, rerum toto Orbe memoria tua gestarum, præsidiis ad tantũ inceptum multo ante magno studio prouisis. Historiam οἰκουμενικὴν scribere instituisti. qua in scriptione quãta diligentia & fide, (nã sermonis elegãtiam omitto.) sis vsus, omnes qui legerunt scire possunt: nos hoc amplius scimus, quantas inter curas, q̃ breui tempore, horis tuis subcisiuis bene vtendo propositã initio materiã ad scribendum peregeris. Nam qui neq; muneri tuo laboriosissimo, neq; Regis obsequio vlla vnquã in parte defueris; annis tamen duodecim & mensib. sex, libros centum & viginti octo, rerum memorabilium admiranda varietate refertos, cõfecisti; opus in eo genere literarum maximum omnium, quæ vnq̃ post T. Liuii Annales sunt edita. Quemadmodum autem olim ad Rempublicã ita animatus accessisti, vt vniuersorum cõsiliorum & πολιτευμάτων tuorum suprema lex esset salus regni, nõ autẽ factionis alicuius studia, ita, cum*

res gestas os orsus literis mãdare, nõ vtiq; id spectasti, vt ea diceres, quæ his aut illis grata essent futura: sed quæ Historia Regina VERITAS pateretur. Cuius generosissimi propositi hoc præmium tulisti, vt tunc demũ Historia legitima maiestas nostris hominib. cœpta sit intelligi, quãdo p Europam libri tui circũferri sunt cœpti. Hinc illi plausus & acclamationes bonorum, tibi pariter ac seculo gratulantium, ex Italia, Hispania, Germania Polonia, & vltima etiã Liuonia, in hanc vrbẽ ad te & amicos tuos transmissa. Enimuero, tã perditis moribus & adeo inimicis virtuti temporib. esse aliquem animi inuicti virum, qui non gratia, nõ metu a veritate in historia scribẽda deflecteret, e Rep. humani generis est. Quid dicã de illo immenso tuo in literas amore? quẽ quidẽ eximie declarasti, cũ in contexendis Annalib. tuis eorum interire memoriã nõ es passus, qui ad illarũ illustrationem in hac ipsarũ παλιγγενεσία, vel mediocrem saltem aliq; symbolã cõtulissent. Non erat alienũ huic loco de tuis erga me beneficiis cõmemorare: quæ etsi fateor exstitisse q̃ plurima; illa tamẽ præcipua ex omnib. vt mei sunt mores, mihi videntur existimãda, quæ cũ rationibus meorum studiorum sint coniuncta. Illa igitur quãtum tibi debeã, si dicere aggrediar, lõgum fuerit. Nunquam ego te conueni, vt nõ ea ex te audirẽ, per quæ melior & doctior possem discedere. nunquã a tuo cõgressu temere discessi, quin ad amorem patriæ, studium pietatis, honestiq; literarũ, noua quasi flamma succẽsum me sentirẽ. nunq; sermonẽ tuorũ fœtus sum particeps, cũ tu de officiis vitæ, de salute aut interitu Rerũpubl. de literarũ studiis, de omnib. omnium ætatũ scriptoribus differeres, quin subito essem illico animũ

species admirãda, & raro admodũ per seculorum interualla mortaliũ oculis conspecta idea, illius politici omnib. numeris absoluti, quẽ maximus philosophorũ in scriptis suis informans, περὶ πᾶν πεπαιδευμένον appellat, & omniũ artium, disciplinarũ atq; studiorum κύριον statuit & iudicẽ. Quod si mediocri diligentia id sum consecutus, vt vigiliarũ mearũ aliquis ad studiosos fructus ꝓueniat eoq; nomine gratiæ mihi nonnihil debetur: tibi profecto eius gratiæ quãtulacunq; ea est, pars debetur multo maxima: qui & re & cõsilio studia mea subinde adiutãs, assiduus ἐργοδιώκτης instas, & q̃ olim Ambrosius Origeni id ipse es mihi. Verum de tuis in nos meritis, erit, spero, alio tẽpore, plura dicendi locus: quãdo vt aliquod grati animi pignus tibi exhibeamus, de domo numerationẽ faciemus: nã nunc quidẽ mutuum sumimus, & aliena arca vtimur. Deum veneror, Præses amplissime, vt te bono publico & literarum natũ, cũ nobilissima coniuge, singularis exempli fœmina, etiã si olim fuisset, ac suauissimis pignorib. vestris omni bonorũ genere cumulatum, q̃ diutissime præstet incolumẽ. Faxint superi, vt hæc præcellens gloria, virtute & studiis literarum collecta, παισὶ παίδων μεταλαμπαδευομένη, Thuanæ genti fiat propria, & in natis natorũ perpetuo hæreat. Vale. Datum Lutetiæ Parisiorum, ad 3. Kal. Quintil. 1610. quo die Henrici Magni corpus, post solẽnia regii funeris in Arce Lupara celebrata, põpa efferri cœpit, magnificentissima quidem, sed ducentib pariter & spectantib. acerbissima atq; luctuosissima. Scires efferri Patrẽ patriæ, Principem nõ minus suis charum, quam hostibus terribilẽ, omnium seculorũ æterna memoria dignissimum.

IN HOC

IN HOC VOLVMINE HÆC CONTINENTVR

Animaduersiones in Melchioris Guilandini Commentarium in tria C. Plinii de Papyro capita libri 13.

Diatriba de Decimis in lege Dei.

Notitia Galliæ. & Notæ super appellationibus locorum aliquot & gentium apud C. Cæsarem.

Diatribæ
- De Europęorum linguis.
- De hodiernis Francorum.
- De varia literarũ aliquot pronuntiatione.

De Thesi quadam Chronologica, Iudicium.

Expositio numismatis argentei Constantini Imp.

Orphei poetæ vetustissimi Initia seu Hymni sacri versibus antiquis Latine expressi.

In Æschyli Prometheum a Fl. Christiano conuersum, Prologus.

Epigrammata quædam Latine versa e Græcorum Florilegio.

Poemata quædam & Epigrammata nunquam antehac edita.

Animaduersiones in Q. Annæi Senecæ Tragœdias.

Asinii Cornelii Galli Elegia & Epigrammata cum animaduersionibus.

Confutatio stultissimæ Bardonum fabulæ.

Epistolæ ad diuersos.
Animaduersiones in Cyclopem Euripidis.

Discours de la iunction des Mers, du dessechement des Marais & de la reparation des riuieres, pour les rendre nauigeables.

Discours sur quelques particularitez de la Milice Romaine.

Letres touchant l'explication de quelques Medailles.

IOSE-

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI
IVL CÆS. FIL.
ANIMADVERSIONES
IN
MELCHIORIS GVILANDINI
COMMENTARIVM
IN TRIA C. PLINII DE PAPYRO
CAPITA LIBRI XIII.

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI
IVL. CÆS. FIL.
ANIMADVERSIONES
In Melchioris Guilandini Commentarium
DE PAPYRO.

In membrum 1.

GVILANDINVS. *Deniq; vti Aristoteles animalia exsanguia quatuor generibus includit, molli, testaceo, crustaceo, insecto, ad quæ omnia sanguine carentia necessario reducuntur: pariter ego plantas, quæ essentiam suam una sola in parte plene collocatam habent, uno* Κύημα *nomine comprehendo omnes, quod sint ceu fœtus quidam vel terrâ uterum gerentis, vel aliarum plantarum novas species in æmulationem terrâ parere gestientium, &c.*

IOS. SCALIGER.

BVTITVR nomine κύημα. κύημα est proprie quod planta quasi intra uterum concipit, vt est τὸ κροκοειδὲς in rosa, & quidquid in reliquis stirpibus semen imitatur. Ita κύημα est semper φύσις τις, vt ramus. Nam ramus est ramus illius arboris, sic κύημα est alicuius plantæ. Neque mirum. est enim κύημα pars eius plantæ, cuius κύημα est. Ergo

non est planta, sed plantæ pars; At Guilandinus quartum genus plantę κύημα dicit. Ita errat non solum cum plantam dicit, quod plantæ pars est, sed cum eo nomine Tuber comprehendit. Ita enim necesse erit, Tuber esse partem terræ, si quidem tuber est κύημα, κύημα autem pars eius rei, cuius κύημα est. Præterea τὸ κύημα est tantum vnius rei κύημα, vt τὸ κροκοειδὲς in rosa, est rosæ tantum κύημα. At cum Guilandinus viscũ dicit esse κύημα, primum sequitur nullam quercum esse sine visco. Nam planta, quæ κύημα concipit, nunquam sine illo esse potest. Atqui quot millia quercuum reperias sine visco? Deinde si viscus est cyema, quare viscus inuenitur in quibusdam aliis, non etiam in quercu? Nam viscum & in malo, & in pyro, & in aliis videmus. Si igitur κύημα vnius tantum arboris est, viscus autẽ plurium, igitur viscus cyema nõ est. Concludimus igitur frustra nomine κυήματος vti, & eius significatum inuertisse, vt eo ad diuisionẽ suam vteretur, vel, vt verius loquar, abuteretur. Nam si τὸ κύημα aliud est, quam id quod ipse vult, diuisio eius vitiosa est: sed quia Theophrasti summam diuisionem improbat, τῶν φυτῶν alia ἔγγαια εἶναι, alia ἔνυδρα, & alteram diuisionem τὸ φυτὸν aut δένδρον esse, aut φρύγανον, aut πόαν, ostẽdam ipsum mentem summi Philosophi assecutum non esse. Nam hoc vult Theophrastus, quę nascuntur, (nõ loquor de animalibus) aut supra superficiem natalium suorum emicãt, aut intra perpetuo manẽt: Supra, vt φυτόν. Intra, vt tubera, metalla, lapides fossiles omne gen⁹, mily, &c.

Porro

Porro φυτὸν aut est δένδρον, aut πόα, aut δενδρῶδες, ꝙ est θάμνος, aut ποῶδες, ꝙ est φρύγανον. Quod dixi natales stirpium, intelligo locũ natalium, vbi stirpes nascuntur. Duo autem illi tantum sunt, terra, & aqua. Vnde præclare dixit Philosophus, alia ἔγγαια εἶναι, alia ἔνυδρα: supra terram, vt dixi, emicat φυτὸν, intra manet, tuber. Supra aquam exstant palustres herbæ omne genus, & ceteræ aquaticæ plantæ; intra alga, nisi exspuatur a mari, item corallia, &c. Præterea φυτοῦ duæ nobilissimæ ac præcipue partes, solum ac superficies, solum radicem voco, vt in ædificiis etiam fundamenta sunt soli appellatione, superficiem autem, ramos, folia, & si qua id genus. Quædam igitur plantæ non proprie illas duas partes habent, sed imitantur: nam solum sine superficie imitantur tantum, vt tubera. Superficiem sine solo imitantur, Cassutha, Epithymon, &c. Ideo non in suo solo sunt, sed alieno innituntur, &, vt ita dicam, sunt inquilinę stirpes. Superficiem & solum imitantur fungi, ceruoboleti, &c. Ita non cogimur neque fungum herbam dicere, neque tuber neque cassutham. quia illa proprie partes veras non habent, sed verarum rudimenta quædam. Hæc non est diuersa a Theophrasti diuisione, sed tanquam eius explicatio, quam ex duabus Theophrasti vnam fecimus, φρύγανον dixi ποῶδες, cum ea voce ita vtatur Theophrastus, qui orobanchen ποῶδη dicit. Sciendũ enim est, ꝙ ab vna specie in aliam deficit, nihil referre vtrũ nominetur a planta, a qua deficit, an ab ea in quã videtur degenerare. Nam φρύγανον a πόᾳ in

mnon desciscit: & tamen neque thamnos est, neque poa, sed medium inter vtrumque. Nihil igitur refert ab vtro extremo appelletur. Nam φρύγανον tam θαμνῶδες est, quam ποώδες, & contrà. Ridiculum vero quod Guilandinus fœniculum solo cyematis nomine appellauit, quia ei decidua sit superficies. Nam si aliæ fœniculaceæ aut ferulaceæ stirpes cremia sunt, quare earum cognatus fœniculus qui nihil ab eis differt, cremium esse non posset, equidem non video. Nã si ob hoc omnino differt ab illis, quia decidua illi superficies est: sequitur vt ceruus non sit id, quod est bos, quia illi cornua decidua sunt, boui non item. Atqui substantia non recipit maius nec minus. Bos & ceruus eadem substantia est, quippe ζῶον. Sunt alia ridicularia quæ non ponam. Explodenda igitur diuisio Guilandini cum suo cyemate: sed neque illi condonabo exemplum de piscibus fossilibus. Primum quia nulla tubera sunt, nisi fossilia. At pisces non tantũ fossiles, sed & in fluuiis & in mari. Deinde quia nihil mirum est pisces nasci sub terra, cum nulli pisces sint fossiles, qui non in aqua viuãt: aliter non essent pisces. Nulli, inquam, pisces fossiles sunt, qui non in aqua subterranea viuant. Terram autem aquarum conceptaculis intra se plenam diximus in Commentario in Ætnam. Quid opus est pisci, quam vt viuat in aqua & respiret? Modo igitur in aqua respiret, vtrum sub dio, an intra terrã, nihil refert. Quod si pisces in aqua sunt sub terra, vt supra ostendimus,

dimus, inepta est comparatio vel potius similitudo piscium fossilium cum tuberibus. Nam, vt diximus, tubera intra terram concipiuntur, pisces & sub dio, & intra terram, vide Melam & Strabonem de piscibus fossilibus in agro Narbonensi.

GVILANDINVS pag. 14.

Porro hoc tertium cyematis genus magnam gerit similitudinem cum animalibus, quibus cornua decidunt.

IOS. SCALIGER.

HÆc sunt verba Guilandini. Iam diximus non esse probam similitudinem a cornibus animalium. Ait partes in plantis illas esse, quæ non decidunt, quæ decidunt non esse. Itaque superficiem in fœniculo partem non esse, quia decidua est, in lapatho esse, quia semel cum radice sua neq; vltra ætatem perpetuat: quemadmodũ, inquit, in animalibus, quæ pilos, cornua, mutant; cornua, pili, partes eorum non sunt. Quæ si vera sunt, ergo in illis animalibus quæ pilos, cornua nunquam amittunt, vt bos neque pilum, neque cornua mutat; cornua & pili partes eorum erunt, vt cornua, pili partes bouis. Superficies, inquit, fœniculi, pars non est fœniculi, quia decidua, vt cornua cerui nõ sunt partes cerui, quia decidua. Superficies lapathi pars est lapathi, quia non decidua. Hic ego supplebo similitudinem, quam incoauit in cornibus deciduis: Cornua bouis, sunt partes bouis, quia non decidunt, & cet. Vides ἀτομίαν argumenti

propter illud infauſtum κύημα, tum quia voluit iniuriam facere fœniculo, cui φρυγάνου naturam abſtulit. Itaque vniuerſa illa natio fœniculi, aſparagi ſatiui (nolui enim cum Guilandino *altilem* vocare: quia nullam herbam, & Gallinas farciri vnquam memini) vindicias contra illum poſtulabunt. At quid vetat, vt cum cornu nō deſinat eſſe cornu in ceruo, tametſi id amittat: ſuperficies fœniculi non deſinat item eſſe ſuperficies, tametſi amittat.

Quod vero damnat diuiſionē per vrbanum & ſilueſtre: an ignorat ſe id improbare, quod pueri ſciunt verum eſſe? nempe vnius rei poſſe eſſe, imo ſæpius eſſe διαίρεσιν, ἐπιδιαίρεσιν, ὑποδιαίρεσιν. Sed nolo hanc plebeiam pulpam illi apponere.

Verba Plinii. *Cum charta vſu humanitas vitæ conſtet, & memoria.* Hic voco ad ſubſellia Grammaticorum Guilandinum. Non enim intellexit hic *humanitatem eſſe* τὴν παιδείαν. Vide Gellium. Idem Caſſiodorus de Charta Libro II. *humanorum actuum ſeruant fidele teſtimonium. humanos actus*, vocat, hiſtorias, libros, &c. Propterea ſubiicit, *memoriam*: quod idem eſt.

IN MEMBRVM II.

Mvlta ſunt in hoc membro (vtar eius verbo) quæ importunam hominis garrulitatem arguūt. Primum quorſum illa ad Varronis laudes digreſſio? Dicam cum Cynico: Quis eum vituperat? Guilandinus de charta diſputans, non veritus eſt miſeram chartam diſperdere in

in re

in re neque necessaria neque dubia. Age, concedo necessarium fuisse Virronem laudare; Quid opus fuit tantis ambagibus refutare, cum vno verbulo plus eum expugnauit Plinius, quam ille tot exemplis oppugnare potuit. Deinde in coronide earum laudium rem miram & inauditam nos docet, βιβλίο Græce, esse *liber* Latine: & ad eam rem probandam omnes bibliothecas veterum excussit, & manes priscorum Græcorum vexat, vt doceant nos βίβλον esse *librum*. Postremo concludit, Papyri nomen & vsum multo ante Græcis innotuisse, quam Alexander Ægypto potiretur. Quasi propterea sequatur, chartæ vsum statim innotuisse: non magis mehercule quam vinum fieri cœptum statim postquam vitis nota fuit. Nam quot sæculis vitis nota fuit antequam vinum ex ea fieri cœptum? Hodie pars noui orbis, quam Floridam vocant, multa vite passim sine vllo vsu humano consita est. Ex ea incolæ nunquam vinum fecerunt. An Hispani, qui eam partem hodie colunt, adhuc fecerint, nescio. Ita vitis prius cognita, quam vinum ex ea factum. Sic Papyrus, quæ prius apud Græcos vinculorum vsum tantum præbebat, prius nota fuit, quam scribi in ea cœptum. At cum inter exempla adducat, Epigramma Græcum, miror cur potius ex Suida, quam ex VI. libro Anthologiæ. Deinde cur Alcæo potius, quam Antipatro, vt habetur in Anthologia. Postremo etsi concedimus Alcæi esse, cur illum Alcæum vetustissimum lyricum potius, quam

ἐπιγραμματογράφον siue ille Macedo fuerit, siue alter Alcæus Messenius. Totidem enim Alcæi Epigrammatographi fuerunt Romanis temporibus, quod non solum ex eorum Epigrammatis colligitur, quæ in Anthologia sparsa sunt; sed & Guilandino irascor, qui ex eo, quod adducit, Epigrammate, non perceperit, scriptũ Romanis temporibus fuisse. Nam in eo Piso est gentis Romanæ nomen & cereus Saturnalibus missus est ritus Romani. Epigramma apponam:

Λαμπάδα κηροχίτωνα κρόνου τυφήρεα λύχνον
Σχοίνῳ καὶ λεπτῇ σφιγγομένην παπύρῳ
Αὐτίπατρος Πείσωνι φέρει γέρας. &c.

Saturnalibus mittitur cereus Pisoni: de quo more vide appendicem coniectaneorum nostrorum, vbi & Epigramma exponimus. Sed Guilandinus ex Suida tantum hausit imperfectum Epigramma. Si enim ex Anthologia accepisset, fortasse Alcæo Epigramma non attribuisset, qui Antipatri est, aut si Alcæi fuisset, hunc Alcæum cum vetusto illo lyrico nõ confudisset, vt probaret papyri nomen apud vetustissimos Græcos exstare. Quod tamen nihil ad rem facit. Non enim, vt diximus, ideo sequitur chartæ concinnandæ vsum ad scribendum veteribus illis fuisse, tametsi papyrus in Ægypto in Græciam exportaretur. Nam vinculis tantum vtilis illis priscis temporibus fuit, nõ chartæ. Quid quod fieri potest, vt non exotica & Ægyptia fuerit illa papyrus, sed indigena, cuius meminerunt Theophrastus in Græcia, Strabo

in

in Italia? Et sane qui in eam sententiam inclinabit, non male sentiet. At Guilandinus ex Anacreontis odario, & ex Epigrammatio Alcæi profert testimonia, in quibus non papyrus ad chartam, sed ad vincula facit. Deinde praue interpretatur τυφήρεα λύχνο. Elychnium, cum hic λύχνος sit fax ipsa, apposite scilicet. Neque sartum papyro dicit sed σφιγγόμενον, hoc est, constrictum, & colligatum. Quamuis igitur concedimus bibli vsum ad scribendum veteribus notum fuisse: tamen non sequitur, vt ea testimonia, quæ adducit Guilandinus, hoc probare videantur. Sufficiebat autē dicere, βίβλον seu βύβλον esse papyrum & philuras papyri. Vnde colligi, veteribus ad scribendum in vsu fuisse, quia βιβλία inde dicta. Sed hoc non meminit, τοῦ χάρτου nomen recētius esse quam βίβλου. & sane postquam cœptum est in frontibus Epistolarū apponi χαίρειν, ex eo natum nomen Epistolari biblo χάρτης. Vnde Chartam Epistolarem, Martialis vocat, *Chartam Salutatricem.*

GVILANDINVS pag. 22.

Quid? Annon Æschylus, qui regnante Xerxe commentatus est, biblum illo in Supplicibus versiculo inter notissima retulit? βίβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν μέγαν. Id est bibli fructus non sustinent spicam magnam. Quem prouerbialem senarium annotat Suidas dici solitum de iis, qui suis ipsorum bonis vti nesciunt, &c.

IOS SCALIGER.

βίβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν μέγαν. Quia Epi-

gramma Alcæi ex Suida hauserat, non ex Anthologia, propterea nõ vidit ea, quæ sequebantur, vt magno errore propter illorum ignorationem se traduxerit. Sic in versiculo Æschili ex Supplicibus adducendo pertæsus laboris noluit codicem Æschyli consulere, sed ita, vt legit apud consarcinatorem Suidam, ita, inquam, posuit. Apud Æschylum ἐν ἱκετίσι scæna agitur in Ægypto. Itaque in ea fabula inducuntur virgines metuentes sibi ab Ægyptiis ne ab illis rapiantur. Respondet Danaus Græcis non metuendum esse a gente ignaua Ægyptiorum. neque verendum, vt Græcus vincatur ab Ægyptio, non magis mehercule, quam canis a lupo. Neque papyrus vincet spicam, hoc est οἱ παπυροφάγοι Ægyptii nõ vincent τοὺς σιτοφάγους Græcos. Nam Ægyptios παπυροφάγους esse, scit & Guilandinus. Verba Aschyli sunt hæc:

Ἀλλ' ἔστι φήμη, τοὺς λύκους κρείσσους κυνῶν
Εἶναι, βίβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν.

Ita Latine dixeris:

At scitum in ore id omnium est: canibus lupos
Præstare. nunquam vincitur spica a biblo.

Canes Græcos vocat, lupos Ægyptios. Cibum Græcorum στάχυν, hoc est frumentum: Ægyptiorum, βίβλον. Quid facilius his verbis? Nam Suidas non solum frustra est, cum censet prouerbium esse in illis verbis, βίβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν. sed & alios frustratur, cum explendo versui addit μέγαν. Quid, obsecro vos, est, bibli fructus non sustinet magnam spicam. Ait papyri fructus nullus; igitur nec spica. Quod si

spicam

ſpicam haberet, ſpica contineret fructum, non fructus ſpicam. Verba Suidæ: βίβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν μέγαν. ἐπὶ τῶν οὐ δυναμένων. τοῖς ἰδίοις χρῆσθαι καλοῖς, πάρ' ὅσον ἀσθενὴς οὖσα ἡ βίβλος οὐ δύναται μέγαν φέρειν καρπόν Manifeſto oſtendit ſe neſciſſe quid ſit papyrus. Papyri enim fructus nullus, ideo nec ſpica vlla. fortaſſe condonandum hoc illi, qui papyrum non viderat. At Guilandino, qui Ægyptum & Papyrum vidit, quomodo ignoſcam, non video, qui cum illo Suida, quiſquis is fuit, tam inſigniter lapſus ſit. Deinde longis ambagibus concludit biblum & papyrum idē eſſe, cum hactenus nemo exſtiterit, qui aliter aut ſenſerit, aut docere conatus ſit.

Pag. 30. 31. De Biblino vino plane ἀδηλογία eſt. Per Vinum Biblinum Ægyptium intelligit. Vnde? an Græci eo tempore non habebant vinum? vt illis ex Ægypto deferri opus eſſet? ſane paluſtria Ægypti quale vinum gignere poſſint, non video. Si Ægyptiū erat, quare illud in Bœotia eſt apud Heſiodum. in Sicilia apud Theocritum. in Latio bubleum apud Feſtum? Sane quiſquis dixit, ὕδωρ δὲ πῖνε τὸν δὲ βίβλινον στύγει. Diſerte aquam firmiorem illo vino indicat, vt plane quaſi ὑδαρὴς οἶνος fuiſſe videatur, vt βίβλος eſt planta aquatica. a qua βίβλινος οἶνος διὰ τὴν ἀσθένειαν.

GVILANDINVS. pag. 32.

Nam Byblus Phœniciæ, auctore Strabone libro XVI. *acra erat Adonidi pulcerrimo Veneris amaſio, &c.*

IOS. SCALIGER.

Quid Adonidi cum Papyro? de Zabiis frigida, & importune huc inculcata.

IN MEMBRVM III.

Totum tempus in parecbasibus conterit. Quid ad nos sexus & natura palmarum, vt credamus in illarum foliis olim scriptitatum? Itaq; quis nisi inuitus totam illam declamationem legat?

GVILANDINVS pag. 47.

Porro autem palma, non vnam tantum significat Phœnicem, qua victores redimiri dixi, sed etiam vitem, teste Varrone libro 1. de re rustica cap. 21. & cat.

IOS. SCALIGER.

Frustra palmã ait vitẽ dici a Varrone, cũ Palma sit pars vitis: deinde temere locũ Columellæ deprauat, cũ pro palma cãpestri, canna cãpestri, ex alterius loci collatione legendum putat. At ego primum ab eo quæro, ἡ χαμαίζηλος palma non ei videtur frutex, an non? Quare si est frutex, cur damnat lectionem Columellæ, quæ χαμαιρριφῆ φοίνικα fruticem esse clamat? Contra, quis vnquam vidit Cannam campestrem? Cannæ in campis, aut arundines nascuntur. Guilandine? Cannam, *Syluam aquaticam* vocat Columella in eo, quem adducis, eiusdem loco ex libro 9. capite 7. Quomodo quod campestre est, aquaticum dicendum sit, tu videris ipse, Guilandine.

GVI-

GVILANDINVS pag. 48.

Nondum indicani, cur maluarum foliis apud Plinium nouandum putem, pro palmarum foliis.

IOS. SCALIGER.

Non ferendus est qui mutet in Plinio *Maluarum foliis*, pro *palmarum*. Quia putat palmarum folia scriptioni inepta esse, propter asperitatem. At ego expertus sum aptissima esse scribendo, si primum cultri dorsello læuigaueris. Præterea si veteres in palmarum foliis scripitarunt, cur Plinii lectio damnanda est? Atqui hoc verum esse ex Isidoro patet, quem Guilandinũ non consuluisse, mirum est. *At vero*, inquit, *historia maiore modulo scribebantur, & non solum in charta vel membranis. sed etiam & in ementis elephantinis, textilibus q; maluarum foliis, atq; palmarum.* In quibus verbis non solum veteres in palmarum foliis scripitasse apparet, sed & illa folia texta & conglutinata fuisse. Quin palmarum folia, maluaceis longe meliora. Nam maluacea vix tolerandis calamorum mucronibus esse possunt, cui incommodo medebantur, vt puto, glutine & aliis rebus; vt appareat curari solita postquam exaruissent, antea non posse. Idque genus chartæ antiquissimum fuisse. Nam sane Cinna mittit sodali suo, quisquis fuit ille, Aratea Phænomena, non quodliber ille rarus esset, qui eo tempore vulgatissimus erat, sed quia rara charta, in quo scriptus.

GVILANDINVS. pag. 49.

Vt suspicari liceat hunc respexisse Pythagoram,

qui,

qui, vt auctor est Ælianus libro de varia Historia 6, cap. 17. sanctissimum esse folium μαλάχης, id est malua, dicebat.

IOS. SCALIGER.

FRVSTRA putat Maluam a Pythagora sanctissimam dictam, quod in ea scriptitaretur. Si leges, iura diuina, & humana, item τὰ θεολογούμενα, & similia in maluaceis foliis scribi solita erant, hinc recte sancta vocari potuerunt. Sed cum obscena carmina, & huiusmodi alia minime sancta tolerat, posset malua, vt quæcunque alia charta, alio nomine sane sancta dicta fuerit. Quare sine dubio sancta vocata est a Pythagora eodem modo quo ab Hesiodo: ὅσσον τ' ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

GVILANDINVS. pag. 49.

Caterum partitur Plinius libros in priuatos, & publicos: hos quidem plumbeis laminis in se conuolutis confici solitos inquiens: illos vero linteis aut ceris, &c.

IOS. SCALIGER.

QVID opus erat plumbeos libros in se conuolui, non magis quam chartaceos nostros? Deinde quis posset ita complicare & conuulsere plumbeos libros, vt nostros hodie? Sed plumbea monimenta intelligit, in quibus historiæ, libri sacri, annales, & alia id genus exarari solita erant; Itaque liber Hesiodianus ἔργα καὶ ἡμέραι primum in plumbeis laminis scriptus exstabat in Bœotia autore Pausania in Bœoticis.

quem

quem locum consulas licet. At nomen *Volumnus* imposuit Guilandino, qui putat volumen non posse dici, nisi de conuoluto libro: cum veteres etiam libros quoscunque ita vocant: quia primi libri complicabantur; cur non & omnes libros corticeos putat, quia liber proprie cortex est?

GVILANDINVS. pag. 50.

Quales vero fuerint libri, qui in ceris describebantur, dubium fortasse videri potest, præsertim cum animaduerit Hermolaus in castigationibus, codices antiquos hoc loco habere schedis, nō ceris, eamque sibi lectionem non displicere, verum ego vtroque modo recte legi posse arbitror, sensu semper manente eodem, &c.

IOS. SCALIGER.

SINE dubio legendum *in schedis*, vt habebant omnes manuscripti Hermolai & Cuiacianus. Aliud autem est scribere in ceris, aliud in schedis. Nam ceræ deletiles erant, schedæ non item; quæ nihil aliud erant, quam pagellæ ligneæ: Cassiodorus lib. II. *erat indecorum, fateor, doctos sermones committere tabulis impolitis & in veternosis ramalibus imprimere, quod sensualis poterat elegantia reperire.*

GVILANDINVS pag. 54.

Quos Iurisconsultus eboreos codicellos vocat, Fl. Vopiscus in Tacito Elephantinos appellat, iis verbis: Ac ne quis me Græcorum alicui, vel latinorum existimet temere credidisse, habet bibliotheca Vlpiana

armario sexto librum elephantinum, in quo hoc S. C. perscriptum est, cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nam diu haec S.C. quae ad principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur. Hactenus Vopiscus, vt ridiculum esse appareat illorum commentum, qui libros elephantinos dictos autumant ab operis amplitudine, quasi elephantorum proceritas nominis ansam illis dederit.

IOS. SCALIGER.

FALSO putat in ebore scribi solitum, neq; considerauit ineptissimam esse materiam scriptioni, cùm apices ipsi abolescant, & caduci fiant. Quod si πάλους ἐλεφαντίνους apud Græcos obiiciat, sciat fuisse pugillaria cerata, quæ ex buxo plebs habebat, beatiores vero ex ebore, Martialis in Apophoretis. At locus Vlpiani de legatis 3. lege L. obiicitur. Ego ibi aut de pugillaribus eburneis intelligo, aut constanter *roboreis* lego, non *eboreis*, propter duas causas. Primum quia si *eboreis* legatur, nulla ligneorum codicum fiet mentio, quam prætermittere non debebat Vlpianus, cùm omnes codicum materias recensere conetur. Deinde similis error in Titulo de origine iuris, vbi vulgo legitur in tabulis eboreis scriptas fuisse leges Romanorum, quod falsissimum est: cum vulgo notissimum sit in tabulis ligneis scriptas fuisse quales fuerunt ἄξονες, καὶ σανίδες, καὶ κύρβεις Solonis. Solus omnium vere ū, quod sciam, Dionysius Halicarnasseus in æs incisas fuisse prodidit. At profectò tam beati, neque adeo tam delicati eo tempore adhuc

huc erant Romani, vt in eburneis tabulis leges proponerent: vt taceam, eam materiam non diuturnam esse, cum flauescat vetustate. Ego sane, in ebore perpolitissimo scribere conatus sum sæpe, sed fugiebant literæ in lubrico materiæ illius. Denique ineptissima est scribendo materia illa. At Vopiscus elephantinorum librorum meminit? mirum, cum eburneos dicere potuisset, cur elephantinos maluit? & sane apud Latinos aliud Elephantinum est, aliud eburneum, vt aliud Elephanto, aliud ebur. Quare elephantini libri erant omenta siue intestina elephantina, qui erat maior modulus ad scribendas historias, edicta principum, Senatusconsulta, &c. Isidorus: *At vero historiæ maiore modulo scribebantur non solum in charta vel membranis, sed etiam & in omētis elephantinis* Qui locus talento contra carus non est ad probandum elephantinos libros fuisse ex intestinis elephanti, non ex ebore. Quos vero supra *lintcos* vocauit, eosdem *carbasinos* vocat Martianus Capella in Grammaticæ procœmio.

GVILANDINVS pag. 55.

Nemo autem per libros in corio apud Vlpianum intelligat de tergore animalium factos, qui iidem sunt cum membraneis, sed qui e cortice arborum a tilia differentium fiebant, &c.

IOS. SCALIGER.

VERBA Vlpiani, *in aliquo corio*, perperam refert ad corticem aliarum a tilia arborum. communi sensu expertem esse oportet, qui sine ad-

iectione corticem aut librum arboris, corium vocat. Nam ego intelligo aliud corium quam tergus ouillum. Pergamenæ enim membranæ κατ' ἐξοχὴν sunt ouillæ. Alii carbasinis voluminibus complicati libri, ex ouillis multi quoque tergoribus. Corium primigenia origine est tergus animalium: ad alia transfertur cum adiectione. Quæ igitur postea adfert de corio exempla, multum otii superfuisse Guilandino ostendunt.

GVILANDINVS pag. 95.

Plato in Minoe scribit Talum apud Cretenses tempore Minois, &c.

IOS. SCALIGER.

Qvi vult ridere, legat infelicissimam παρέκβασιν de Talo Cretensi.

IN MEMBRVM IV.

GVILANDINVS pag. 63.

Qui ab Homero πίναξ πυκτὸς dicitur, &c.

IOS. SCALIGER.

Semper πυκτῷ apud Homerum legit pro πτυκτῷ, vt iam non sit error Typographi; vt antea suspicabar.

Versus Turpilii: *Sola res ea est, quæ homines absentes præsentes facit*, desumtus ex Philemone.

Ουχὶ μόνος οὗτος εὗρε, πῶς λαλήσομεν
Αὐτοῖς ἀπέχοντες πολὺν ἀπ' ἀλλήλων χρόνον.

Loquitur de eo qui literas inuenit.

GVILANDINVS pag. 65.

Ob eandem caussam vasaria lignea, in quæ cibus, & potus inducitur, πίνακες nuncupabantur ab eisdem.

IOS. SCALIGER.

Ἀκυρολογία. Cum accipit *vasarium*, pro *vase*. Vas est σκεῦος, vasarium σκευοθήκη Item barbarum, *inducere potum in vasa*. sed imprudentissime τὸν πίνακα vocat *lancem*, πίναξ est, *vn tondo, vne assiette*. Horatius ad verbum vertit *tabulas: tabulas cœnabat omasi vilis & agninæ*. Lanx, *vn plat*, discus.

GVILANDINVS pag. 66.

Aristophanes quoque in ea comœdia, quæ ab auibus inscribitur, appellat πινακοπώλας caupones, tabernarios, & id genus nauci homines alios, qui escas obsoniaq; in lancibus venum exponunt Vt magna prorsus admiratione ducar, qui interpreti in mẽtem venerit, vt πίνακας eo loci, ex genere auium esse diceret, &c.

IOS. SCALIGER.

APVD Aristophanem miratur πινακοπώλας ab interprete exponi *auium caupones*. Sed fallitur. Nam quod alia Græcia per σπ, aut σφ, enuntiat, id Attici extrito sigma: vt πίνος pro σπίνος, est fringuilla auis: & deriuatiuum seu παραγωγὸν, σπίναξ seu πίναξ sed & postea ex loco Euangelii πίνακα *patinam* interpretatur; quasi patina & lanx idem sit. In patina fiebant ἀρτύματα ciborum; & καρυκεῖαι siue condituræ, Gallice *metire à l'estuuee*. Græci patinam vocant λοπάδα

neque vnquam leges cibum ſimplicem, vt carnes aſſas, aut fructus, aut ſimilia apponi in patrinis aut lopadibus, ſed piſces in patinis condiri, tyrotaricha, & eiuſmodi alia.

Pag. 68. non poſſum ferre parecbaſes illas de Homero, οὐδὲν πρὸς ἔπος. Quis hæc patienter leget?

IN MEMBRVM V.

GVILANDINVS.

Illo vero prodente ne terram quidem ipſam totam fuiſſe, quæ nunc Ægyptus intelligitur, &c.

IOS. SCALIGER.

MIRVM hominem in his tribus Capitibus Plinianis de charta tandiu volutatum non aduertiſſe ἀνακόλουθον λέξεως. Nam quod verbum huic ſententiæ reſpondeat, non video. At in vetere Cuiaciano lõge aliter cõcepta eſt lectio ita. *Pugillarium enim vſum fuiſſe etiam ante Troiana tempora inuenimus apud Homerum: illo vero prodente ne terra quidem ipſa, quæ nunc Ægyptus intelligitur.* Hoc eſt, quo tempore hæc prodebat Homerus, illa terra non intelligitur, quæ nunc Ægyptus eſt. Ponendum eſt, inquit, eam terram quæ nunc Ægyptus eſt, tunc non fuiſſe, cum hæc de codicillis proderet Homerus, ſed poſtea ponendum καὶ συλλογιστέον adaggeratam Nilo fuiſſe. Nam ſi hodie eſt, tunc autem non fuit, quod hodie ſit, adſcribendum Nilo, qui eam adaggerauit, vt plane ποταμόχωστος ſit. Elegans eſt reſtitutio huius loci. Nam ὑπὸ διαστολὴ poſt τὸ *Ægyptus*, omiſſa totum ſenſum ita interuer-

teruerterat, vt ei fulciendo opus fuerit tibicines subiicere.

Quam disputationem instituit pag. 76. & 77. de Sai, Taphni & aliis Ægypti locis, non vno verbo confutare possumus. Itaq; in aliud tempus differetur. Illud tantum admonebo, vt ex vngue leonem cognoscas, illum Taphnis frustra cum Tanis confundere. Taphnis est Heb. Thehaphnes. Tanis est Heb. Tzoan. Sed Tzi de mutatum est in Teth: solemni Syrorum enallage, quod nemini in istis linguis exercitato mirum videtur. Multa sunt in hac disputatione, quę iuste reprehendi possunt. Sed nihil ad chartam, aut papyrum.

GVILANDINVS pag. 80.

Porro autem etsi in Delta contineatur non solum Saitica regio verum etiam Sebennytica, Ptolemæo & Strabone testibus, ne tamen legam apud Plinium in Sebennytico, sed vt potius in Saitico legendum putem, &c.

IOS. SCALIGER.

De Sebennytico mire angit se. Lectio Pliniana ita primum a me concepta fuit, *cum in Sebennytico saltem eius nomo charta nascatur.* Quæ lectio tantum abest, vt vera non sit, vt etiam veteri Codice Cuiaciano confirmetur, sed cumulo maiore. Nam in eo libro ita scriptum fuit, *eius nomo nonnis charta nascatur.* Disertim legendum: *cum in Sebennytico nomo non nisi charta nascatur.* Ait nihil in Sebennytico nomo nasci præter chartam: si tempore Homeri Ægy-

ptus non fuit, nec papyrus fuit. Nam saltem Sebennyticus nomos suppeditasset. Hoc est argumentum Plinii. quod hactenus, non a Guilandino tantum, sed & vulgo ab omnibus ignoratum fuit. Cum igitur manifesto dicat Plinius in Sebennytico nomo non nisi chartam nasci, pro charta proculdubio intelligit papyrum metonymicῶς. Nam alioquin charta fit, papyrus nascitur. At Guilandinus putat chartarum nomina a loco, in quo papyrus nascitur, non ab eo, in quo charta fit, imposita esse. In quo eum frustra esse, Plinius postea conuincit. Quare si charta Sebennytica non dicitur, at in Sebennytico nomo nasci nihil prohibet. Papyrus ipsa a loco, vbi nascitur, dicetur, Sebennytica, charta autem ex ea papyro non amplius Sebennytica, sed aut a loco, in quo conficitur, vt Saitica, vel a concinnatore, vt Fanniana, vel ab eo qui eius studiosior fuerit, vt Liuiana, Augusta. Totus igitur locus Plinii ita, vt ab eo relictus est, concipietur: *Pugillarium enim vsum fuisse etiam ante Troiana tempora inuenimus apud Homerum. Illo vero prodente ne terra quidem ipsa, quæ nunc Ægyptus, intelligitur, (cum in Sebennytico saltem eius nomo non nisi charta nascatur) postea adaggerata Nilo. Siquidē a Pharo, &c.* Quæ est egregia restitutio. Illud vero omittendum non erat τὸ παγκμεῖν apud Poetam eleganter a Plinio verti *noctemque*, vt sit accipiendum τὸ παγκμεσν tanquam dixisset νυχθήμεσν.

GVILANDINVS pag. 88.

Plinius lib. 25. cap. 5. scribit Gallos olim tinxisse sagu-

sagittas in venatu helleboro, circumcisoque vulnere teneriorem sentiri carnem affirmasse. Vt suffocari possimus limeum herbam appellatam a Gallis, &c.

IOS. SCALIGER.

LIMEVM Gallenus vocat βελίνον recte, itque Gallos eo sagittas imbuere. est autem vox Gallica vetustissima. Nam belenium sagitta dicta est ab Apolline, quem Galli patria lingua Belenum vocabant. Ausonius, Tertullianus, Herodianus, veteres inscriptiones.

IN MEMBRVM VI.

GVILANDINVS pag. 95. 96.

Quibus verbis videri potest significari non illum deorum internuncium, atque interpretem, petasis, talaribus, & caduceo insignem, sed potius hydrargyrum, quo Chymici ad aurum conflandum vtuntur, &c.

IOS. SCALIGER.

IMPORTVNA parecbasis de Chymica arte, quam veteribus etiam cognitam iurat, nos vero in Manilianis nostris disertim negamus, importuna, inquam, parecbasis ab homine ineptissimam sententiam expressit, vt crederet etiam Aristoteli notam fuisse. Aristoteles ait argumentum esse τοῦ θάλατταν λιπαρωτέρου τοῦ ὕδατος εἶναι, quod ἀπὸ τῶν ἁλῶν ἔλαιον ἀφαιρεῖται. Illud pingue καὶ ἐλαιώδες καὶ λιπαρῶδες, quod sali concreto in salinis innatat, ἔλαιον vocat. Ἀφαιρεῖσθαι autem nō est arte chymica elicere, sed

simpliciter despumare & deflorare ex superficie salis. Illud enim ἐλαφῶδες est, & pingue, ita vt fere ignem concipiat. Quin sal ipsum ἐλαφῶδες esse ex crepitu, cum in ignem coniicitur, manifestum est, & quia ignis modica aqua marina persperſus magis magisque reuiuiscit.

GVILANDINVS pag. 99.

Equidem Strabo illo ipso quem modo indicaui loco auctor est, Aristotelem schola Peripateticorum principem libros primum omnium congregare cœpisse, atque Ægypti reges bibliothecæ syntaxin docuisse. Cuius assiuerationis vtramque partem esse erroneam, falsamque, profiteri non dubito, &c.

IOS. SCALIGER.

REPREHENDIT Strabonem, qui dixerit Aristotelem bibliothecam primum omnium instituisse. Sane si hoc dixit Strabo, dignus est castigatione. Sin autem, Guilandinus castigandus. Verba Strabonis ὧν δὲ τῆς Σχήψεως ὁίτε Σωκρατικοὶ γεγόνασιν Ἕρμιος καὶ Κοίσκος καὶ ὁ τοῦ Κοίσκου υἱὸς Νηλεὺς, ἀνὴρ καὶ Ἀριστοτέλους ἠκροαμένου καὶ Θεοφράστου, διαδεξαμένου δὲ τὰ βιβλιοθήκια τοῦ Θεοφράστου, ὃν ἦν καὶ ὁ Ἀριστοτέλης. ὁ γὰρ Ἀριστοτέλης τὰ ἑαυτοῦ Θεοφράστῳ παρέδωκεν, ὥσπερ καὶ τὰ τοῦ σχολῆ ἀπέλιπε, πρῶτος, ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν. Imposuit interpres Tiphernas Guilandino, qui verbum πρῶτος refert ad ἀριστοτέλης, non ad νηλεύς. Nam parenthesi includenda illa, ὁ γὰρ ἀριστοτέλης, quorum vltimum verbum ἀπέλιπε, vbi finis παρεμβάσεως. Igitur Νηλεὺς πρῶτος, ὧν ἴσ-

ἔνιοι, &c. continuandum est. Insignis sane fuit iste error, qui & doctissimum Xylandrum transuersum dedit. *Primus omnium*, inquit, *qui nobis sunt noti, Aristoteles bibliothecam conductis libris composuit.* Vbi & συναγαγὼν male *conductis* vertit. Igitur Strabo non Aristotelem sed Neleum Corisci Socratici filium primum omnium bibliothecam instituisse dicit. Amisit igitur ansam reprehendendi Guilandinus, quam studiose apprehenderat. Quam anxie illum locum rimatur, vt de musca triumphet?

IN MEMBRVM VII.

GVILANDINVS pag. 107.

Ex hac Theophrasti oratione facile est cuiusmodi intelligere, qua ego ratione persuasus, duo in Plinio verba sede non sua iacentia, alio reponenda censuerim. Cum enim in Ægypto peregrinarer, & magna cura in omnes eius regionis stirpes inquirerem, nunquam potui in Papyrum incidere, cuius thyrsi, seu virga ad summum septem cubita excederent, &c.

IOS. SCALIGER.

Est quod grauiter expostulem cum Guilandino: primum, quod cum plantam papyri in Ægypto considerarit, non eius picturam hic apposuit: deinde iudicium in eo requiro: qui non diligentius cõsiderarit verba latina Theophrasti, an cum Græcis vel potius cum historica papyri conueniant. Itaq; cum verba ex Græcis Latine reddita ita concepta sint, *Super terram ipsam radices obliquas tenues, densasque in limum demittens.* Mirum cur ἀτονίαν non con-

siderauit. Nam si demittit radices in limum, quomodo super terram? An nō opposita sunt, terra & limus, superficies terræ & profunditas? Etiam si papyrum non vidisset, tamen absurditatem sententiæ illi non oboluisse mirarer. Sed ἀτοπώτερον quod ait, radices tenues papyri. Huiusmodi itane tenues, quas πολὺ ξύλον ἔχειν dixit Theophrastus, ita vt ex illis fabrilia multa fiant, & carbones. At nos, qui nunquam papyrum vidimus, possumus veram lectionem Theophrasti de papyro illum docere. Verba vulgata: φύεται δὲ ὑπὲρ τῆς γῆς αὐτῆς παλαίας ῥίζας εἰς τὸν πηλὸν καθιεῖσα, λεπτὰς, καὶ πυκνὰς. ἄνω δὲ τὰς παπύρους τειχώνας, μέχρι ὡς τετραπήχεις, κόμην ἔχοντας ἀχρείαν, ἀδενῆ. Legimus sine vlla dubitatione φύεται δὲ ὑπὲρ τῆς γῆς αὐτῆ, παλαίας ῥίζας εἰς τὸν πυλὸν καθιεῖσα, λεπτὰς δὲ καὶ πυκνὰς ἄνω τὰς παπύρους καλαμίτας, τειχώνας, μέχρι ὡς τετραπήχεις, &c. Sed vnde illud, *coma inutili, exilique fastigiatos* ex Theophrasti ἀχρείαν, ἀδενῆ. Sane in verbis Græcis nulla fastigii mentio: neque probo *volum* ἀνὰ τὸ καρποῦ, cum Plinius recte *brachium* verterit.

GVILANDINVS. pag. 113.

Vlpianus lege L. *de legatis* III. *Chartis legatis, neque papyrum ad chartas paratum, neq; chartæ nondum perfectæ continebuntur. Ideoque Tranquillus, qui Iteris consignauit Neronem plumbeam chartam supino pectore sustinuisse, si pro chartâ dixisset plumbeam papyrum, culpari iure non posset, &c.*

IOS. SCALIGER.

MIROR cur Suetonium reprehendat, quî *plum-*

plumbeiam chartam dixerit, *cum*, inquit, *deberet papyrum*. Nihil vecordius potuit. Nam quis vnquam vidit laminam ex quauis materia papyrum dici? Chartam vero imitari potest quicquid instar schedæ fabricatum, aut fusum, aut textum, aut expolitum est. At quod in testimonium adducit Martialis locum, vt ostendat Papyrum significare etiam radicem, idque ita interpretandum in versiculo Martialis: *Farctus papyro dum tibi torus crescit*, non possum satis admirari, qui hoc illi in mentem venerit. Nam papyrus quidem eo versiculo est verum fari, tunicatus popellus Romæ toros farciebat: & quia in Circo venibat, tomentum Circense vocabatur. Nam beatiores ex Lingonicorum sagorum villis derasis farciebant culcitas; pauperes ex fari Tusco, cuius meminit Strabo & φάπυρον vocat. Ait igitur Martialis Titulli lectum funebrem papyro farctũ, propterea pauperrimum hominem fuisse oportet. At bonus Guilandinus putat hic innui ex radicibus papyri Romę rogum accendi solitum. Quid, Guilandine, tanta penuria ligni Romæ erat, vt opus esset peregrinis papyri radicibus ad ignem accendendum? Contra tantum Ægypto illarum radicum superfuit, vt etiam habuerit, quas exteris nationibus venderent? & tamen luriscon-sultus ait eos penuria ligni coactos arundinem, herbas, spinas, vepres vrere.

GVILANDINVS. 115.116.

Quod ad Papyri descriptionem a Plinio propositam attinet, eam tam claram perspicuamq; facit

verba Theophrasti, a me statim in exordio huius commentarii adducta, vt inutilem sim operam positurus si diutius in ea declaranda immorari velim. Nisiquod Plinium asserere ab errore non possum, qui quatuor Theophrasti verba, κόμλω ἔχοντας ἀχρεῖαν, ἀδενῆ, id est, comam inutilem, debilemque sustinentes, Latine dixerit, thyrsi modo cacumen includens, &c.

IOS. SCALIGER.

PLINIO irascitur, qui κόμλω ἔχοντας ἀχρεῖαν, ἀδενῆ verterit *Thyrsi modo cacumen includens.* Sane non immerito carpi Plinium concesserim. Sed sustinenda castigatio donec consideremus caussæ ne fuit Plinio cur ita verterit. Manifesto enim legit, κόμης ἔχοντας κάχρυ ἀδενῆ. κάχρυς, vt sciunt qui Theophrastum legerunt, est quasi rudimentum quoddam floris, aut germinis paniculæ modo compactum, quale visitur in salicibus, corylis, nucibus, & aliis. Papyrus habet χαίτην, quia ἡ πάπυρος iam sumitur pro scapo adultiore, cui agnascentia virgulta, quos παπύρους vocat Theophrastus, pro coma rudimentum paniculæ potius habent. In quo potius reprehendendus Plinius, qui descriptionem τῶν καλαμένων παπύρων cum descriptione τῆς παπύρου confundit. Hoc pertinebat ad peritum rei Herbariæ considerare; præsertim qui & in Ægypto Papyrum viderit, & commentarium de Papyro ex professo instituerit. Igitur scapis adultioribus Papyri χαίτην attribuit Strabo: agnatis autem Papyris pro coma κόμης κάχρυν Theophrastus hoc est, *rudimentum comæ.* Nam κάχρυς est ru-

est rudimentum futuri germinis, aut floris, aut fructus. A forma thyrsum vocauit. Nam thyrsus in conum desinit, propterea κωνοφόροι Bacchæ pro θυρσοφόροι dicuntur. Et nomen fastigia tum ostendit acutum cacumen virgulti. Recte ergo Plinius. modo ne confudisset τὺς παπύρους cum maiore scapo.

GVILANDINVS pag. 117.

Ad quem locum Iudith respiciens Plutarchus Sympos. IV. problemate V. de Hebræorum ritibus sacrisque verba faciens, in hæc verba scriptum reliquit. ἐστὶ καὶ κραδηφορία τις ἑορτὴ, καὶ δυρσοφορία παρ' αὐτοῖς, ἐν ᾗ δύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσιᾶσι. *Quod Latine dixerim: est etiam solemnitas quædam apud eos, quæ a gestatis ramis, thyrsisq; denominari possit, in qua cum thyrsis templum frequentant.*

IOS. SCALIGER.

Κραδηφορία Iudæorum apud Plutarchum non est eadem cum illa quam dicitur Iudith celebrasse. Nam est solēne tabernaculorum, vel, vt ipsi vocant, Heb. vt mediocriter literis diuinis tincti sciunt. Quia autem ramos, quos vocant Hosanna, Iudæi gestant, putauit Græcia esse deductum solemne a suis trietericis orgiis. Porro verba Plinii vltima in membro VII. pag. 106. ita legenda, *thyrsi modo cacumen includens semine nullo.* Intelligit enim cacumen semine nullo, hoc est ἄκαρπον esse. Quod sequitur, an Guilandinus intellexerit, nescio. Certe ego non intelligo: *semine nullo, aut vsu eius alio quam floris ad deos coronandos.* Quid est enim, nullum eius

esse vsum alium, quam floris ad deos coronandos. Nam qui florem nullum habet, qui eius floris vsus esse posset ad deos coronandos? sed delendum τὸ *quam. Semine nullo, aut vsu eius alio floris ad deos coronandos.* Hoc vult, nullum semen habere, nullum florem ad coronarium opus.

GVILANDINVS pag. 118.

Cæterum cur Plinius lib. 15. cap 28 Papyri thyrsum siue caulem vocauerit pomum, declarant quæ idem auctor lib. 13 c. 11. ex Theophrasto transscripsit, qui ait Ægyptios papyri caules, crudos, & aliixes, & assos manducare, succo tantum denorato, manso autem reiecto, &c.

IOS. SCALIGER.

VIDENDVM an Plinius vocauerit thyrsum Papyri pomum ab alla mente, puta, quod cortice duro & læui est, vt pomum, medulla tenera. Cassiodorus: *Surgit Nilotica sylua sine ramis, nemus sine frondibus, aquarum seges, paludum pulcra cæsaries, virgultis mollior, herbis durior, nescio qua vacuitate plena, plenitudine vacua, bibula teneritudine, spongeum lignum, cui more pomi robur in cortice est, mollities in medullis. proceritas lenis, sed ipsa se continens fœda inundationis pulcerrimus fructus.*

IN MEMBRVM VIII.

IOS. SCALIGER.

VNO verbo expediam, quod ipse totam bagibus explicare nequiuit. Ait Plinium, Gazam

tam, & alios errasse, quod ἐκ βίβλου Theophrasti verterint, *ex libro*, *Quod*, inquit, *liber sit cortex exterior*. Ego vero constanter aio Plinium recte vertisse. Nam arborum cortex dupliciter consideratur, extra, & intra. Extra cortex est, intra liber. Isidorus ex veteribus Criticis. *Liber est interior tunica corticis, quæ ligno cohæret, in qua antiqui scribebant.* Ita papyrus dupliciter consideratur, quod est extra, papyrum vocat infra, quod intra βίβλον dicitur. Lege pag. 120. 121. 122. videbis hominis præcipitem in reprehendendo calorem. Aliter Plinius dissentiret a seipso. Denique Plinius philuram Papyri librum vocat, quomodo Theophrastus βίβλον corticem tantum papyrum, infra. Papyrum, inquit, extremum eius scirpo simile. Quod pag. 125. περὶ ἀδδράχνης καὶ ἀνδράχνης affert, res tritissima est, & a multis criticis iamdudum vexata. Pag. 129. redit ad ingenium, cum persuadet sibi Plinium βίβλον pro cortice dixisse. Quod iam falsi conuicimus. Sed pag. 121. inclementer in Plinium inuehitur, quod verba Theophrasti καὶ ἕτερα πλείω, καὶ ἐμφανέστατα δὴ τοῖς ἔξω τὰ βιβλία, omiserit. Atqui hæc præteritio illum potius quasi manu ducere debebat ad suspicandum id, quod est, nempe verba illa, τὰ βιβλία esse addita ab illis, qui syncerum vas incrustare volunt. Nam sane Theophrastus cum extrema narratione dixit καὶ ἕτερα πλείω, illis verbis significat se nihil aliud dicere, sed quia nota erant & Græcis, ideo non nominat. scripsit igitur, καὶ ἕτερα πλείω καὶ ἐμφανέστατα δὴ τοῖς ἔξω & alia quæque, inquit,

ex papyro faciunt Ægyptii, quæ etiam in notitiam exterarum nationum peruenerunt institoriis mercatorum. At τὰ βιβλία est glossema illius studiosi, qui sciebat etiam chartam ad libros ex ea fieri. Hanc veram esse lectionem Theophrasti, quouis pignore contenderim, tum quod eam Plinius non vertit, tum quod de barbarismo suspecta est vulgata lectio. Alioqui quid opus est Theophrastum monuisse chartam fieri ex papyro, cum & pueris ipsis in Græcia id constaret. Sed cum dicit πλείω ἔτεσι, ostendit hactenus nihil aliud recensere velle, quia palam omnia nota essent. Præterea si eam lectionem retinemus, βιβλία referendum ad πλέκυσι: atqui χάρτης non πλέκεται.

IN MEMBRVM IX.

GVILANDINVS pag. 135.

Non alienum videtur, hoc loco repellere errorem Eustathii, qui Κάλαμον ἐρυθραῖον, *Id est calamum rubrum apud Dionysium in libello de situ orbis pro aromatico calamo recte quidem interpretatur, verum vocari rubrum, quod India vsque ad rubrum perueniat Oceanum falso asserit, &c.*

IOS. SCALIGER.

MALE reprehendit Eustathium, qui ἐρυθραῖον κάλαμον interpretatur, *Indicum*, cum omnes poetæ Erythræum ponant pro interiore India. Vnde & Propertius, & alii Erythræos lapillos manifeste vocant, ex India vltima arcessitos. Tyronem in literis admodum esse oportet, qui de hoc dubitet. Exempla pueris passim occur-

runt. Itaque pudet hæc refellere. At quis ferat πυῤῥὸν idem esse cum ἐρυθρόν. Vide insciti am hominis πυῤῥὸς est gilvus, ἐρυθρὸς, ruber. quod si a calore nominasset poeta non ἐρυθρὸν, sed ἐρυθρὸν dixisset, ἐρυθρὸν, est gentilitium, ἐρυθρὸν est categoria ποιοῦ. est enim color. Ita miser Guilandinus οὔτε ἔχει, neque alterutrum effugerit, aut insanus haberi; aut φιλόμωμος: vel vtrumque potius.

Pag. 141. Deum immortalem quæ de Carbatinis deliravit, quæ fiebant ex crudo corio, eas vult ex sparto confici. & quam importune iniecit mentionem Carbasi lini subtilissimi.

IN MEMBRVM X.

GVILANDINVS.

Præparantur ex eo charta, diuiso scapo in prætennes sed quam longissimas philuras, &c.

IOS. SCALIGER.

PHILVRA, ramentum, papyrum. Quomodo in his fallatur, postea dicemus, at quæ deprauauit in textu Plinianο consideremus. Verborum Plinii sententiam non assequitur. *Præparantur ex eo charta diuiso acu in prætennes sed quam latissimas philuras.* Apertissima sententia est: ex papyro chartę præparantur, tunicis a se inuicē separatis acu aut si nihil scalpello. Verba Plinii ita Græce sonarent: κατασκευάζονται δὲ οἱ χάρται ἐξ αὐτῆς βύβλου λόγεις λεπτοτάτας φιλύρας διαιρεθέντος. Ipse pro *acu* supponit *scapo*. cum verbis *ex eo* ex scapo papyri significē; nam de quo instituit hoc caput, nisi de papyro? De papyro igitur intelligēdum.

deinde pro *latissimas*, reponit, *longissimas* pari errore. Nam Plinius vult vt quam latissima phylura si fieri potest, auellatur, hoc est, tanta auellatur, quanta est scapi crassitudo, & caueatur ne discerpatur, & abrumpatur. Quod autem in fine Commentarii ait *ineptam ad eam rem acum*, rem puerilem ignorare videtur. assumat cœpe & nisi acu eius tunicæ auelli possint, ego illius vicem molam, ac vapulem. Hæc certe aliter refutanda non sunt.

IN MEMBRVM XI.

GVILANDINVS.

Etsi Hadr. Turnebus eximia atque præstanti doctrina multa feliciter in veterum monumentis emendauerit, restituerit, explicauerit: tamen in huius loci enarratione tantum abest, vt aliquid dignum laude præstiterit, vt multa etiam culpæ obnoxium se fecisse deprehendatur. Etenim genus chartæ, quam Plinius ait dici antiquitus Hieraticam ob sacrorum voluminum honorem: recentius vero ab geminata adulatione, modo Augustam, modo Liuianam, ipse libro 7. cap. 11. pro tribus chartarum generibus, magno, & pudendo errore annumerat, &c.

IOS: SCALIGER.

Quæ sequuntur Pliniana, sunt τὰ κυριώτατα huius materiæ. Nam de charta & eius generibus, ac confectione loquuntur. Ea tamen omnia ignorasse Guilandinum nisi conuicero, ego ipse Guilandinus sim. Quod autem eum præcipue in errorem adegerit est ignoratio diuisionis chartæ Hieraticæ. Charta maio-

maioris moduli annalibus, & ritualibus, libris, & Hierophanticis rebus dicata fuit, ab hoc Hieratica appellata. Ea duplex fuit. prima Hieratica XIII. digitorum. Secunda Hieratica, XI. digitorum. Sed prima abolitione Augusti, Augusta dicta fuit, secūda Liuiana, abolitione Liuiæ Augustæ. Cuius sententiæ meæ vestigia præclara exstant apud Isidorum. *Prima*, inquit, *& præcipua Augustæ regia, maioris formæ in honorem Octauiani Augusti appellata. Secunda Liuiana, ad honorem Liuiæ. Tertia Hieratica dicta, eo quod ad sacros libros eligebatur similis Augustea, sed subcolorata.* Quin & Plinius ipse primæ & secundæ meminit infra, cum ait. *Igitur & secundæ corio statumina facta sunt a prima subtemine.* Intelligit ex Augustæ subtemine, statumina facta corio Liuianæ. & paulo post: *Liuiana suam tenuit, cui nihil primæ erat, sed omnia secundæ.* Hæc ignorans Guilandinus nihil penitus in his verbis Plinii vidit, ac ne minimum quidem in illis assecutus est. Superest igitur, vt ineptissime Turnebum reprehenderit, & ioculariter hic primam & secundam adulationem somniauerit.

In verbis Plinii. *Quæ ab adulatione Augusti*; non mala prorsus lectio: sed longe melior vetus scriptura: *abolitione Augusti.* Est enim abolitio, cum pro Hieratica Augusta est appellata. Abolitionis verbo teralios vtitur Suetonius Tiberio cap. 4.

IN MEMBRVM XII.
GVILANDINVS.

PLINIVS. *Proximum Amphitheatrica datus*

fuerat a confectura loco. Lege. Proximum Athribitica datum fuerat, &c. Equidem diu multumque me solicitum tenuit, qui nam in Ægypto locus fuerit amphitheatrum, a quo charta Amphitheatrica nomen accepisse scribitur, &c.

IOS. SCALIGER.

Amphitheatricam. Male nescio in quam Athribiticam chartam hoc mutauit. Vult Amphitheatrum non fuisse Alexandriæ, quæ vrbs tota delitiis diffluebat. Sed pag. 155. & 156. quam inepte putat mendum esse in codice Pliniano, vbi loquitur de Amphitheatro. Idem enim Plinius manifesto sentit, quod Calpurnius. Calpurnius ex duobus hemicycliis oualibus theatrum fieri dicit. Idem Plinius. Quid igitur latrat Guilandinus? Videmus temulentum ingenium hominis.

IN MEMBRVM. XIII.

IOS. SCALIGER.

De Remnio Palæmone Grammatico Vicetino vide inscriptionem veterem in Orthographia Aldi pag. 779.

IN MEMBRVM. XIV.

GVILANDINVS.

Plinivs. *Propiorque etiamnum cortici Tæniotica, a vicino loco. lege. Propiorque etiamnum cortici Tanitica, a vicino loco.*

IOS. SCALIGER.

Tanietica. Ita veteres Manuscripti. Guilandino displicet, quia charta non extra Delta nascatur, Tænia sit extra. At Plinius dixit non in

Tænia

Tænia nasci sed prope. Ait enim in vicino loco. Isidorus tamen auctor est, esse locum in vrbe Alexandrina. *Charta*, inquit, *Tœneotica, a loco Alexandriæ, quinta vocatur, vbi fiebat.* Perperam ergo *Tamtica* suppositum a Guilandino.

IN MEMBRVM XVI.

GVILANDINVS

PLINIVS. *Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aqua. Turbidus liquor vim glutini præbet, cum primo supina tabula scheda adlinitur, longitudine papyri, quæ potuit esse segminibus vtrinque amputatis. Transuersa postea crates peragitur. Premitur deinde præliis, & siccantur sole plagulæ, &c. Sic corrige. Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aqua: Turbidus liquor vicem glutinis præbet. Cum primo supina tabula scheda adlinitur (longitudine papyri, quæ potuit esse segminibus vtrinque amputatis) transuersa postea cute peragitur. Premuntur deinde præliis, & siccantur sutæ plagulæ, &c.*

IOS. SCALIGER.

VT iam diximus, cum in his Plinianis capitibus maioris essent momenti quæ sequuntur, quam antecedentia; tamen in nullis magis cœcutiuit, quam in his, Guilandinus. Apponam lectionem veram Plinii, quam ex vestigiis Cuiaciani codicis eruimus. *Texuntur omnes madente tabula Nili aqua. Turbidus liquor glutinis præbet vicē. Primo supina tabula schedis adlinitur longitudine papyri, quæ potuit esse resegminibus vtrinq; amputatis. Transuersa postea crates peragitur: premitur deinde præliis, & siccantur sole plagulæ atque*

inter se iunguntur. Iam Sole clarior sententia. In summa ait, philuras glutinari & attexi inter se extensas in tabula, siue affere ligneo aqua Nili perfuso, vt sit glutinis vicem. Hæc summatim. Sed hæc quæ sequuntur μειζότερα. Primo, inquit, tabula tam longa, quam scapus papyri refigminibus abiectis schedis adlinitur, hoc est, schedæ & philuræ extenduntur in tabula, tam longa quam sunt schedæ ipsæ. Deinde aliæ transuersæ schedæ supersternuntur, transuersæ ad rectos angulos, in modum cratis. Puta sex schedis tabula primum sternitur, totidem transuersæ supersternuntur. Cum ad eum modum stratus schedarum tranuersi positi fuerint, postea ea crates prælo premitur, vt exsugatur humor aquæ Niloticæ, qua lita fuit tabula. Postremo suspenso prælo crates illa eximitur ac destruitur, ita vt solæ ac separatæ plagulæ per se siccentur. Hoc δὲ ἐν ὀνείρασιν percepit Guilandinus. Primum itaque falso putat Guilandinus tabulam hic esse philuram papyri. Nam si ita erat, quid esset *tabula adlinitur schedæ*? An non idem esset, ac si diceretur, tabula adlinitur tabula. Siquidem pagina 170. ipse schedam & tabulam eâdem facit. Frustra igitur Turnebum reprehendit, qui hic tabulam prima sua significatione accipit. Cui, obsecro, probare poterit, tabulam esse plagulam, aut philuram? Nihil potuit ab illo imprudentius, ne dicam væcordius dici. Est igitur hic tabula, affert Gneus tanta longitudine, quanta schedæ ipsa papyri: tanta latitudine, quantam vult, qui crates schedarum

in illa

in illa sternit. Quod de crate diximus, minus intellexit, cum pro *crate cute* suppoſuit. Profecto quid ſit, *tranuerſa cute*, nō intelligo. cum autem legit *ſutæ plagulæ*, quid aliud, quam traducit ſe? Primum quod ſchedæ illæ non ſuebantur filo traiectæ (hoc enim eſt ſuere) ſed tantum inter ſe glutinabantur orarum marginibus, turbida aqua Nili vicem glutinis præbente, quod Plinius vocat texere, vt & Lucanus.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Nouerat. Deinde tametſi concedamus ſuere eſſe glutinare, tamen nondum glutinatæ prælo ſubiiciuntur, ſed prælo exemtæ, & per ſe ſiccatæ poſtea inter ſe glutinantur, vt diſertim Plinius monet. Sane ſuere nunquam pro conglutinare accipitur, ſed ſimpliciter pro traiectione acus aut lineæ in labra aut oras commiſſurarum. Plinius ait *aqua conglutinari ſchedas*: ſi ſuere recipimus, quid erit aqua ſuere aut ſchedæ aqua ſutæ? Eſt profecto temeritas non ferenda. ſed legendum *ſola*, non, *ſole*. Nam ait exemtas ſchedas deſtructo ordine cratis ſolas per ſe ſeparatim ſiccari. Nam prius ſternebantur parallelæ pagellæ, vt diximus, totidem item ſuperſternebantur tranſuerſæ ad rectos angulos. Tum prælo ita ſtructæ exſugebantur. Deinde in vmbra ſolæ per ſe exſiccabantur, vt & hodie fit in charta noſtra. Nam ſolæ plagulæ in linea aut tranſenna ſuſpenſæ ſic ſiccantur. Aliter ſi aliæ aliis ſuperſtratæ ſiccarentur, humor ſuperſtratarum in ſubiectas caderet, & ita putiſcerent. Denique quæcunque de verbo ſuendi

exempla afferuntur, omnia contra illum faciunt. Eadem enim significant, quod Græcis ῥάπτειν. Plagulæ autem, quarum primigenium verbum plaga, Græcum est πλάξ.

GVILANDINVS pag. 176.

A segminibus dicta esse suspicor sagmina, una tantum mutata litera, quæ vt Festus annotat, erant verbenæ, id est herbæ puræ, &c.

IOS. SCALIGER.

Ἄκμης & est παρέκλασις vel potius μετάκλασις a segminibus ad sagmina.

IN MEMBRVM XVII.

GVILANDINVS.

In chartis non solum commendabantur tenuitas, densitas, candor, lævor, quæ omnia in nostra quoque papyro laudantur, sed per magni intererat, si latitudinem adepta erat præ aliis ampliorem. Ea traditur fuisse tredecim digitorum laudatissimis, hoc est, vt ego interpretor, Claudia, quam auctor omnibus prælatam esse testatur. Hieratica, id est Augusta, Liuiaue vndecim: Fanniana decem: Amphitheatrica nouem: Saitica, quod inter scriptorias esset angustissima, mallei, quo tundebatur, diametrum non adæquabat. Vnde colligimus fuisse etiam apud veteres in more positum chartas malleo excutere, &c.

IOS. SCALIGER.

Tredecim digitorum optimis. Optimam chartam, quam hic intelligit Plinius, ait esse Claudian; magno sane errore. Nam Plinius optimam chartam vocat Hieraticam Augustam inf. a. *Principatum*, inquit, *mutauit Iul. Cæsar.* Nimia quippe

quippe Augustæ tenuitas tolerandis non sufficiebat calamis. Si optima charta est, quæ principatum habet, Augusta autem optima est, teste Plinio, quam aliam hic intelligimus optimam, nisi Augustam? Claudia vero ex duabus Hieraticis compacta erat, ex Augusta. & Liuiana, vt mox dicemus. Neque enim adhuc eam explicauit. Quam vero hic Hieraticam sine adiectione vocat, est Hieratica Liuiana. sed id quæro, cum de latitudine chartarum differat Plinius, quare Saiticam dicit malleo non sufficere. Nam vt malleo sufficiat, hoc non pertinet ad latitudinem, aut lõgitudinem, sed ad crassitiem. Non enim dubium est, si nimis tenuis est, quin ictibus mallei plus iusto extensa tandem laceretur. Igitur quid ad malleum latitudo? Nam tenuitas sane ad malleum; puta si adeo tenuis, vt malleo tolerando non sufficiat. Sed adeo angustam esse, vt malleo tolerando non sufficiat: hoc vero absurdissimum. Quid inde incommodi malleo, Guilandine? Nam malleus æque latam atque angustam, complanare atque erugare potest. Præterea non animaduertit Guilandinus chartam non in Ægypto malleari, sed Romæ, cum iterũ glutinarentur: de contexenda enim charta in Ægypto satis superius expositum Membro xv i. ibi nulla mallei mentio. At Romæ cum vitium in chartis deprehendebatur, vt iterum recurare eas opus esset, malleo primum tenuabantur, deinde glutino percurrebantur. Adeo vt Amphitheatrica, quæ in Ægypto infra octo digitos erat, Romæ a Fannio recurata, & malleo

extensa atque tenuata ad nouem digitos peruenire. Non igitur hic Saiticæ vllum a malleo incommodum est, tum quod Plinius de latitudine tantum hic agit, nõ de tenuitate: tum quia tametsi de tenuitate ageret, tamen nulla in Saitica tenuitas. Quo enim propior cortici phura, eo densior, ac crassior: Saitica autem propior, ergo crassior, ac minus tenuis. Si crassior, ergo mallei tolerantior. Latet igitur mendum aut monstrum aliquod in hac lectione. Hoc enim præter ἀτοπίαν, quam deteximus, arguit vetus scriptura, quæ ita concepta est in Cuiaciano. *Pauciores Saitica, nec alio sufficit.* Id est, nec alio minus sufficit. Cauffam reddit. Nam si alio minus habeat, improbatur, vt Tæniotica. Quæ plebeia esse videtur. Igitur, *nec alio*, repete ex præcedentibus τὸ *minus*. Breuiloquium Pliaii multos decepit, præsertim Hermolaum Barbarum virum doctissimum, & omni exceptione maiorem.

IN MEMBRVM XVIII.
IOS. SCALIGER.

Primatum mutauit Claudius Cæsar. Primatum tenebat Augusta Hieratica. Nam prima Hieratica dicebatur. Ob nimiam tenuitatem, & quia indecoro visu pellucida erat, secundæ Liuiæ corio statumina fecit e primæ Augustæ subtemine Claudius Cæsar, & a se Claudiam vocauit. vt ex istis appareat, quam imprudenter ante hoc membrum Claudiæ mentionẽ factam esse a Plinio Gaisandinus putauerit. Non possum satis mirari id, quod in hunc locũ adducit idem Gu-

Guilandinus: Claudium Cæsarem duabus philuris, quibus Augusta inserta erat, tertiam insuper membranam iniecisse, & latitudinem ab vndecim digitis vsque ad tredecim auxisse. Vnde hoc didicit Guilandinus? Quis illi indicauit Augustam duas philuras habuisse? Vbi Plinius eius rei mentionem fecit? Deinde si charta quæ ex duabus paginis contexta XI. digitos habebat, postea vna pagina auctior facta ad XIII. peruenit, necessario illa tertia pagina duos tantum digitos lata fuit. Quod si verum est, & duæ reliquæ similes tertiæ fuerunt, vt fuisse necesse est, quatuor igitur tantum digitorum primum fuit Augusta, ex duabus scilicet paginis binum digitorum compacta, deinde non XIII. vt vult, sed VI. tantum fuisse tertia pagina aucta. Vides ἀπειροκαλίαν hominis, καὶ τὸ ἀνακόλουθον rei, καὶ ἀτοπίαν, si hæc concedamus. *Charta*, inquit, XI. *digitorum, tertia pagina aucta*, XIII. *digitorum facta est.* Si duo digiti ad eius latitudinem, ex tertia pagina accesserunt, duorum tantum digitorum tertiam paginam fuisse dicendū. Atqui Plinius tantam breuitatem in philuris adhuc non notauit. Vnde expiscatus sit, ipse viderit. Lege totum hunc commentarium: miraberis satis hominis imprudentiam, ne quid asperius dicam.

Verba Plinii. *Nimia quippe Augustæ tenuitas toleranais non sufficiebat calamis.* Quanquam hęc lectio a me non damnatur, tamen duplex est in vetusto Cuiaciano, *tenerandis*, alias, *temperandis*. Medicinam nullam afferre possum. Suspicionem meam tantum indicaui.

Lituræ metum afferebat aduersis. Scribe ex Cuiaciano: *Ad hoc transmittens literas lituræ metum adferebat ex auersis & alias indecoro visu pertranslucida. Ex auersis*, nempe literis. Nam repetendum ex illo, *literas transmittens.* Aduersa charta est ea, quæ ad nos spectat, hoc est, quæ nobis obuersa est. Auersa quæ a tergo; quæ dicitur ἀπισθόγραφος. Recte igitur in translucida charta lituræ metum esse ex auersa scriptura ait. Hic lituram accipe, maculam, quæ funditur ex atramento in charta bibula. Nam cum in aduersa chartæ bibulæ fronte scribitur, in auersam lituræ transmittuntur, ita vt a tergo facies lituris fœda sit. At Guilandinus lituras, quæ inducendo & corrigendo & delendo fiunt, accipit. Male.

GVILANDINVS. pag. 148.

Subtegmen quod positum sit quasi sub tegmine aliarum duarum superiacentium membranarum: statumen autem quia tabulas siue tunicas transuerso ordine ductas, non aliter fulcit, quam ridicæ, hoc est, pali seu pedamenta vites, vitium iuga & perticas sustinent. &c.

IOS. SCALIGER.

De statumine οὐδὲν ὑγιές. Statumen est stamen hic, quia dixit subtemen. allusum enim ad texturam.

GVILANDINVS pag. 185.

Cicero nuncupare videtur aduersaria, quod scripta sint non solum in superficie auersa, sed etiam in aduersa.

IOS. SCALIGER.

PVLCRVM commentum sane. Nam quæ char-

charta vnquam auersa scripta fuit, quæ nō prius aduersa scripta fuerat? Nam rariores opistographæ chartæ, quam aliæ. Itaque quid esset opistographum, quid Aduersaria, minus intellexit. Aduersaria dicuntur, quæ in aduersa parte scribuntur, qualia erant quotidiana vitæ & ephemerides. At in auersa, hoc est a tergo solebat & scribi. Vnde Opistographorum nomen. Sed in aduersa rationes dati & expensi perscribebantur, in auersa accepti. Quando auersa pars conueniebat aduersæ, hoc est, cum rationes accepti congruebant cum rationibus expensi & dati: tunc hoc dicebatur vtramq; paginam facere. Quod ipse Guilandinus supra pag. 172. perperam interpretatur. putat enim alludi ad duas paginulas, ex quibus, vt ait ille, charta cōpingebatur. Quod tam falsum est, quam chartam necessario cōpingi ex duabus paginis. Sed vtramque paginam facere dicitur, cum rationes accepti quadrant cum rationibus expensi. Quod & dicitur pariari. Cui contrarium reliquari. Nam villicus, qui non pariat, reliquari dicitur. Id & paria facere dicunt etiam. Aduersaria igitur quanquam & opistographa erant, tamen nomē ab vtriatiore pagina acceperūt. Ea potissimū erant in charta deletitia, quæ scilicet delebatur spongia, quæ ab eo a Varrone dicitur *Spongia deletilis*. & Æschylus allusit, *ὑγρᾶς σπόγγου βολαῖς*. Huc pertinent etiam *libri literarii* apud Ausonium & palimpsestus Catulli.

Igitur & secundo corio statumina facta sunt e primo subtemine. Legimus. *Igitur & secunda corio statu-*

statuminafacta sunt e prima subtemine. Primam, vt diximus, intelligit Augustam. secundam, Liuiam: ex vtraque contexta est Claudia. Quam obrem prelatam macrocolis scribit Plinius, quia macrocola ex plurib. paginis transuersis compacta erant: Claudia tantum ex Augusta, & Liuia. Quod si ex Augusta Claudia facta est, non potuit sine altera fieri. Nam duas fuisse oportet, ex quibus conserta erat Claudia.

IN MEMBRVM. XIX.

GVILANDINVS.

Plinius Liuiana suam tenuit cui nihil e prima erat sed omnia e secunda. Lege. Fanniana suam tenuit, &c.

IOS. SCALIGER.

PRÆPOSITIO *e*, quæ bis hic legitur, abest a veteri libro. Lego igitur, *Cui nihil prima erat, sed omnia secunda.* Recte Liuia non potuit primas obtinere, quia nihil habebat, quo primatum retineret, cum inferior esset Augusta: sed cũ post illam nihil ei deesset ad perfectionem, propterea secunda mansit. Porro *Liuianam* vocat, quam supra *Liuiam.* Apud Isidorum legitur *Libiana.* & a prouincia Libya deducitur. Ego puto nomen *prouinciæ* delendum. Et Liuiam Augustam ab Isidoro intelligi. quanquam non plane mutare ausim, quia huiusmodi nugis plurimis scatet Isidorus. Ex his apparet quam temere *Fannianam* pro *Liuiana* mutat Guilandinus.

GVILANDINVS

Omnium chartarum quas Plinius tribus hisce de pa-

de papyro capitib. nominatim persequitur, octauum, & vltimum genus est Macrocollum, a maioribus ceris seu bracteis cognominatum. nam κόλλα, auctore Hesychio, significat dorsi bouis corium, ex quo glutinum excoquitur: μακρὸν autem idem interpretatur μεγάλα, a recepta apud veteres consuetudine, qua condemnati μακρὸν χαμμὶν trahere dicebantur, quemadmodũ qui absoluti fuissent μικρόν, &c.

IOS. SCALIGER.

DESPERATA plane inscitia, qua μακρόκολλον pro μακρόκωλον dicit. κῶλα Græci vocant, quæ *Schedæ* supra vocãtur. Vnde prima scheda, qua charta compingitur dicitur πρωτόκωλον, in quo erat character chartæ, vt inde noscceretur vbi facta erat. Sic apud Martialem *infima pagina* dicitur ἐσχατοκώλων. *Spectas ἐσχατοκώλιον, libelle, Nec summa potes in scheda teneri*, Vides summam, hoc est, infimã schedam, ἐσχατοκώλιον vocari vt, πρωτοκωλιον primam. Apud Martialem male vulgo excuditur ἐσχατοκωλικὸν: κῶλον igitur est membrũ schedæ, schedion. Ab eo & pergamenas Latini membranas vocant, vt & quidam Græcorum σωμάτια, καὶ τόμους. Neq; solum hac in parte peccauit Guilandinus, cũ dixit μακρόκολλον, sed etiam cum collam putat esse tergus bouis. Natu omnino colla est e tergore bouis, non tergus bouis, sed βύρσα est tergus: deinde addit pulcrũ ἔτυμον τῆς μακρᾶς χαμμῆς. Quod si ab eo quæras quid illud est *damnando trahere* μακρὸν χαμμὶν, q̃d respõdebit, pfecto nescio. Nã non damnati trahebant μακρὸν χάμμὶν, sed iudex, notã condemnationis μακρὸν χαμμὶν in ceris ducebat.

GVILANDINVS pag. 189.

Tertium a Claudia locum tenebat Fanniana, quæ conserta erat, non quidem ex Augusta cui auctor superius primas adscripsit, sed ex Amphitheatrica, cui secundas, &c.

IOS. SCALIGER.

FANNIANA, quæ conserta erat ex Amphitheatrica. Falso putat consertam fuisse, quæ simplex erat. sed quia quo philuræ propiores sunt medio, eo tenuiores. Amphitheatrica autem tribus gradibus ab eo distabat, & ob eam rem minus tenuis erat, excepit eam, & extendit & malleo tenuauit Fannius. Vnde amplior vno digito, quam antea, eius latitudo. Ab ea interpolatione dicta est Fannia, nō quod cum Amphitheatrica compacta esset: sed quod tenuior malleo facta & latior, cum ante minus tenuis & læuis esset, si charta conseritur & compingitur; aliam esse oportet, cum qua compingatur. Vt Augusta cum Liuiana compacta effecit Claudiam. At si nulla fuit præter Amphitheatricam, non igitur compacta fuit, sed tantum recurata atque interpolata ex rudi læuis & tenuata.

IN MEMBRVM XX.

IOS. SCALIGER.

PLINIVS. *Rebellat sæpe humor incuriose datus, primoq; malleo deprehenditur aut etiam odore cum fuerit indiligentior.* Castiga ex Cuiacio: *Rebellat sæpe humor incuriose datus primo: malleoque deprehenditur.* quod autem sequitur, *cum fuerit indiligentior*, quid sit, nescio. Quæratur igitur.

Lego

Lego autem, *aut etiam vdore*, non *odore*. Nam humor ille deprehenditur aut malleo, quia exprimitur malleo, cum in Ægypto ὁι χαρτοποιοὶ non bene prælo expressissent: aut deprehenditur etiam vdore, cum madida spectatur charta. Nam odor nihil ad rem.

Plinius. *Deprehenditur & lentigo oculis, sed inserta mediis glutinamentis tænia fungo papyri bibula, vix nisi litera fundente se: tantum inest fraudis.* Etiam in veteri libro hæc deprauata sunt. Lego sine vlla dubitatione. *Deprehenditur & lentigo oculis. Sed inserta mediis glutinamentis tænia fungo papyri bibula, vix nisi litera fundente se, tantum est fraudi.* Haud dubie ita scriptum reliquit Plinius: Tria vitia chartæ proponit, humorem, lentiginem, tæniam. Humor incurioſe datus primo, nec bene prælo exſuctus; Lentigo, quod eſt vitium vt in cute humana. Denique tęnia, quæ eſt inæqualitas in glutinamentis inarum. Humor deprehenditur malleo, quia tunc exſudat ſub ictibus mallei. Lentigo autem deprehenditur oculis obuerſa ad Solis lumen charta. Tænia minimum vitium eſt, ac leuis momenti, quippe cum litera inoffenſe non ducatur cum ad inas peruenit calamus ſcriptorius. Nam tunc litera ad inas offendens non niſi fundit ſe, id eſt, non formatur, ſed potius funditur ac ſpargitur propter fungoſam ac bibulam naturã inæqualitatum, quæ ex glutinamentis exſtantibus excitatæ ſunt. Nam inæqualitates & tumores exſtantes Iuuenalis & Tertullianus *fungos* vocant, quia tumor qui ex ſuperficie papyri excitatur,

rarior est superficie sua. Quod autem fungum refert Guilandinus ad naturā papyri, quæ fungosa est: miror eū non considerasse papyri plantam ipsam fungosam quidem esse, sed philuras ipsas minime fungosas. Cassiodorus scapum papyri vocat *Spongeum lignum*, sed qui chartam σπογγώδη, aut σομφὸν, aut μανώδη vocauerit, minus proprie fecerit, puto. Olim pro *vix nisi litera*. legebamus, *vix inis litera*. Quæ fortasse verior est. Vt vt est, sane glutinamenta inarum intelligit.

GVILANDINVS.

Id veteres suis quoque chartis non raro vitio vertisse credibile est, sicubi, aut in scabriores incidissent, aut quæ nimia complanantium diligentia glabriores effectæ forent.

IOS. SCALIGER.

SCABRIORES, glabrioresue; Glabrum κατὰ στέρησιν dicitur. Nam prius pilos habuisse necesse est. Charta autem minime glabra dici potest. Sed de membrana recte Persius: *positis membrana capillis*. Hoc enim plane de glabro dicitur. Sed charta nunquam glabra dicetur, quæ nunquam pilos habuit, quanquam *barbatos libros* vocat Martialis, qui nimio vsu quasi carpti defloccantur. Propterea in Epigrammate Græco Grammaticus quidā adeo triuit Menandrum, vt barbatum fecisse dicatur. γραμματικοῦ ζήνωνος ἔχει πώγωνα μένανδρος. Ita enim legendum est.

GVILANDINVS pag. 191.

Etenim tæniam significare hic philurā siue membranam a scapo papyri auulsam supra indicaui.

IOS.

IOS. SCALIGER.

Ex illis, quæ supra obiecimus, manifestum est tæniam non esse philuram.

IN MEMBRVM. XX.

IOS. SCALIGER.

PLINIVS. *Minimum hoc modo intergerii atque etiam Nili lenitas superatur.* Lege, *atq; etiam lini lævitas superatur.* Romæ chartæ, quæ recurantur, atque rerum glutinantur, duobus modis meliores sunt Ægyptiacis. Primum quod molliſſimo glutine iungũtur inæ. Ita minimum intergerii fit, ac minima tænia. Deinde hoc glutine leuior fit charta, ita vt ne lino quidem lævitas chartæ cedat. Intergerrium siue intergerriuum vocat interiectum glutẽ inter duas inas seiunctas. Quod cur mutaret Guilandinus, causſæ non erat. Eleganter enim traduxit ab intergerriuo pariete. Ita etiam de apibus scribens loquitur. Quod autem *Nili lenitas*, legebatur, ineptum est. Nam quæ lævitas aut lenitas Nili hic esse posſet, equidem non diſpicio.

Intergerriuum autem parietem male ab intergerendo potius, quam a gerris.

IN MEMBVM XXIII.

IOS. SCALIGER.

Plinius. *Namq; Cassius Hemina vetuſtiſſimus autor annalium.* Male Guilandinus pro *vetuſtiſſimus autor*, legit, *Veriſſimus autor.* Nam sane Cassius Hemina scripſit ante Augustum Cæsarem, quid eum impulerit, vt aliter sentiret,

equidem non video. Nam non est ille, cuius meminisse ait Priscianum.

Hæc carptim & saltuatim ex nostris ad marginem libri appositis culpis notauimus. Sunt longe plura, quæ si colligere libuisset, in iustum volumen ac fortasse Guilandiano maius excreuissent. sed quæ Plinio emendando erant, hæc ferme habuimus, quæ a nobis exponerentur.

**
*

IOSE-

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI

IVL. CÆS. FIL.

DIATRIBA

DE DECIMIS

IN LEGE DEI

Ad virum nobilissimum

CAROLVM HARLÆVM

Dolotii dominum.

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI
IVL. CÆS. FIL.

DIATRIBA
DE DECIMIS IN LEGE DEI.

QVi de decimis in lege Dei vel priuatim, vel obiter fuis in Moſem cõmentariis tractarunt, ita rem explicarunt, vt incertiores lectores dimittant. Moſes non vnum genus decimarum proponit. Ne id quidem ipſi ignorant. Sed quas differentias Moſes inſtituit, ipſi confundunt; quas autem Moſes non cogitauit, ipſi introducunt. Cauſſa huius hallucinationis fortaſſe non vna fuerit; certe præcipua ea eſt, quod veteres iuris Iudaici interpretes in conſilium non adhibuerint, in quorum antiquiſſimis monimentis hæc iuris regula exſtat אובל אדם הנשמר שרולין בתרומה רבן בראשית המעשרות בל מן הארץ חיב. Omne eſculentum hominis, quod aſſeruatur, cuius incrementa ſunt de terra, obnoxium eſt oblationi, ac conſequenter primitiis ac decimis. Etiam hortenſia vel viliſſima quæque, modo eſui hominibus eſſent, in hunc cenſum veniebant, mentha, pulegium, ruta, origanum, anethum, & id genus alia, quorum nomina non ſolum in iure concepta ſunt, ſed etiam in Euangelio, vt Matth. 23. 23. Luc. 11. 42. Omne igitur eſculentũ hominis terra natũ,

quod in conditis seruatur, vt quæ in cellis, horreis, apothecis reponuntur, hac lege tenetur; primo vt ex eo primitiæ delibentur, secundo Theruma, tertio decima, quæ duplex erat. Atque hic ordo seruabatur adeo, vt in iure caueatur, ne Theruma primitias anteuertat, Therumam Decimatio prima; Decimationem primam Decimatio secunda. Sane colonus de prouentu suo nihil attingere audebat antequam de illo primo primitias, secundo Therumam, tertio vtranque decimam delibasset. Sed primitiæ de spicis, vuis, & oleis duntaxat offerebantur in corbe. Theruma vero & Decima nō nisi de frugibus elaboratis, qui in eorum Digestis vocantur תירוא הגמרים qualia sunt frumentum vannatum, mustum, & oleum. Nam fructus nondum elaborati, puta spicæ in arca, antequam frumentum perpurgatum fuerit, ii טבל Tabal dicebātur, de quibus primitiæ tantum debebantur, nondum autem Theruma aut decima. Postquam vero erant גמרים, hoc est, perfecti & elaborati, tunc dicuntur esse in caussa oblationis & decimationis; φ ὁι νομοδιδάσκαλοι dicunt תגיע לעונת חמעשרות, peruenit eo, vt decimādum sit. Itaq; primo detrahebatur Theruma de aceruo frugum, & sacerdotibus tradebatur. Deuteronom. 18. 4. quæ dicebatur תרומת גדולה. Theruma magna, aut maior, ἀφαίρεμα μέγα, ἀφορισμὸς μέγας. Nam φ in Lege dicitur תרומת, id est, oblatio, id Septuaginta vertunt ἀφαίρεμα, Onkelos autem

lingua

lingua Hierosolymitana אפרשותא ἀφορισμός. Germani Iudæi *abscheidung*, quod idem est. Eam Moses non definiuit. Sed vetustissimi Nomodidascali responderunt, minorem esse non debere parte frugum quadragesima, aut quinquagesima aut ad minimum sexagesima. Itaque primam, id est, quadragesimam, vocant יפה תרומת עין. Therumnam boni oculi, hoc est, benignam, largam, liberalem: quinquagesimam vero תרומת בינונית. Therumnam medianam, mediocrem: sexagesimam denique vocant תרומת עין רעה oblationem oculi maligni, id est, præparcam, illiberalem, sordidam. Hac delibatione de vniuersitate fructuum facta, & sacerdotibus tradita, tunc de reliquo aceruo decima dabatur Leuitis. Numerorum 18. 12. 25. 26. 27. 28. Hæc dicebatur מעשר ראשון decima prima, δεκάτη πρώτη. Tobiæ 1. 7. De ea decima decimam dabant sacerdotibus Leuitæ. Numer. xviii. 26. quæ ibidem dicitur מעשר מן המעשר δεκάτη τῆς δεκάτης. Nomodidascali vocant תרומת המעשר ex iisdem verbis Mosis, hoc est, Therumnam decimæ. Nam quemadmodum colonus offerebat Therumam de propriis fructibus, ita etiam Leuitæ offerebant Therumam de decima prima, quæ erat illis instar fructuum propriorum prædiorum, vt non semel in lege docemur. Ideo hæc decima decimę dicebatur Theruma decimæ ad differentiam illius prioris, quæ vocabatur The-

ruma magna, aut Theruma maior. Delibata Theruma decimationis, reliquum Leuitis erat tanquam profanum, vt pote quod in omni loco extra Hierosolyma absumere poterant. Numer. 28. 31. Nam antequam detracta esset decima decimę, nihil de decima prima attingere poterant, non magis quam colonus de corpore fructuum decimam detrahere poterat, nisi prius Theruma magna delibata. Hactenus detraximus primum Therumam maiorē de corpore fructuum, deinde de residuo decimam secundam: Therumam quidem sacerdotibus, decimam vero Leuitis. Quod reliquum fiebat de Theruma magna, & decima prima, dicebatur חולין, τὰ βέβηλα, profana. Est enim חולין vniuersitas fructuum, detracta Theruma magna, & decima prima. De illis חולין rursus altera decima deducebatur, quam vocabant שני מעשר δεκάτην δευτέραν. Tobiæ 1. 7. de qua Deuteronom. 14. 22. 23. Leuit. 27. 30. 31. 32. 33. Hanc decimam cum prima confundunt multi. Ea decima hoc differebat a priore, quod Decima prior, detracta decima decimæ, profana erat, vt vidimus, & extra mœnia Hierosolymorum absumi poterat: hæc vero sacra erat, neque ea vesci licebat, nisi coram Deo intra septa Templi בעזרה in atrio. Quare huius secundæ decimæ species aut Hierosolyma portandæ erant, aut, si longior, & impeditior via esset, quam vt Hierosolyma comportari possent, a colono diuendebantur, atque ex pecu-

pecunia inde redacta victimæ, vinum, oleum & frumentum Hierosolymis a colono coëmebantur, vt ex illis epulum instrueretur, quod מעשר, hoc est, χαειτήειον vocabatur: quod a colono, & Leuitis absumebatur, & quidem in atrio ipso templi. Deuteronom. 14. 24. 25. 26. Sed quando illa secunda decima diuendebatur, quinta pars decimæ insuper adiiciebatur. Leuit. 27. 31. Itaque secunda decima, quæ in speciebus erant decem de centum, in adæratione fiebant duodecim. Detracta decima secunda, residuum fiebat in potestate coloni, siue diuendere, siue vesci eo, siue donare vellet. Aliter nihil audebat tangere, nisi prius exemta decima secunda. Tunc quod reliquum factum erat de secunda decimatione, dicebantur חולין המיתוקנין βέβηλα ἡτοιμασμένα, Profana præparata, nempe exposita vsibus profanis. Latine dicerentur Pollucta. Pollucere dapem est de sacro eximere, & populo exponere. Inde illa apud Plautum, *Non sum pollucta pago.* Id est, exposita, tanquam daps profanata. Vt hæc melius a legentibus concipiantur, omnium προφρείαν subiiciemus. Habeat colonus in reditu huiusce anni sex milia vel modium frumenti, vel heminarum vini, vel quartariorum olei. Non potest effugere quin hinc pendat aut quadragesimam, si liberalis est, hoc est 150. aut quinquagesimam, si mediocriter animatus, nempe 120. aut saltem sexagesimam, si præparcus est, videlicet 100.

Dederit ergo 100. Sacerdotibus Therumæ nomine. Remanebunt 5900. nempe deductis 100. de 6000. Tot enim in reditu aut prouentu fructuum posuimus. Ex 5900. residua bis erunt decimanda. Primo enim decima prima decimanda erit, nempe 590. quæ Leuitis tradenda. De illis 590. Therumam debent sacerdotibus Leuitæ, hoc est, decimam decimæ, nimirum 59. quibus de 590. detractis, remanent profana præparata Leuitarum 531. quibus in omni loco, intra, extra Hierosolyma, in agris, in oppidis vesci licebat, tanquam fructibus de auitis prædiis. Rursus prima decima, scilicet 590. de 5900. detracta remanent profana coloni, 5310 de quibus detracta decima secunda, nempe 531. remanent Profana præparata coloni, 4779. Non pigebit omnium σωόψιν subiicere.

התבואת

התבואה	6000	A	Prouentus, siue reditus anni vnius.
תרומה גדולה	100	B	Theruma maior sacerdotib. a colono tradenda
0	5900	C	Residuum de Theruma bis decimandum.
מעשר ראשון חולין של לוים	500	D	Decima prima, quæ erant profana Leuitarum·
מעשר ממעשר תרומה מעשה	59	E	Decima decimæ, Theruma decimæ sacerdotibus tradenda a Leuitis.
חולין מתוקנין של לוים	531	F	Residuum decimæ primæ, detracta decima decimæ, quæ erãt profana præparata Leuitarũ.
חולין	5310	G	Profana coloni.
מעשר שני	531	H	Decima secunda de profanis coloni detracta.
חולין מהוקנין	4779	I	Profana coloni præparata, id est, pollucta, deducta decima secunda.
0	1121	K	Vtraque decima coniuncta, quæ est ad 5900. vt 19 ad 100.

Hinc colligitur, primo nunquam decimationem fieri, nisi Theruma delibata, quæ dicebatur magna. De reliquo adhuc colonus debebat x ix. de centum in duas decimas erogandum. Nam decima de centum, sunt decem, & decima de reliquis nonaginta, sunt nouē. Summa x ix. Et sane ratio 5900. ad 1121. sunt, vt 100. ad 19. Atqui 1111. est compositum ex vtraque decima D. & H. quibus de C. deductis remanent 1. Secundo colligitur, quare dicta sit Theruma maior. Nam ad differentiam Thermæ decimationis dicta, quæ minor erat. Minor enim est Theruma E. quam Theruma B. Itaque Sacerdotes plus percipiebant de Theruma coloni, quā de Theruma Leuitarum. Quum igitur demonstratum sit x ix. de centum post Therumam a Colono præstanda esse, de illis x. tantum tenebatur cōuehere Hierosolyma. Reliqua nonem in speciebus non tenebatur conuehere, sed si vellet, adærare illi licebat. Quod iam tetigimus. Primam enim decimam Hierosolymam a colonis deferri solitam in Apothecas Templi, quæ לשכות vocabantur. exstat illustris locus 11. Paralip. 31. 5. 6. 11. 12. quibus custodiendis & distribuendis præpositi erant homines Leuitæ spectatæ fidei. Ibid. 13. Colonus igitur tenebatur aut ipse Hierosolyma portare species, aut p vicarios suos ad id delegatos, quos שלוחים, Id est, ἀποστόλους vocabant, deq; iis in iure cautum, ne de Gentilibus crearentur. Tradebat autem species colonus, vel eius Apo-

stolus

stolus Leuitis, qui in ἐφημερίᾳ sua ministerio suo fungebantur in templo. Tobiæ I. 7. τὴν πρώτην δεκάτην ἐδίδουν τοῖς υἱοῖς Λευὶ τοῖς θεραπεύουσιν εἰς Ἱερουσαλὴμ. Semper enim vna familia Leuitarum de XXIIII. Hierosolymis in templo ministrabat. Quot enim ἐφημερίαι Sacerdotum, tot Leuitarum erant nimirum XXIIII. Itaque in eo loco Tobiæ οἱ θεραπεύοντες intelliguntur οἱ λειτουργοῦντες ἐν τῇ αὐτῶν ἐφημερίᾳ. De XXIIII. familiis sacerdotum vide Appendicem lib. de Emendat. Tempor. in fine. Inde pēdet vera historia & disquisitio natalis Dominici. Vides ipsum Colonum manib. suis τὴν πρώτην δεκάτην tradere solitum Leuitis, quorum ἐφημερία fungebatur in Templo. Illi succedenti familiæ, pręsentib. prępositis, quos ממונים vocabant: Ipsi autem ἐφημερίας inter se distribuebant secundum familias suas. De adæratione secundæ Decimæ sequitur in libro Tobiæ: καὶ τὴν δευτέραν δεκάτην ἀπεπρατιζόμην, καὶ ἐπορευόμην, καὶ ἐδαπάνων αὐτὰ ἐν Ἱεροσολύμοις. Non potuit melior interpres cōtingere iis, quæ supra a nobis de vtraque decima dicta sunt. Sequitur apud Tobiam: καὶ τὴν τρίτην ἐδίδουν οἷς καθήκει. vocat τὴν τρίτην δεκάτην, quæ potius dicenda erat τοῦ τρίτου ἔτους. Latinus Tobias alius prorsus a Græco recte: Ita vt in tertio anno proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem. Non potest dici τρίτη, quæ erat eadem prima. Paraphrastes Hebræus Tobiæ, qui Græca vertit non Latina, male hæc assecut⁹ est. לבני לוי העומדים לפני יהוה בירושלם ומעשר ראשון היתי נותן הדרים

לשרתו זל בדך בשמו הרדים τὴν δεκάτην πρώτην ἐδίδουν τοῖς υἱοῖς Λευὶ τοῖς ἐστῶσιν ἐνώπιον θεοῦ, εἰς τὸ λειτουργεῖν καὶ εὐλογεῖν τὸ ὄνομα αὐτοῦ, τοῖς οἰκοῦσιν ἐν Ιεροσολύμοις. Si enim putat quosdam Leuitas perpetuo mansisse Hierosolymis, vt perpetuo ministrarent in Templo, fallitur. Per ἐφημερίας enim ministrabant, non autem perpetuo Hierosolymis manebant; sed ei imposuit, quod quidam Leuitæ perpetuo manebant Hierosolymis ad sarta tecta templi tuenda. Nehemiæ, xi. 15. 16. 17. 18. Sed quod sequitur, prodit inscitiam Paraphastæ. היתי לי דבורה אם אבי ומעשך שלישי נותן לברק הבית באשך צותה, καὶ τὴν τρίτην δεκάτην ἐδίδουν εἰς τὴν ἐπισκευὴν τοῦ οἴκου καθὼς ἐνετείλατο μοι Δεββωρὰ ἡ μήτηρ τοῦ πατρὸς μοῦ. Nusquam enim reperietur δεκάτην vllam τρίτην exigi solitam ad sarcta tecta templi. Hoc non habet Græcum Tobiæ exemplar. Hoc nusquam in scriptura exstat. Sed ille Iudæus habebat in animo locum Nehem. xi. 16. Item 11. Paralip. xxxiiii. 9. 10. At pecunia, de qua ibi agitur, non erat decima, Sed, vt diximus, τὴν τρίτην δεκάτην in libro Tobiæ accipere debemus τοῦ τρίτου ἔτους δεκάτην, quæ nihil aliud erat, quam πρώτη δεκάτη: quæ primo & secundo anno Hebdomadis, item quarto & quinto Hierosolymam a Colono vel a vicario Coloni delata in manus Ephemeriæ Leuitarum tunc ministerio fungentis tradebatur: tertio autem & sexto anno Hebdomadis anna-

annalis in horrea, cellas & apothecas coloni condebantur, atque Leuitis, viduis, orphanis, aduenis in ostio coloni erogabantur. Deuteronom. XIIII. 28. 29. Propterea hæc decima dicebatur עני מעשר. Decima pauperis in annis tertio & sexto, quæ in annis primo, secundo, quarto, quinto dicebatur, decima prima. Qui enim diuersam putant a prima, & tertiam constituunt, tam decipiuntur, quam qui decimã decimæ inter has differentias ponunt. Nam decimarum tantum ratio habetur, quas coloni, non quas Leuitæ pendebant. Septimo anno nullæ primitiæ, nulla Theruma, nullæ decimæ persoluebantur, ob cessationem agricolationis, quam etiam hodie obseruant Iudæi, vbicumq; locorum agellos, & hortulos possident. Sed decimas soluere non tenentur, nisi in terra Israel. Quare templo diruto, non tenentur ad primitias, Therumoth, & Decimas. Sed neque certum genus Leuitarum aut Sacerdotum habent, quamuis multi Leuitarum nomen præferant. Nemo enim illorum tam cõfidens est, vt se Leuitam verum, aut Sacerdotem deierare audeat. Quam ob rem a nobis interrogati, si illis data esset facultas instaurandi Sanctuarii in monte Moria, vt antea, an victimas immolaturi fuerint, respondebant frustra hoc fore, quia, inquiebant אין תירום בתורה בישראל οὐκ ἔστι τέλειον ἱερατεῦμα ἐν Ισραὴλ. Non est Sacerdotium hodie in Israel. Itaque etiam instaurato tertium Sanctuario, vocaret ἱλειτυργία, καὶ ὁ ἐν

δελεχισμὸς πάντος ἱερατεύματος ἐκλελοιπότος. Adeo horrendum est illud βδέλυγμα ἐρημώσεως; quia tametsi locus restituatur, ἐρήμωσις tamen nunquam cessabit. Solii pii, & pie eruditi harum rerum sensum habent. Porro ne fraus fieret in persolutione decimarũ, præficiebantur δοκιμασταὶ, qui נאמנים dicebãtur, id est, πιστοί. Ii discutiebant domos, quæ decimas non persoluebant. Eiusmodi reditus, qui an decimis functi essent, dubium erat, dicebantur דמאי Eamai. Ab Encæniis Macabæi, ad tempora Ioannis Hyrcani Ethnarchæ Iudæorum, omnes quidem primitias & Therumoth dabant, decimas autem pauci; quum isti πιστοὶ essent ἄπιστοι, & numis & muneribus corrupti decimas datas mentirentur, quæ datæ non erant. Sed sub Ioanne Hyrcano Ethnarcha Domus iudicii, quam vocabant, id est supremum Tribunal, decreuit, ne illi πιστοὶ ex vllis quam ἐκ τῶν πιστῶν eligerentur. Itaque ab eo tempore, ad excidium Templi, per annos circiter CL. decimæ bona fide solutæ sunt. Porro Primitiæ, Therumoth, & Decimæ simul ac vno eodemque tempore non soluebantur, sed singularum speciem singulæ suo tempore, puta frumenti a mense Siwan, post Pentecosten, vini a Tisrio, olei a XV. Tebeth. Eadem ratio de aliis speciebus.

**

*

IOSE-

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI

IVL. CÆS. FIL.

NOTITIA GALLIÆ.

Item,

Super Appellationibus locorum aliquot & gentium apud Cæsarem eiusdem

NOTÆ

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI
IVL. CÆS. FIL.
NOTITIA GALLIÆ.

ANTE tempora Augusti, qui de Imperii Romani prouinciis scripserunt, in diuisione Galliarum nunquam prouinciam Narbonensem comprehendunt, quæ intra Alpeis, Iurassum montem, Cebennas, Tarnim fluuium, Garumnam, Pyrenæorum initium, & mare Massilioticum continebatur. Itaq; quum apud illos scriptores Galliarum mentio occurrit, excipe semper Narbonensem, si res gestę ante imperium Augusti memorantur. Et quidem vnus omnium Romanorum C. Cæsar, vt Gallias arbitrio armorum subegit, ita etiam suo illas diuisit in Belgas a Rheno ad Sequanam: hinc ad Garumnam in Celtas: quod reliquum est, intra Garumnam, Pyræneos, & mare Oceanum in Aquitanos. Sed hæc tertia pars, cum alterutra priorum comparata adeo exigua visa est, vt alia diuisio instituenda fuerit. Itaque Augustus non solum illam diuisionem castigauit, sed etiam in noua Galliarum diuisione instituenda, etiã prouinciam Narbonensem complexus est, quicquid intra Alpes, mare Mediterraneum, & Oceanum & Rhenum continetur, vno Galliarum nomine comprehendens, & quicquid intra illos fines

situm est, in decem & septem prouincias partitus est, Belgicam primam, Belgicam secundam, Germaniam primam, Germaniam secundam, Lugdunenses quatuor, Maximam Sequanorum, Viennensem, Alpeis Graias, & Pœninas, Alpeis Maritimas, Primam Aquitaniam, Secundã Aquitaniam, Nouempopuloniam. Postea Constãtinus magnus institutis quatuor Præfectis Prætorio, duobus in Oriente, totidem in Occidente. Alterum Occidentis in vrbe Roma, alterum in vrbe Treuerensi collocauit, qui Præfectus Prætorio Galliarum vocatus fuit; & quia per occupationes Imperii in illis vrbibus perpetuo hærere illis non licebat, vicarii aliquot eis attributi sunt, qui eadem potestate prouinciis Ius redderent. Præfecto igitur Prætorio Galliarum tres Vicarii dati. Primo sedes data Treueris. Secundo Lugduni. Tertio Viennæ. Itaq; vt horum vicariorum magna erat authoritas; ita vrbium quoque, in quibus sedem habebant maxima claritas. Treuerensi vicario parebant primæ & secundæ Germania & Belgica, & tota Brittannia Insula. Lugdunensi, quatuor Lugdunenses, cum maxima Sequanorum. Viennensi, primæ & secundæ Narbonensis & Aquitania, Alpeis Graiæ & Pœninæ, Alpes Maritimæ, Nouempopulonia. Totum hoc quod vnius vicarii Iurisdictioni subiacet, Latini quomodo designarunt non memini: sed Græci ἐξαρχίαν, διοίκησιν, πατειὰν vocant. Regnorum vices multa in hac diuisione immutarunt, sed status Ecclesiasticus, tam in Orien-

Oriente quam in Occidente eius integra vestigia hactenus retinuit. Nam ciuitates quæ prouinciis nomina fecerunt Μητροπόλεις vocant, & si in eis sedes fuerit Vicarii, quem ἔξαρχον dicebant, eas non solum μητροπόλεις, sed & ἐξαρχίας & Πατειαρχίας nominant: & Præsules earum ἐξάρχους καὶ πατειάρχας, reliquos μητροπολίτας καὶ ἀρχιεπισκόπους, qui sub se ἐπισκόπους, tantum habet. Nam οἱ ἐξάρχοι sub se præter ἐπισκόπους etiã μητροπολίτας habent: μητροπολίτης vero tantum ἐπισκόπους. In Ecclesia Latina Archiepiscoporũ & nomen & ius manet, & Iurisdictio cánonica in suos Episcopos suffraganeos. Sed ἐξαρχιῶν nulla vestigia exstant: forte quædam vmbra eius fuerit, quod Metropolita siue Archiepiscopus Viennensis Primatem Primatum sese appellat. Eo enim ostendit sub se primates habuisse, qui sub eo essent, Narbonensem Primatem prouinciæ, Bituricensem Primatem Aquitaniæ. Aliter quo modo, & quo iure, Primas primatum diceretur, nisi ratione Diœceseos Vicarii Viennensis Præfecti Prætorio, qui septem prouincias sub se habebat, in quibus prima Narbonensis, & prima Aquitania? Quod vero Lugdunensis Primatem se vocari gaudeat, nuperum est, & illi ex beneficio Romani Pontificis indultum: neque tamen adeo nouum est. Nam Guilielmus Brito in sua Philippeide ita canit.

Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat,
Vi fama est, Primate regi.

At primas Primatum antea dici iure nõ potuit, quia nullam Primam prouinciã sub se habebat.

Viennensis primas quidem Primatum vocari vult, sed caussam tam ille, quam omnis Ecclesia ignorat. Quapropter diuisio Galliarum per Diœceses Ecclesiasticas & Episcopatus, vt omnium antiquissima, ita certissima nobis sequenda erat, neque vlla melior erat quærenda, si integræ illæ ἐξαρχίαι adhuc finibus regni Francorum continerentur, vt olim sub Carolo Magno, & eius filio & nepotibus: Sed quia ex illo amplissimo Imperio multæ prouinciæ detractæ sunt, alia nobis tributio instituenda. Galliæ igitur siue Franciæ imperium octo Tribunalibus temperatur, quæ ius reddunt prouinciis suis, a quibus prouocatio non est, quorumque & maiestas augustissima est & auctoritas sacrosancta. *Parlamenta* Galli idiomate suo vocant; non possumus meliorem nostræ partitionis rationem inire quam si in octo hæc Parlamenta omne Francorum regnum diuidam, & in ea prouincias suas. Per prouincias autem, non vt hodie a Regibus instituuntur, quia quot reges, tot mutationes prouinciarum & nomina, aut regimina eorum oriuntur, sed per Diœceses Ecclesiasticas & Episcopatus procedet diuisio nostra: quia hoc modo non discedemus a prisca Romani imperii notitia; Quod si quidam noui Episcopi instituti sunt, aut metropolitæ; hoc non nocet veteri Romanæ dispositioni: modo constet vnde illi Episcopatus abscissi sint. Nam certum est, quum Episcopatus noui instituuntur, veteres minui tantum ex illis abscissum in nouam diœcesim confertur.

Vetu-

Vetustissimum igitur Tribunal Parisiense est, idque primo vnicum in Regno fuit, & reliqua ad eius exemplum, posterioribus temporibus instituta.

SVB PARISIENSI PARLAMENTO DIOECESES sunt xxx. in his

Archiepiscopatus v. Episcopatus xxv.

Metropoles siue Archiepiscopatus v.

I. Remensis, Dux & primus Par Franciæ. Secunda Belgica, olim Durocortorum Remorum vulgo. *Reims.*

II. Senonensis, Agendicum Senonum; Quarta Lugdunensis *Sens.*

III. Bituricensis. Primas Aquitaniæ. Auaricum Biturigum. Cuborum. Prima Aquitania. *Bourges.* in Decreto Gratiani vocatur *Patriarcha*; & aliquando legimus hunc titulum ipsos Bituricenses præsules vsurpare, sed Foro Iulienſis Episcopus ipse quoque vocatur *Patriarcha*, in vetustissimis Annalibus Franciæ *Paulinus Patriarcha Foroiulienſis obiit.*

IV. Turonensis. Tertia Lugdunensis. *Tours.* Cæsarodunum Turonum. In Ptolemæo male excusum est τυρούνιοι pro τυρόνιοι.

V. Lugdunensis. Lugdunum Segusianorum. Prima Lugdunensis. *Lion.* Hodie Primatus Cleri Gallicani.

Episcopatus XXV.

Episcopatus VIII. suffraganei Remensi Metropolitæ siue Archiepiscopo.

I. Laudunensis, Dux & Par Franciæ, olim Laudunum Clauatum: vulgo *Laon.*

II. Catalaunensis Comes & par Franciæ. *Chalon.*

III. Suessonensis, olim Augusta Suessonum. *Soessons.*

IV. Morinensis. Terona Morinorum Retinet nomen quanquam deleta a Carolo V. Eius Episcopalis sedes Bononiam translata, vbi est Nauale veteribus *Gessoriacus* dictum.

V. Ambianensis. Samarobrina Ambianorum *Amiens.*

VI. Nouiomagensis. Comes & par Franciæ. *Noion.* Nouiomagus Vadicassium Ptolemæo.

VII. Siluanectensis. *Senlis*, Siluanectum.

VIII. Belouacensis. Cæsaromagus Belouacorum. Comes & par Franciæ. *Beauuais.*

Episcopatus VII. sub Metropoli Senonensi.

IX. Parisiensis. Lutetia Parisiorum. *Paris.* Caput totius Francorum regni.

X. Carnutensis. Aictricum Carnutum. *Chartres.*

XI. Aurelianensis. Genabum Aurelianorum. *Orleans.* Inepte vocant *Aureliam.* Temporibus C. Cæsaris hæc vrbs Carnutibus accensebatur, & Aictrico parebat.

XII. Niuernensis. Nouiodunum Niuernensium. *Neuers.*

XIII. Au-

XIII. Autissiodorensis. Autissiodorum. *Auxerre.*

XIV. Tricacensis. Augustobona Tricassium. *Trois en Chãpagne.* vulgo Ecclesiastico *Tresses*, corrupte, vt Nouiomus pro Nouiomagus.

XV. Meldensis. Latinum Medorum, *Meaux.*

Episcopatus VI. sub Metropoli Burdigalensi.

XVI. Pictauiensis. Augustoritum Pictonum. *Poitiers.*

XVII. Maleacensis. Nouus Episcopatus ex monasterio delibatus ex Diœcesi Pictauiensi. *Mailleʒes.*

XVIII. Luxonensis. *Lusson.* Nouus Episcopatus ex monasterio, detractus ex Pictauiensi.

XIX. Enculimensis. *Engoulesme.* Ausonio *Eculisma.*

Episcopatus II. sub Metropoli Turonensi.

XX. Andegauensis. *Angers.* Iuliomagus Andicauorum in Ptolemęo excusum est ὧν δικαῶαι pro ἀνδικαῶαι.

XXI. Cenomanensis. *Le Mans.* Vindicum Aureliorum Cenomanorum.

Episcopatus II. Metropoli Bituricensi.

XXII. Claromontensis. *Clermont.* Augusto-nemetum Aluernorum. Sidonio eius vrbis Episcopo dicitur tantum *Aluernum.*

XXIII. Sancti Flori. *Sainct Flour.* Nouus Episcopatus delibatus ex Claromontensi.

Episcopatus II. sub Metropoli Lugdunensi.

XXIIII. Lingonensis; *Langres.* Dux & par Franciæ. Andomatunum Lingonum.

XXV. Matisconensis. *Masco*n. Matisco Eduorum Cæsar in extremo Commentario.

TRIBVNAL TOLOSANVM Amplissimum institutum a Rege Carolo VII.

habet sub se Diœceses

XXXI. in his.

Archiepiscopatus. III. Episcopatus XXIIX.

Metropoles siue Archiepiscopatus III.

I. Narbonensis. *Narbone*. Narbo Martius. Prima Narbonensis, secunda Viennensis.

II. Auscensis *Auch*. Augusta Auscorum. Nouempopuli. Ciuitas Nouempopulonia. Inepte vulgo Ecclesiastico *Auxitanus Archipiscopus*, pro *Auscior*um aut *Auscorum*.

III. Tolosanus. *Tolose*. Noua Metropolis detracta metropoli Narbonensi, Nouempopuli, quibus nominata est, sunt hi: Conuenę, Consaranni, Bigerrones, Lactoratenses, Vasates, Oloronenses, Lascarienses, Tarbelli, Atirenses; Nam Lapurdenses comprehenduntur sub Tarbellis.

Episcopatus. XXVI.

Episcopatus IX. sub Metropoli Narbonensi.

I. Nemausensis. Nemausus Volcarum Arecomicorum, *Nismes*.

II. Vcetienses. *Vsets*. Vcetiensium ciuitas.

III. Luteuensis. Luteua. *Lodeue*.

IV. Sancti Pontii Tomeriarum. *Sainct Pont de Tomiers*.

V. Aletensis. *Alet*. pro quo in Decreto & Decretalibus aliquando perperam editum est, *Arelatensis*. ciuitas Aletensium.

VI. Ma-

VI. Magalonenſis. *Mompelier.* ab inſula Magalone, vbi prius fuit ſedes Epiſcopalis, in Volcis Arecomicis.

VII. Bitierēſis. *Beſiers.* Bitieræ, aut Biteræ Septimanorum in Aremoricis. Ptolemęo βαιτίεραι.

VIII. Agathenſis. *Agde.* ἀγαθὴ τύχη. a Maſſilienſibus Græcis condita in Volcis Arecomicis.

IX. Carcaſſonenſis. *Carcaſſone.* Carcaſſo Volcarum Tectoſagum.

Epiſcopatus VII ſub Metropoli Bituricenſi.

I. Mimatenſis. *Mende.* Vicus Mimates Gabalorum, vel Gabalitanorum, *Mẽde de Giuauldan.* Nam ſyllabam GA, primam in vocicibus, Galli mutant in GI. Gabalitanum, *Giuauldan*, Gabalum *Gibet.* Garumna, *Gironde*, quam etiam *Gerunnam* vocat Guil. Brito in ſua Philippeide. *Quum poſt retroflunum pelago creſcente Gerunnam.*

II. Caſtrenſis. *Caſtres.* Nouus Epiſcopatus.

III. Albigenſis *Albi.* ciuitas Albigenſium.

III. Anicienſis, *Le pui en Velai*, ciuitas Velaunorum.

VI. Rutenenſis *Rodes.* Segodunum Rutenorum.

V. Vabrenſis. *Vabres.* Nouus Epiſcopatus ex monaſterio, abſciſſus a Rutenenſi.

VI. Cadurcenſis. *Caors.* Diuona Cadurcorum.

Epiſcopatus VII. noui ſub Metropoli nona Toloſa, ex monaſteriis, detracti de diuerſis, partim ſinguli de ſingulis, partim ſinguli de pluribus.

VII. Apamienſis. *Pamies.*

VIII. Mirapicenſis. *Mirepoix.*

xix. Sancti Papuli. *Sainct Papol.*

xx. Montalbenſis. *Montaulban. Sainct Theodard de Montaulban.*

xx. Vaurenſis. *La Vaur.*

xxii. Riuenſis *Riuus.* Riui. Riuenſe monaſterium.

xxiii. Lombarienſis. *Lombes.* Lombarienſe monaſterium.

Epiſcopatus VI ſub Metropoli Auſcorum.

xxiv. Conuenenſis, *Cainct Bertrand de Comenge.* Lugdunum Conuenarum, olim ab exercitu Gunthranni Regis dirutum, & ex eius ruinis Sancti Bertrand Fanu in valle Capraria corſtructum.

xxv. Conſaraunenſis, *Sainct Légier de Conſerans.* Ciuitas Conſarannorum.

xxvi. Tarbenſis. *Tarbe.* Tarba Bigerronum in Notitia Prouinciarum Galliæ male editum *Turba.*

xxvii. Lactoratenſis *Laictoure.*

Epiſcopatus vnicus ſub Metropoli Viennenſi.

xxvii. Viuarienſis. Caſtrum Viuario Albenſium, vel Eluenſium. *Viuiers.* Apud Cæſarem hactenus omnes interpretati ſunt, *Albigenſes.* At Albigenſes ſunt in Aquitania ad flumen Tarnim. Albienſes vel Eu ēſes ad Rhodanum. in Notitia prouinciarum Galliæ ſub prouincia Viennenſi prima: *Ciuitas Albenſium, hoc eſt, Beliſio.* Ridiculum eſt. Nam ſcripti libri habent. *Ciuitas Albenſium, nunc Viuario.* Cæſar profecturus in Gallias per Albenſes tranſiuit in finibus prouinciæ Romanorum.

norum. Atqui, vt diximus, Albigenses non erant in prouincia Romana. Apud Plinium; *Alba Heluiorum* est quæ hodie *Aubenas* vocatur in Viuariensi Diœcesi Ptolemæo ἀλβαύγουστα ἑλικωκίων, vocat *Helicocios*, quos Latini, *Heluios*. Aubenas autem est nomen pluralis numeri Albanates, vt a Tolosa, Tolosates, a Nola, Nolates, in veteri inscriptione.

GRATIANOPOLITANVM TRIbunal a Carolo VII. institutum septēnio postquam Tolosanum institutum, vulgo Parlamentum Delphinatus. habet Diœceses VII. in his:

Archiepiscopatus II. Episcopatus V.

Metropoles siue Archiepiscopatus II.

I. Viennensis. *Vienne.* Vienna Allobrogum. Prima Viennensis.

II. Ebrodunensis. *Ambrum.* Ebrodunum Alpium maritimarum. Quarta Viennensis. Ebrodunum Caturigum. Aliud est Ebrodunum in finibus Heluetiorum, *Iuerdun.*

Episcopatus V.

Episcopatus III. sub Metropoli Viennensi.

I. Valentinus. *Valence.* Valentia Segalaunorum, non autē Cauarum, vt est apud Pliniū.

II. Diensis. *Die.* Augusta Dia Vocontiorum in vet. inscriptione. Hæ duæ diœceses ab vno Episcopo reguntur; & tamen separatæ sunt, neq; altera alterius iura vsurpat. In aliis Cod. dicitur DEA non DIA. & in Notitia Prouinciarum ex vestigiis priscæ lectionis videmus odorari *Ciuitas Deensium*, vbi hodie vitiose excusum: *Ciuitas Athensium*. Et

omnino *Deensium* legendum, vt diximus; quia alioquin hæc ciuitas desideraretur.

III. Gratianopolitanus. *Grainople*: a Gratiano Imperatore, ita dicta, quum antea Culato vocaretur, vt in duabus egregiis inscriptionib. legimus. In epist. Planci ad Ciceronem, quæ incipit, *Nunquam mehercule*, in fine. ita editum vulgo. *Octauo Eidus Iunias Cinarone in finibus Allobrogum.* vbi legendum *Culrone.* In notitia Imperii ita excusum est. *In prouincia Gallia Riparensi, Tribunus cohortis primæ Flauiæ Sapaudiæ Calarone.* vbi legendum quoque *Culronæ* aut *Culrone.* Gratianopolis igitur est sedes ampliſſimi Senatus Delphinatensis ad flumeu Isaram sita, cuius fluminis non semel meminit Plancus ad Ciceronem. Territorium illius vrbis, vel potius ager suburbicarius vocatur *Graisiuouldan* a vulgo Delphinatiũ, voce corrupta ex Gratianopolitano.

Episcopatus vnus sub noua Metropoli Arelatensi.

IV. Tricastinensis. *Saint Antoni de Tricastin.* Augusta Tricastinorum, alia ciuitatem ponit Ptolemæus, *Iuliomagum Tricastinorum.*

Episcopatus vnus sub Metropoli Aquensi.

V. Vapincensis, *Gap.* Vapingum. Territorium dicitur *Gapencois.*

TRIBVNAL BVRDIGALENSE institutũ primo a Carolo VII. annis 6. post Tolosanũ. Quum autẽ per populares factionis Anglicę rebellassent Burdigalẽses, armis iterũ a Carolo Burdigala recepta mutilati sunt priuilegiis suis, & Tribunali, & a decuria Senatus Parisiẽsis

tandiu

tamdiu recti sunt, donec Ludouicus XI. iterum Tribunal restituit. Hinc factum, vt Senatus Burdigalensis, qui antea tempore Gratianopolitanum antecedebat, nunc posterior sit. Est quartus in ordine suprem orũ Senatuum Galliæ. Habet sub se.

Archiepiscopatus I. Episcopatus XI.

Metropolis vel Archiepiscopatus I.

I. Burdigalensis. *Bourdeaux.* Burdigala Biturigium Viuiscorum. Secunda Aquitania.

Episcopatus IV. *sub metropoli Auscorum*

I. Baionensis. *Baionne.* Baiona Lupurdensium in Tarbellis. Nam totus ille tractus syrtium, quas *Landas* vocant, dicitur *Lapurdum*, Sidonio. Hodie *Labord.*

II. Aquensis. *Aqs.* Aquæ Tarbellicæ, Aquę Tarbellorum.

III. Vasatensis. *Basats.* Vasconice B. pro V. Cossio Vasatum.

IV. Adurensis *Aire.* Atyrensium ciuitas, vel Aturensium, a flumine Atyro vel Aturo, vide lectiones Ausonianas.

Episcopatus V. *sub Metropoli Burdigalensi.*

V. Xantonensis, *Saintonge.* Mediolanum Xantonum, vel Santonum.

VI. Petrocorien sis. *Perigueux.* Vesuna Petrocoriorum. Etiam hodie vetus opidum illius ciuitatis vocatur Vesuna: & turris vetustissimę structuræ.

VII. Sarlatensis. *Sarlat.* Nouus Episcopatus, detractus Petrocoriensi.

VIII. Aginnẽsis. Agen. Aginnum Nitiobrigum.

in Plinio male excusum *Antobroges*, *Tarneg amne diſcreti a Toloſanis*. Legendum enim, *Nitiobriges Tarne amne*. Vide lectiones Auſonianas. In libro Hieronymi de Claris ſcriptoribus dicitur *Agennum*, vt vulgo, ſed Ptolemæo & Auſonio *Aginnum*, per I.

IX. Condomienſis, *Condom*. Nouus Epiſcopatus in pago Aginnenſi vltra Garumnam, ex monaſterio delibatus de Aginnenſi.

Epiſcopatus II. *ſub Metropoli Bituricenſi.*

X. Lemouicenſis. *Limoges*. Ratiaſtum Lemouicum.

XI. Tutelenſis, *Tulle*. Nouus Epiſcopatus ex monaſterio, deminutus de Lemouicenſi.

TRIBVNAL AQVENSE INSTITUTUM A LUDOVICO XII. SUB EO SUNT DIŒCESES XIII. IN HIS,

Archiepiſcopatus II. Epoſcopatus XI.

Metropoles ſiue Archiepiſcopatus II.

I. Aquenſis *Aix*. Aquæ Sextiæ Salyorum. Secunda Narbonenſis. Tertia Viennenſis. Sedes Parlamenti.

II. Arelatenſis, *Arles*. Arelate Salyorum. Arelate Sextanorum. Noua metropolis, neque mihi conſtat, quando inſtituta. Nam ante trecentos annos erat ſub Viennenſi.

Epiſcopatus XI.

Epiſcopatus V. *ſub Metropoli Ebredunenſi.*

I. Dinienſis. *Dine*. Dinia Sentiorum, aut Ebrodantiorum.

II. Cra-

II. Grassensis. *Grasse*,

III. Glandatensis. *Glandeue*. Glannate.

IV. Sanitiensis. *Senas*. Sanitium Vesdiantiorum in Alpibus maritimis.

V. Ventiensis. *Sainct Paul de Vences*. Ventium Nerusiorum in Alpibus maritimis.

Episcopatus VI. *sub Metropoli Aquensi.*

VI. Aptensis. *Apt*. Apta Iulia Vulgientium. male *Athensium* in Notitia Prouinc. pro *Aptensium*.

VII. Reiensis. *Ries* Male apud Sidonium & alios *Regiensis*. Ciuitas Reiensium.

VIII. Foroiulienſis, *Feriuls*. Forum Iulium, Octauanorum Colonia, Pacensis, Classica.

IX. Cesteronensis. *Cisteron*. Ciſtero. Excusum tamen *Cessero*, in Notitia Prouinciarum. Segesteriorum ciuitas.

Episcopatus II. *sub noua Metropoli Arelatensi.*

X. Massilia. *Marseille*. vrbs Græcorum Phocæensium.

XI. Telonensis, *Tolon*. Telonum.

TRIBVNAL DIVIONENSE institutum a Ludouico XII. sub eo duo Episcopatus. *Diuio Castrum* vocatur in Martyrologiis vetustissimis.

Episcopatus II. *sub Metropoli Lugdunensi.*

I. Augustodunensis. *Austun*. Augustodunum Eduorum.

II. Cabillonensis, *Challon sur Saone*. ita scribi debet Gallice, non *Chaallon*. Nam hoc est, Catalaunum, Caballinum, vel Caballionum Eduorum.

TRIBVNAL ROTOMAGENSE institutum a Ludouico XII. sub quo Diœceses VII. quarum

Archiepiscopatus I, Episcopatus VI.

Metropolis siue Archiepiscopatus I.

I. Rotomagensis. *Rouen.* Rotomagus Venellocassium. Secunda Lugdunensis. Sedes amplissimi Senatus Normanniæ.

Episcopatus VI. *sub Metropoli Rotomagensi.*

I. Abrincantensis. *Aurenches.* Ingena Abrincantorum.

II. Ebroicensis. *Eureux.* Mediolanum Aulercorum Eburouicum.

III. Baiocensis, *Baieux.* Baiocasses.

IV. Saiensis, *Sais.* Saiorum ciuitas.

V. Constantiensis, *Contances.* Constantia.

VI. Lexouiensis, *Lisieus.*

TRIBVNAL REDONENSE IN Britonibus Aremoricis institutum ab Henrico II. memoria nostra, sub eo sunt Diœceses IX. omnes Episcopatus sub Metropoli Turonensi:

I. Briocensis, *Sainct Brieu.*

II. Machlouiensis, *Sainct Malo.*

III. Leonensis, *Sainct Paul de Leon.*

IV. Nannetensis, *Nantes.* Condiuienum Nannetum.

V. Venetensis, *Vannes.* Veneti satis noti Commentariis C. Cæsaris.

VI. Tricorensis, *Triguier. Landtriguier.*

VII. Curosopitensis. *Cornouaille.*

VIII. Dolensis. *Dol.* Hic Episcopus habet ius Pallii, & ideo locũ habet inter Archiepiscopos.

IX. Rhe-

IX. Rhedonensis. *Renes.* Condate Redonum.

Sedes Parlamenti Britanniæ Aremoricæ.

Atq; hi quidē sunt VII. ampliſſimi Senatus Franciæ. Sed accreuit ditioni Regis Franciæ Senatus supremus Benearensis, Christianiſs. Henrico Rege Nauarræ capeſſente ſceptrum Regni Franciæ iure ſucceſſorio. Tamen Benearnensis principatus ſemper ſeparatus fuit a ditione Francorum, & eodem iure fuit, quo regnum, quod eſt optimo maximo iure, id eſt, nulli ditioni ſubditum.

BENEARNENSE TRIBVNAL ab Hērico Rege Nauarræ Christianiſſimo Henrici IV. auo materno inſtitutum in Caſtro Palo. ſub eo ſunt Diœceſes II. Vterque Epiſcopatus, ſub Metropoli Auſcorum.

I. Laſcarienſis. *Leſcar.* ciuitas Laſcarienſium.

II. Oloronenſis. *Oleron.* Oloronenſis ciuitas.

TRIBVNAL MEDIOMATRICIS vrbis habet Diœceſes III. Omnes ſub Metropoli Treuerenſi

I. Mettenſis. *Metz.* Diuiodunum Mediomatricum. Olim ſedes Regni Lotaringiæ. Luitprandus. *Mettenſem vrbem, quæ potentiſſima in regno Lotarii claret*, Regnum Lotarii: Lotarriick. Lotaringiam vocant.

II. Tullenſis, *Toul.* Tullum Leucorum.

III. Virdunenſis. *Verdun.* Verodunum. in veteribus Conciliis Gallicanis aliquādo Epiſcopus *Veronenſis*, perperam legitur, pro *Verodunenſis.* Alii Verdunum ſcribunt.

Igitur hodie sub ditione Christianissimi Francorum Regis sunt Diœceses CXVI. in quibus CII. Episcopatus. XIIII. Archiepiscopatus. Quia igitur nulli fines prouinciarũ certi sunt, Regibus pro arbitrio omnia mutantibus, ideo nobis hæc tributio omnium expeditissima visa est, quam iure secuti sumus.

Præter Diœceses CXVI, quæ hodie sub ditione sunt Regis Francorum, aliæ V sunt intra fines imperii Gallicani, & tamen sunt extra ditionem Francorum: quatuor nempe in Comitatu Venitiæ, id est, Auenionensi: & vna extra Comitatum.

COMITATVS AVENIONENsis siue Venitiæ Diœceses habet IV, sub ditione Pontificis Romani. in quibus,

Archiepiscopatus I. Episcopatus III.

Metropolis siue Archiepiscopatus I.

I. Auennio. Metropolis noua. *Auignon.* Auenio Cauarum. Pontifices Romani instituerunt hanc Metropolin, quum antea suffragaretur Viennæ, vt & tres reliquæ ciuitates.

Episcopatus III. *sub Metropoli Auenionensi.*

I. Carpentoractensis. *Carpentras.* Carpentoracte Meminorum.

II. Cabillionensis. *Cauaillon du Comtat.* Cabillio Cauarum, Colonia.

III. Vasionensis. *Vaison.* Vasio Vocontiorum.

Extra Comitatum Auenionensem Episcopatus est.

Arausionensis, *Orange*, *Aurange* indigenis, vulgo inepte Auraſio & Auraica: Arausio Cauarum. Hic Principatus habet hodie proprium

prium Dynastam seu principem ex gente illustrissima Nassawia.

Quia vero initio huius Diatribæ mentionem fecimus quas in XVII. Prouincias Augustum tribuisse monuimus, non possumus sine piaculo ipsas prouincias transire, partim vt eam diuisionem proponeremus, partim vt notitiam earum prouinciarum, quæ mirifice deprauata circumfertur, ex veteribus Codicibus emendatam posteritati daremus. Scitò quicquid discrepat ab excusis, id a scripta lectione esse.

NOTITIA PROVINCIARVM GALLIÆ.

PROVINCIA LVGDVNENSIS PRIMA.

Metropolis. Ciuitas Lugdunensium, *L' Archeueſche de Lion.*

Ciuitas Eduorum, hoc est, Augusto dunum, *l' Eueſche d' Auſtun.*

Ciuitas Lingonum, *l' Eueſche de Langres.*

Castrum Matisconense, *l' Eueſche de Maſcon.*

Castrum Caballionense. *L' Eueſche de Challon ſur Saoſne.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS SECVNDA.

Metropolis. Ciuitas Rotomagensium, *L' Archeueſche de Rouen.*

Ciuitas Baiocassium, *l' Eueſche d' Baieux.*

Ciuitas Abtrincatorum, *l' Eueſche de Aruanches.*

Ciuitas Saiorum. *L' Eueſche de Sez ou Sais.*

Ciuitas Lexouiorum, *L' Eueſche de Liſieux.*

Ciuitas Conſtantienſium, *L' Eueſche de Contances.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS TERTIA.

Metropolis. Ciuitas Turonorum, *L' Archeueſche de Tours.*

Ciuitas Cennomannorum, *l' Eueſche du Mans.*

Ciuitas Redonum, *l' Eueſche de Rennes.*

Ciuitas Andegauorum, *l' Eueſche de Angiers.*

Ciuitas Nannetum, *l' Eueſche de Nantes.*

Ciuitas Curoſopitorum, *l' Eueſche de Cournouaille.*

Ciuitas Ciantium. Id eſt, Venetorum, *L' Eueſche de Vennes ou Vannes.*

Ciuitas Oſiſmiorum.

Ciuitas Diablintum. Id eſt, Carifes.

PROVINCIA LVGDVNENSIS QVARTA.

Metropolis. Ciuitas Senonum, *L' Archeueſche de Sens.*

Ciui-

Ciuitas Carnotum, *l' Eueſche de Chartres.*

Ciuitas Autiſiodorum, *l' Eueſche de Auxerre.*

Ciuitas Trecaſſium, *l' Eueſche de Trois.*

Ciuitas Aurelianorum *l' Eueſche de Orleans.*

Ciuitas Pariſiorum, *l' Eueſche de Paris.*

Ciuitas Meldorum, *l' Eueſche de Meaux.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS QVINTA.

Metropolis. Ciuitas Criſpolinorum, Id eſt Veſuntio *L' Archeueſche de Beſancon.*

Ciuitas Equeſtrium. Id eſt Neuidunum. *La ville de Nion, entre Geneue & Lauſanne.*

Ciuitas Eluicorum. Id eſt Auenticum. *Auanches.*

Ciuitas Baſilienſium.

Caſtrum Viridunenſe.

Caſtrum Ebrodunenſe.

Caſtrum Argentarienſe.

Caſtrum Rauricenſe.

Portus Abucina.

PROVINCIA BELGICA. PRIMA.

Metropolis. Ciuitas Treuerorum, *L' Archeueſche de Treues.*

Ciuitas Mediomatricum, hoc est Metis, *L'Eueſche de Mets.*

Ciuitas Leucorum, id est, Tullo- *L'Eueſche de Toul.*

Ciuitas Verdonenſium. *L'Eueſche de Verdun.*

PROVINCIA BELGICA.

SECVNDA.

Metropolis. Ciuitas Remorum. *L'Archeueſche de Reims.*

Ciuitas Sueſſonum, *l'Eueſche de Soiſſons.*

Ciuitas Catalaunorum. *l'Eueſche de Chaalion.*

Ciuitas Veromanduorum. *La ville de Sainct Quentin en Vermãdois.*

Ciuitas Atrebatum, *l'Eueſche de Arras.*

Ciuitas Cameracenſium, *l'Eueſche de Cambrai.*

Ciuitas Tornacenſium. *L'Eueſche de Tournay.*

Ciuitas Siluanectum, *L'Eueſche de Senlis.*

Ciuitas Bellouacorum, *l'Eueſche de Beauuais.*

Ciuitas Ambianenſium, *l'Eueſche d'Amiens.*

Ciuitas Morinorum, id est, Pontificum. *L'Eueſche de Teroüane.*

Ciuitas Bononienſium, *La ville de Boulogne ſur mer.*

PRO-

PROVINCIA GERMANIA PRIMA.

Metropolis. Ciuitas Magotiacensium.

Ciuitas Argentoratensium. Stratiburgo.

Ciuitas Nemetum, Id est, Spira.

Ciuitas Vuangionum, Id est, Warmacia.

PROVINCIA GERMANIA SECVNDA.

Metropolis. Ciuitas Agrippinensium, hoc est, Colonia.

Ciuitas Tungrorum. *La ville de Tungres.*

PROVINCIA VIENNENSIS PRIMA.

Metropolis. Ciuitas Viennensium. *L' Archeuesche de Vienne.*

Ciuitas Geneuensium, *l' Eueſche de Geneue.*

Ciuitas Gratianopolitanorum, *L' Eueſche de Grainople.*

Ciuitas Albensium, nunc Viuario, *l' Eueſche de Viuiers.*

Ciuitas Deensiũ, *l' Eueſche de Die.*

Ciuitas Valentinorum, *de l' Eueſche de Valence.*

Ciuitas Tricaſtinorum. *L' Eueſche de Sainct Antoni de Tricaſtin.*

Ciuitas Vaſionensium, *l' Eueſche de Vaiſon.*

Ciuitas Arauſicorum, *l'Eueſche de Aurange.*

Ciuitas Carpentoracteſium, nunc Vindauſica, *l'Eueſche de Carpentras.*

Ciuitas Caballicorum, *l'Eueſche de Cabaillon.*

Ciuitas Auennicorum. *L'Archeueſche de Auignon.*

Ciuitas Arelatenſium, *L'Archeueſche de Arles.*

PROVINCIA VIENNENSIS. SECVNDA.

Metropolis. Ciuitas Narbonenſium, *L'Archeueſche de Narbonne.*

Ciuitas Toloſatium, *L'Archeueſche de Toloſe.*

Ciuitas Agathenſium, *l'Eueſche de Agde.*

Ciuitas Aletenſium, *l'Eueſche de Alet.*

Ciuitas Beterienſium, *l'Eueſche de Beziers.*

Ciuitas Magalonenſium, *L'Eueſche de Magalone, ou Mompelier.*

Ciuitas Nemauſenſium, *l'Eueſche de Niſmes.*

Caſtrum Luteua, *l'Eueſche de Lodeue.*

Caſtrum Vcetienſe, *l'Eueſche de Uſetz.*

PRO-

PROVINCIA VIENNENSIS TERTIA.

Metropolis. Ciuitas Auenſium, *L'Archeueſche d'Aix.*

Ciuitas Reienſium, id eſt Reius, *L'Eueſche de Ries.*

Ciuitas Aptenſium, *l'Eueſche de Apt.*

Ciuitas Foroliuienſium, *l'Eueſche de Fereuls.*

Ciuitas Vapincenſium, *L'Eueſche de Gap.*

Ciuitas Segeſteriorum, *l'Eueſche de Siſteron.*

Ciuitas Antipolitana, *La ville de Antibe, ou Antibol.*

PROVINCIA VIENNENSIS QVARTA.

In Alpibus Maritimis.

Metropolis. Ciuitas Ebrodunenſium, *L'Archeueſche de Ambrun.*

Ciuitas Dinienſium, *l'Eueſche de Dine.*

Ciuitas Rigomagenſium.

Ciuitas Sollinienſium.

Ciuitas Sanicienſium, id eſt, Sanici, *L'Eueſche de Senas.*

Ciuitas Glannatena, *L'Eueſche de Glandeues.*

Ciuitas Cemeleuenſium.

Ciuitas Vencienſium, *l' Eueſche de Sainct Paul de Vences.*

PROVINCIA VIENNENSIS QVINTA.

Alpium Graiarum Peninarum.

Metropolis. Ciuitas Centronum, Id eſt. Tarantaſia, *L' Archeueſche de Tarantaiſe.*

Ciuitas Vallenſium, Id eſt, Octodurum. *Sainct Maurice.*

PROVINCIA AQVITANIA. PRIMA.

Sexta Viennenſis.

Metropolis. Ciuitas Biturici vel Betorigorum, *L' Archeueſche de Bourges.*

Ciuitas Aruernorum, *l' Eueſche de Clermont en Auuergne.*

Ciuitas Rutenorum, *l' Eueſche de Rodes, ou Rodais.*

Ciuitas Albigenſium, *L' Eueſche d' Albi.*

Ciuitas Cadurcorum, *l' Eueſche de Cuors.*

Ciuitas Lemouicum, *l' Eueſche de Limoges.*

Ciuitas Gabalorum, *Le pais de Giuauldan.*

Ciuitas Velaunorum, *Le pais de Velai.*

PRO-

PROVINCIA AQVITANIA SECVNDA.

Septima Viennensis.

Metropolis. Ciuita Burdegalensium, *L'Archeueſche de Bourdeaux.*

Ciuitas Agennensium, *l'Eueſche d'Agen.*

Ciuitas Ecolismensium, *l'Eueſche d'Engoulesme.*

Ciuitas Santonum, *l'Eueſche de Saincles.*

Ciuitas Pictauorum vel Pectauorum, *l'Eueſche de Poitiers*

Ciuitas Petrogoriorum, *L'Eueſche de Perigueux.*

PROVINCIA AQVITANIA TERTIA. NOVEMPOPVLANA.

Octaua Viennensis.

Metropolis. Ciuitas Auſciorum, *L'Archeueſche d'Auch.*

Ciuitas Aquensium, *l'Eueſche d'Aqs.*

Ciuitas Locturatium, vel Lasloracium, *L'Eueſche de Lactoure.*

Ciuitas Conuenarum, *L'Eueſche de Cominges.*

Ciuitas Consarannorum, vel Consorannorum, *l'Eueſche de Conſerans.*

Ciuitas Boatum, id est, Borus, *Le pais de Buchs.*

Ciuitas Benearnensium, id est Benaanus, *Le pais de Bearn.*

Ciuitas Aturensium, *l' Eueſche de Aire.*

Ciuitas Vaſatica, *l' Eueſche de Baſats.*

Ciuitas Tarba, vel caſtrum Begorra, *l' Eueſche de Tarbe de Bigorre.*

Ciuitas Eloronensium, *l' Eueſche de Oleron en Bearn.*

Ciuitas Eluſatium, *La ville & pais de Euſeen Gaſcogne.*

Hæ ſunt XVII. Prouinciæ, in quas Auguſtus Cæſar Gallias diuiſit, & in quibus Conſtantinus Magnus alia officia & Magiſtratus conſtituit. Prouincia aliquando dicitur Diœceſis: Epiſcopatus autem, qui in ea continentur, aliquando etiam dicuntur Parochiæ. in Proclamatione Caroli Calui, *Tullenſis Parochia*, pro Epiſcopatu, aut vrbe ipſa Epiſcopali, poſitum eſt.

QVÆDAM LOCA IN C. Iulii Cæſaris, COMMENTARIIS DISCVSSA.

Multa ſunt in Commentariis Belli Gallici apud C. Cæſarem, quæ nondum explorata ſunt, multa etiam quæ male ad veteres appellationes relata, quæ nos caſtiganda ſuſcepimus. Obſcuritatem enim peperit duplex appellatio locorum apud veteres, vt Scaldis & Tabuda idem eſt.

est. Phrudis & Sumina, *La riuiere de Somme*, Obrinca & Mosella; Araris & Sagona, Brutuspantium & Cæsaromagus *La ville de Beauuais*. Bononia maritima & Gessoriacus. Item nomina populorum pro ipsa vrbe, vt Parisiii pro Lutetia. Turones pro Cæsaroduno; Aureliani pro Genabo, & alia similia. Nos pauca sed magis necessaria in Cæsare delibabimus.

ATVATICI. Atuaticum est vrbs Tungrotum quæ hodie *Tungres* dicitur, quum a Barbaris vastata esset, Episcopatus translatus fuit in Traiectum Mosæ vulgo *Maestricht*: sed & illa quoque vrbe a Normannis incensa Episcopatus in vicum Sanct. Lamberti traductus, qui hodie Leodium dicitur, id est Hominium, quia esset de hominio & feudo Episcopi Tungrensis. In Conciliis Gallicanis *Episcopus Traiectensis* pro Tungrorum Episcopo legitur. Caue intelligas Traiectum Rheni vulgo *Vtrecht*. Bekkeselenus, quo nullus mortalium magis abusus est & ingenio & otio suo, multum sudat, vt persuadeat Atuaticos Cæsaris esse Antuerpiam. Hoc verum fuerit, si quidem Antuerpia eadem cum Tungrorum vrbe esse potest. Sed nugas Bekkeselenicas missas faciamus. Antuerpiæ vetustiorem mentionem non inuenio, quam in Annalibus vetustis Franciæ editis a Pithœo nostro, in quibus sub annum Christi 10 CCCXXXV. legimus, *Normanni Aduuerpiam ciuitatem incendunt*.

AGENDICVM, *La ville de Sens*, non autem *Prouins*, vt stulti.

Avaricvm. Stulti putant esse opidum Bituricensis Dioceseos nomine *Viarons*. Sed hæc iam confutata sunt, & nemo est hodie paulo humanior, qui ignoret Auaricum Cæsaris esse vrbem Metropolim Biturigum; quæ *Bourges* dicitur.

Avsci. *Auch*, vt supra diximus. Nam imperite faciunt, qui Auxitanos vocant.

Bellicassi. apud Cæsarem male pro Baiocassi qui & Baiocasses, *Baieux*.

Bigerrones. in Notitia Ptouinciarum, ciuitas Bigerronum vocatur *Tarba*, vt hodie, sed male excusum est *Tursa* & *Turba*. Marlianus insanit qui ait ibi hanc Tursam esse, & Castrum Bigorram, vbi est Episcopatus Biterensis prouinciæ Narbonensis, quæ sententia non est sobrij capitis.

Bitvriges. Duplices sunt, cognomentis distincti. Bituriges Cubi quorum metropolis Auaricum primæ Aquitaniæ. Bituriges Vibisci aut Viuisci, quorum Metropolis Burdegala, secunda Aquitania. Vtraque ciuitas Libera sub Romanis.

Bratvspantivm. Ciuitas Bellouacorum sub Cæsaribus Romanis transnominata Cæsaromagus, *Beauuais*.

Caeillonvm. Vide in Tribunali Diuionensi supra.

Cadvrci. eorum ciuitas Diuona, *Cahors en Quercy*.

Caletes. *Le bailliage de Caux en Normandie*.

Can-

CANTABRI. *Le pais des Basques.*

CADVACI. Lege *Atuaci.* Vide supra, Atuatici.

CATVRIGES. Sunt Alpes maritimæ, metropolis Ebrodunum, *les Alpes d'Ambrun.*

CENTRONES. *Les Alpes de Tarentaise.* Græiæ peninæ Alpes.

CVRIOSOLITÆ. in Notitia Prouinciarum & in libro fisci Romani Curiosolitæ, *Cornouaille.*

EBVRONICES. *L'Eueschè d'Eureux en Normandie.*

ELAVER. *Allier*, ingens fluuius qui Ligeri excipitur.

ELVSATES. ita legendum non *Flussates*, vide lectiones Ausonianas cap. 7. lib. 2. *La ville d'Euse en Gascogne.* Hinc oriundus erat Rusticus ille præpotens insidiator imperii Romani, in quem exstant duo ψογοστάτικα poemata Claudiani: in priore ita legimus.

Inuadit muros Elusa, notissima dudum
Tecta pesens. Quod E, media Syllaba corripiatur, pronuntiatio Vasconica id ostendit, quæ *Eluſa* tanquã *Elſa* effert. Nam L, ante consonantem, non solũ Vascones in v, semper conuertunt, sed & Franci & maior pars Teutonismi inferioris. Qui *Flussates* legebant, dicebant esse Comitatum de Foxio, & hoc stupore suo perisuaserunt illustri viro nomen *de Foix* in *Flussatem* recudere. quo nihil absurdius. Nã aliud est *Franciscus de Flussa*, aliud *Franciscus Elussus*, nam *de Flussa* esset verũ cognomẽ familiæ, sed *Flussas* esset nomen nationis. Itaque *Franciscus Flussas*

esset natione *Flussas*, non de familia de Flussa. Sed Flussa non est *Foix*. Nam id esset *Foxium*, aut aliud quiduis potius quam *Flussa*.

GABALI. *Lepois de Giuauldan*. Marlianus dicit, quondam fuisse Prouinciæ Bituricensis, nunc vero Prouinciæ Arelatensis. Certe & nunc quoque est Prouinciæ Bituricensis. Sed inter Gabalos & Prouinciam Arelatensem longa via diuidit inuia terris, & ridicula sunt hæc.

GARVMNA. retinet nomen semper. Sed integrum a capite ad Blauiam Castrum, vbi lingua Francica incipit. nam tunc pro *Garonne* dicitur *Geronde*, & *Gironde*. vide supra in Tribunali Tolosano, in ciuitate Mimatensi. Excipit nauigeros fluuios Tarnim: Olitem, siue Oldum, *Ooldt*, aut cum articulo *L'oldt*. Duranium Ausonio: *Dordoniam* apud Greg. Turonensem. *La Dordogne*, vnum ex præcipuis non solum Aquitaniæ sed & totius Galliæ fluminibus.

GEBENNA. Scribendum *Cebenna* per C. *Les Cebenes & Cenenes*.

GENABVM. Qui negant Aurelianensium vrbem esse, habent opposita veri vestigia apud Cæsarem, & multa alia argumenta: Nam quo nomine vocandi sunt, qui *Gian* esse putant?

GENEVA. media corripi debet, vt in Elusa: quia non solum Helueticus Germanissimus offendit, qui *Genff* vocat; sed etiam docentipsi rustici suburbicarii, & reliqui Sabaudi, qui *Zenauam*, accentu in prima enuntiant. Sed Gallorum proprium est, mediam correptam producere,

ducere, vt in *publique*, *facile*, quæ Latine corripitur.

GERGOVIA. Supersunt quædã vestigia cum veteri appellatione, aliquot stadiis ab vrbe Claromontensi Aruernorum abest.

HELVII. diximus supra esse *Le pays de Vivarais*. vbi Alba Heluiorum sine dubio *Albenas*, id est, Albanates. Cæsar trans-Rhodanum dicit esse & extra prouinciam Romanam, proximos Aluernis & Cebennis montibus.

ITIVS. est Promontorium prope Bononiam Maritimam. Nauale autem dicitur Gessoriacus, & delirant qui aliud volunt esse a Nauali Bononiensi. Nam multa aduersus eorum pertinaciam obiici possunt. At qui Itium opidum *Cales* esse putant, nullo negotio refelluntur a Ptolemæo, qui prius ponit Itium, deinde Gessoriacum, a quo opidum *Cales* distat plus quam viginti millibus passuum, hoc est, Leucis Belgicis VII.

LEMOVICES. *Les pais & Seneschaussee de Limosin*, vrbs eorum Ratiastum. Sed commentario VIII. vbi vulgo editum est *ad opidum Lemouicum contendit*. Legendum *Lemonum*. cuius opidi mẽtio in Itinerario Antonini & apud Ptolemæum.

LEXOVII. *L'Eueschè & pays de Lisieux en Normandie*.

LIGERIS. eius caput est in pago Velauno & vulgo dicitur *La font de Leire*, hoc est, fons Ligeris. Excipit ingenteis & nauigiorum patientes fluuios non paucos, in quibus Eluuionum

æmulum ipsi, neque magnitudine cedentem, & magis pisculentum. Carum vel Carem, vt habet Fortunacianus, vulgo *Le Cher*. Item Vigennam, *La Viane*, *La Vignane*, & alios præterea.

LVTETIA. Græcis λδκοτεκία, λευτεκία.

MATISCO. *L'Eueſche de Maſcon.*

MATRONA. *Marne*, ingens flumen, neque minus ipso Sequana.

MEDIOMATRICES. posterioribus temporibus vrbs Mediomatricum vocata est Metæ, & vulgo nomen retinet, quum antea Diuiodunum ei nomen esset.

MELODVNVM, hoc nomen perperam excusum est apud Cæsarem bis, pro quo veteres omnes scripti Codices habent *Metiosedum*. Verum quidem est Melodunum & Metiosedum vnum idemque opidum esse, sed Melodunum posterius est Hodie *Melun* in Insula Sequanæ instar Lutetiæ Parisiorum. Aliud Melodunum, vel vt alibi reperio Meliodunum, in agro Bituricensi vulgo *Meun*. Alii pro *Metiosedum* legunt *Iosedum* & *Corbeil*. interpretantur, quibus bonam mentem precamur.

MENAPII. Strabo cum Morinis continuat in maritimis Belgii, & Cæsar quoque indicat ibi esse. Denique Ptolemæus collocat ad ostia Mosæ. Non sunt igitur Gueldrii, neque qui sapiunt hoc concedent. Sed pars hodiernæ Hollandiæ & Brabantiæ maritimæ (vel potius secundum Strabonem ora Flandriæ maritimæ) sunt veri Menapii, & Menapiscus pagus dicitur in Ca-

in Capitulariis Caroli Magni pro Flandrię Comitatu Nunquam persuaderi nobis potuit Menapios esse Gueldrios.

MORINI. eorum vrbs Teroana diruta a Carolo v.

NANTVATES. Caue credas esse Monasterium hoc nomine in Sabaudia, vt quidam non sana capita volunt. Sunt ii in quibus pagus Octodurus est. id est, sanctus Mauritius, cuius rei fidem faciunt monumenta Passionis legionis Thebæorum, in quibus Octoduri mentio est: Octodurum autem a Cæsare in Veragris proxime Nantuatibus collocatur. Quidam legunt *Antuates*, sed qui Nantuates ad Arionium lacum cõstituunt, & Constantienses esse dicunt, non minus desipiunt quam qui Monasterium illud Benedictinorum interpretantur.

NITIOBRIGES. *Le Pais & Seneschauſſee d'Agenois.* Eorum Ciuitas Aginnum Ausonio, Ptolemæo: Agennum Hieronymo, Greg. Turonensi, aliis. Si vis ridere, lege quæ hactenus omnes de his delirarunt, quorum alii *Mompelier* esse dicunt, qui locus vi. dierum itinere distat a Nitiobrigibus. Alii *Engouleſme* somniant. Alii iubent pro *Aginno* legendum esse *Ageſinates*. Et quo non processit audax insciti a?

NANNETES. *Nantes.* Videin Tribunali Aremorico.

NERVII quemadmodum certo nobis constat non esse Tornacenses, quod vulgo persuasum est, ita quinam sint, & quo nomine hodie appellentur haud temere affirmarim.

Noviodvnvm ad Ligerim *Neuers*. Noviodunum Niuernensium, vt in quadam notitia prouinciarum Galliæ legimus, quæ penes Iurisconsultum magnum Cuiacium erat, & iam multis cõiecturis nobis exploratum ante erat. Noviodunum istud Eduis proximum ciuitatē Niuernensium: in cuius opidi inuestigatione multi multa nugati sunt. Alia duo opida hoc nomine memorat Cæsar, sed nobis ignota. Nam nugatoribus iurantibus non credimus. Quartum præterea est, quod ciuitas Equestrium dicitur, & nomen retinet ad Lemannum lacum, dicitur enim *Nion*. Nam longe falluntur qui Geneuam Equestrium ciuitatem esse credunt, quia quædam vetus inscriptio Geneuensis, vt aiunt, eius mentionem fecerit. Hoc modo quot nominibus Roma vocanda esset, in qua tot monumenta & saxa hodie exstant, quæ tot vrbium mentionem faciunt? Denique prouincia Sequanorum, in qua Ciuitas Equestrium est, est in sinistra ripa Lemanni, Geneua in dextra, in prouincia Viennensi, & quod caput est, *Noviodunum ciuitas Equestrium*, dicitur in Manuscripta prouinciarum Notitia: quamquam ibi positum est *Neuiduno*, quomodo in vltimis illis obsolescentis Latinitatis temporibus, omnia in peius ac retro ferebantur, & vt imperii, ita Latini sermonis ruina sequebatur.

Petrocorii. *Le pais de Perigord*. eorum ciuitas diuisa est in duo opida, vetus & nouum. Vetus adhuc dicitur Vesuna veteri appellatione. vide v i. Libr. de Emendatione Temporum.

Picto-

PICTONES. *Le pais de Poitou.* sunt hodie in tres Episcopatus tributi. Pictauiensem, Maliacensem, & Luxonienſem. Pictauiorum ciuitas olim Augustoritum dicta.

RODANVS. in vniuersum Gallis dicitur *le Rosne*, sed indigenis *Lores*. Excipit Isaram, Druentiam, Drunam, & Ararim non minorem eo, antequam in illum exoneretur.

RVTENI. *Les pais & Seneschaussee de Rodais.* eorum vrbs Sedunum Rudenorum.

SABIS. *La Sambre du pais bas.*

SQVALDIS. *L'Escault.*

SEGVSIANI. *Les pais & Seneschaussee de Lionnois.* Nam Lugdunum est in Segusianis, vt illud alterum in Conuenis ad Garumnam. Sed & totus pagus Forensis qui hodie *le pais de Fores* dicitur, continetur in Segusianis. Et vetus inscriptio extat in opido *Furs*, in qua mentio est *Fori Segusianorum.* Nam a Foro, Forenses dicti, & ipsum opidum *Furs.*

SEQVANI. *Le pais de Besancon & Franche-comte*, est prouincia, quæ dicta Maxima Sequanorum.

SVESSONES. alii Suessiones. *Soueſſons.*

TARBELLI. *Le pais de Labord.* Vrbs Aquæ Tarbellicæ. *Aqs.* Vide Ausonianas Lectiones. Aturius fluuius qui vulgo *L'Ador* vocatur, alluit illam vrbem, vnde Lucano dicitur *Tarbellicus Aturus.*

VELAVNI. *Le pais de Velai. pagus Velucinus* in veteribus Martyrologiis Episcopatus Aniciensis, *le Puien Velai.* Id est Podium Velauno, quia

vrbs est in editissimo loco, qui lingua Gallorum *Puy*. Id est, Podium dicitur.

Velocasses, Perperam edi putamus pro Bajocassibus, *les pais, bailliage, & Eueschè de Baieux en Normandie.*

Veromandvi. Eorum ciuitas Augusta Veromanduorum. *Sainct Quentin de Vermandois.* in vita Sancti Quintini diserte dicitur *Augusta Vermanduorum.*

Vesvntio. aliis scribitur *Bisuntio. Besançon*, maxima Sequanorum.

Vienna. *Vienne en Dauphine.* Vienna Allobrogum.

Vocates, suspicamur esse *Boates. Buchn.* Quod omnino certum est. siti sunt in finibus Lapurdensium post Medulos in Nouempopulania.

Vocontii. *Le pais de Die a Vaison.*

Volcæ. duplices sunt Volcæ Aremorici, in quibus Nemausus, Vcetenses, Magalonenses, Bitierræ, Volcæ Tectosages, in quibus Carcasso, & Tolosa. In Cæsare editum est *Volgæ*, vt in quibusdam aliis scriptoribus.

Vxellodvnvm. nomen retinet *Vssoldun*, & *lo Puech d' Vssoldun*, Id est, prodium Vxellodunum. quia est in editissimo & valde prærupto loco situm. Locus est in finibus Cadurcorum, vt Cæsar quoq; notat, prope opidum Martellum; Flumen, cuius nomen tacuit Cæsar, est Dordonia: Horrendum aspectu præcipitium, quale describitur a Cæsare. Multæ sunt ibi reliquæ vetustatis venerandæ. Quotidie ab arantibus Numismata

Roma-

Romana effodiuntur. Vix reperias rusticum, qui de loco interrogatus, non statim respondeat, Castrum Vxellodunum illud a Cæsare magnis operibus expugnatum fuisse. Præterea ostendunt Fontem, cuius vsum obsessis intercluserant Romani. Si vspiam scriptores huius ævi in notandis veterum locorum appellationibus hariolati sunt, hic vero vnus est locus, in quo melius fuisset illos tacuisse. Et quid opus eorum somnia referre?

Hæc pauxilla de Appellationib. locorum & gentium in Cæsare delibauimus. Nam quæcunque omisimus adeo inexplorata sunt, vt tantum abest, ea vere retulerint, qui de illis scripserunt, vt mihi constet nullam spem esse ad eorum indagationem penetrandi, quare in medio ea relinquimus, & ingenue fateamur, nos ea nescire, quæ tam saluo pudore facere possumus, quam impudéter multi se ea scire professi sunt: in quo exemplo temeritatis primas tenet Beckeselenus, cum suo Teutonismo, ex quo Hebraismum etiam propagatum esse iurat ἄλις ἑρυός.

VASSCONIA proprie est quidquid continetur intra Garumnam, Pyrenæos montes, & Oceanum, quæ Iulio Cæsari in Commentar. belli ciuilis dicitur Aquitania. Dicta est Vasconia a Vasconibus ferocissimis Pyrenæorum populis, quos deuictos primum a Papino, deinde a Ludouico Caroli Magni filio (qui postea dictus fuit Pius) rege Aquitaniæ in plana Nouempopulaniæ deductos, postea nomen huic regioni

dediſſe certum eſt. Nam fuerunt pars Cantabrorum, quos etiam hodieque Hiſpani *Vaſcuenca* vocant. Itaq; quum prius hæc regio a Cæſare *Aquitania*, poſtea a Nouempopulis *Nouempopulania* dicta, ea tandem a Vaſconibus deuictis, & in eam a Pyrenæorum ſaltibus demiſſis, Vaſconia vocata fuit. Eſt autem tertia pars veteris Aquitaniæ. Nam Aquitania ab Auguſto triplex inſtituta fuit; Prima, cuius caput & metropolis Bituriges Cubi, *Bourges*. Secunda Aquitania Bituriges Vibiſci, cuius caput & Metropolis Burdegala. Tertia Aquitania tota Trans-Garumnana, cuius Metropolis Auguſta Auſcorum, vulgo *Auchs*: quæ Prouincia, vt diximus, ab Auguſti temporibus ad Pipinum vocata fuit Nouempopulania, a Pipino ad hunc vſque diem, Vaſconia.

Gvienna deprauatum quidem nomen eſt ex Aquitania, vt res ipſa loquitur: ſed ex quo tempore reges Angliæ per affinitatem Francorum regum fuerunt domini Guiennæ anguſtioribus finibus determinata eſt, quam olim. Nam Aruerni, &c. ſecluſi fuerunt extra fines Guiennæ; quos incipiebant a Confluentibus Viennæ & Croſæ fluminum ad Oceanum, Pyrenæos, Tarnim flumen, & montes Aruernorum. Itaque quum Eduardus III. nomine Aquitaniæ homagium faceret Regi Franciæ, has præfecturas ſiue Seneſchallias nominatim deprehendit. Citra Garumnam, Pictonium ampliſſimam regionem, Xantonium, Encoliſmenſes, Lemouicium, Petrocorium, Aginnenſes, Ca-

durci-

durcium, & Rutenenſes. Vltra Garumnam totam Nouempopulaniam, præter Benearnum quod abſoluti ſemper fuit imperii. Itaque omnium illorum tractuum nomine Rex Angliæ, aut Primogenitus Angliæ (*Princeps de Galles dictus*) faciebat homagium regi Franciæ: Comites autem Armaniacus Bigorrenſis, Fuxenſis & alii faciebant ipſi Anglo homagium, non Regi Franciæ. Hæc lautiſſima, ampliſſima, & prædiues regio nomine Guienna cenſebatur, vſque ad regnum Ludouici XI. qui cum fratri attribuiſſet Ducatum Aquitaniæ, & ipſi promiſſet quinque Seneſchallias, ex vna Burdigalenſi Seneſchallia, fecit tres: Burdigalenſem, quæ vnam tantum Diœceſim complectitur, Burdegalam ipſam. Vaſatenſem in qua duæ Diœceſes, nempe Adurenſis & ipſa Vaſatenſis. Tertiam Lapurdenſem, in qua itidem duæ Diœceſes, Aquæ Tarbellicæ & Lapurdenſium ciuitas ſiue Bajona: quartã Seneſchalliam Xantonium addidit. Ab eo tempore Aquitania cœpit vocari totum illud, quod illas tantum quatuor Seneſchallias continet. Sed Regum eſt mutare terminos Prouinciarum, non memoriam rerum. Nam hactenus Nitiobriges (*ceux d'Agenois*) & omnes reliquæ Seneſchalliæ vocant ſe Aquitanos vel Guiennenſes, atque adeo Seneſchallus Burdigalenſis vocatur *magnus Seneſchallus*, non quidem, quod hodie talis ſit (eſt enim minimus omnium) ſed quia Burdigalenſis Seneſchallia quinque Diœceſibus finiebatur. Et quia eo nomine *Magnus*, vt re vera erat, vocaretur, hodie

ditione imminuta, nomen integrum retinuit, quin etiam quidquid ad Burdigalam solam pertinet, id non Burdigalense hodie vocatur, sed Aquitanũ vel Guinnense. & Curia minor Burdigalæ. a qua prouocatio est ad Parlamentum, curia Guiennæ, & iudices Guiennæ vocantur non Burdigalæ. Hæ igitur Guienna, quæ hodie quatuor Seneschalliis censetur, vocari iure merito potest Aquitania siue Culenna Ludouici XI. Quod dixi de Pictonio, quod in feudo Aquitaniæ siue Guiennæ comprehendit Eduardus III. scito sæpe excusum fuisse ex Aquitania, & sub Ludouico IX. (is est Sanctus Ludouicus) sæpe restitutum finibus Aquitaniæ. Certe hodie non parua pars Pictonii dicunt sese Guiennenses, vt olim erant reuera.

AGINNENSIS. Seneschallia continet duos Episcopatus nempe citra Garumnam Aginnum Nitiobrigum. *Agen.* vltra Garumnam, Condomium, hoc peculiari nomine dicitur Vasconia. Quemadmodum enim Africa dicitur tota illa magna continens, quæ patet a Nilo ad Gades, & tamen in ea erat prouincia quæ peculiariter dicebatur Africa, in qua Carthago; Ita Vasconia quidem dicitur amplissima illa regio, quæ olim vocata fuit Nouempopulania, sed peculiariter Vasconia quoque dicitur, in ea Episcopatus Condomientis. Itaque Seneschallus Aginnensis vocat se Seneschallum Aginnensium & Vasconiæ, Id est Condomii. Quæ appellatio vetus est. Nam temporibus Pipini, pagus Aginnensis citra Garumnam, & vltra Garumnam dicebatur

tur. Itaque sub Pipino in vetustissimis Annalibus refertur, pluisse frumento in *Pago Aginnensi vltra Garumnam*. Id est, in ea regione, quæ proprie Vasconia dicitur, in qua Condomium.

Ducatus ALLEBRETI compositus ex mutilatione Senescalliarum Aginnensis, Armaniacensis, & adeo, vt de eo dicere liceat, quod de Constantinopoli Hieronymus dixit, commoditate omnium ciuitatum constructam fuisse, ita nuditate proximarum Senescalliarum cõpositus est, tam vltra quã citra Garumnam. Caput Ducatus est Neracum. Totus Ducatus est sub Parlamento Burdigalensi.

ARVERNIVM. Diuiditur in mõtanum & planum; Planum dicitur Alimania quod nomen iam obtinebat tempore Gregorii Turonensis, quæ regio optima est & fertilissima, ciuitatibus amplissimis, vicis, villis, prætoriis magnificis, exculta. Duo Episcopatus sunt in Aruernio, in Plano quidẽ Augustonemetum Aruernorum. *Clermont en Auuergne*, non longe a Gergouia Cæsaris. in Montano, est Episcopatus Sanctus Florus: totum Aruernium est sub Parlamento Parisiensi.

CONVENARVM comitatus, *Le Comte de Cominges*, vnum tantum Episcopatum continet, Sanctum Bertramum, est in Vasconia sub Parlamento Tolosano, vt supra diximus in Episcopatibus.

Pagus VELLAVNENSIS vnum Episcopatum habet, Anicien sem, *Le Puien Vellay*, pars Languedokii, ideo subest Tolosano Parlamento.

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI

IVL CÆS. FIL.

DIATRIBÆ.

DE EVROPÆORVM LINGVIS.

Item

DE HODIERNIS FRANCORVM.

nec non

DE VARIA LITERARVM

ALIQVOT PRONVNTIATIONE.

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI
IVL. CÆS. FIL.
DIATRIBA
DE EVROPAEORVM LINGVIS.

LINGVAS Matrices vocare possumus, x quibus multæ dialecti, tanquam propagines deductæ sunt. Propagines quidem vnius matricis linguæ commercio inter se aliquo coniunctæ sunt: Matricum vero inter se nulla cognatio est, neque in verbis, neque in analogia. Sunto igitur nobis Matrices eæ, quæ per omnia inter se discrepant; cuiusmodi XI. non amplius hodie supersunt in vniuersa Europa, quarum IV. amplissimæ sunt: reliquæ septem longe inferiores: Itaque illas quatuor maiores Matrices: reliquas minores vocabimus; eadem verba faciunt vnam linguam videri: sed eorundem verborum trajectio, immutatio, inflexio, aliam, atque aliam propaginem facit. Nam Italicam, Hispanicam, & Gallicam, Latinam vocamus propter vnum verbum Latinum, quanquam varie immutatum in illis tribus: exempli gratia. GENER Latinum, Italis est GENERO, Hispanis YERNO, Gallis GENDRE. Latina sunt, si originem spectes, sin dictionem vna quæque natio harum trium illud vindicat sibi. Itaque possumus deligere vnum verbum

Matricis, quod commune sit propaginibus, siue Dialectis, a quo nomen ipsa Matrix habere possit. Sunto igitur quatuor hæc verba, Devs, ΘΕΟΣ, Godt Boge, notæ quatuor maiorum Matricum, Latinæ, Græcæ, Teutonicæ, Sclauonicæ. Hæ vt diximus, supra reliquas VII. minores latissime patent. Linguæ Boge, duplices Characteres sunt: Rutenici, siue Moschouitici, e Græcis deprauati, totidem numero, & figura pene similes, adiunctis pauculis barbaris: Item Dalmatici qui & Hieronymiani, eadem potestate, totidem numero, sed figura longe dissimilimi. Atque adeo duplex Sacrorum librorum translatio, Rutenica recentior, & Hieronymiana vetustior. Hæc Matrix siue lingua Boge in multas propagines diffusa est, Rutenicam, Polonicam, Bohemicam, Illyricam, Dalmaticam, Windicam, & alias, quas vnusquisque potest adiicere Matricis Godt: propagines siue idiomata, præcipua sunt tria. Teutonismus, Saxonismus, & Danismus. Rursus Teuton sunt idiomata duo, superior Teutonismus, quæ est lingua Wasser; inferior Teutonismus siue lingua Water: Reliqua duo idiomata & ipsa quidem sunt lingua Water. Sed Saxonismi propagines sunt Nord-Albingorum & Frisiorum, item Anglorum dialectus: quæ tamen veterum Nord Albingorum & Turingiorum dialecti sunt Anglismus & Scotismus. Danismi tria discrimina sunt, lingua scilicet Danorum Limitaneorum, quos Denemarkos vocant; Danorum Australium: qui Suedan, Suedi & Sueones ab

Austro

Austro dicti. denique Danorum Septentrionalium. Qui Nordan, Normanni, & Norvegi vocantur; a quorum Idiomate propagatum est Islandicum hodiernum, quod ita intelligitur a Norvegis, vt Hollandica, lingua a Germanis, Italica a Gallis. Matrix DEVS peperit Italicam, Gallicam, & Hispanicam. quæ omnes vno nomine Romanſæ, id est, Romanenſes, siue Romanæ vocantur, quam appellationem victores Barbari induxerunt. Nam in eorum legibus duplex conditio ingenuorum: deterior Romanorum, vt Latinorum Romæ; In Gallia olim Franci & Burgundiones, in Italia Longobardi, in Hiſpania Gotthii diſtinguuntur a Romanis, vt Quirities a Latinis ciuibus. Hinc Luitprandus Tiotiſcam Gentem a Romana diſtinguit. Matricis ΘΕΟΣ, pluria ſunt Idiomata, quod nō mirum in tot Inſularum interuallis, quæ vt loco, ita linguæ commercio valde diſſident. Atq; de IV. maioribus matricibus hactenus. Reliquæ ſeptem minores ſunt hæ: Epirotica, quam Albanam vocamus, in Montanis Epiri, vbi gens ſtudiis aſperrima belli, Indigenæ, an Aduenæ incertum. Secunda, Coſacorum, & Præcopienſium, id eſt, Tartarica. Tertia Vngarorum, quā ex Aſia in Europam tranſierunt crudeliſſimæ duæ Gentes Hunni & Auares. Quarta Finnonica, cuius propago eſt Lapponica, in Septemtrionalibus Scandinauiæ Suedorum. Quinta Hirlandica cuius pars, quæ hodie in vſu Scotis Siluęſtribus. Sexta vetus Britannica, in Montibus, Anglis; Item in Aremorica Galliæ, quam

Britonnantem linguam Galli vocant. Septima Cantabrorum, quos Biscainos Galli & Hispani nominant, quæ sunt reliquiæ veteris Hispanicæ: patet vt minimum itinere septem dierum cis & vltra Pyrenæos, a Baionensi vsque Agro, quem tractum in Tarbellis *Lapurdensem* vocant Sidonius & alii veteres. Hæ sunt x i. Matrices, nullo inter se cognationis vinculo coniunctæ, atque has inter se diuiserant Ecclesiæ Constantinopolitana & Romana: & quidem commercio characterum quintuplicis generis Latinorum, Græcorum, Hieronymianorum, Rutenicorum, & Gotthorum. Nam & ipsi veteres Gotthi suos Characteres habent, sacra alioquin Græco ritu celebrantes, lingua veteri Gotthica: in vsu autem cotidiano magna ex parte Teutonissant.

IOSE

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI
IVL. CÆS. FIL.
DIATRIBA
DE HODIERNIS
Francorum Linguis.

IN regno Franciæ varia linguæ Romanenſis Idiomata ſunt. Romanenſis linguæ tres alibi propagines fecimus, Italicum idiotiſmum, Hiſpanicum, Gallicanum, qui idiotiſmi a Latina matrice tanquam traduces producti. Romanenſis igitur idiotiſmus Galliæ in duo ſumma faſtigia diducitur, in Francicum, & Tectoſagicum, ſiue Prouinciale. Francicus Idiotiſmus vulgo dicitur *Langue d' Oui* aliter autem *Langue doc*, hoc eſt, linguæ quæ pro NÆ, aut ITA dicunt OVI, aut OC. Francicus Idiotiſmus eſt, quo aulici & literati vtuntur: quæ eſt hodie omnium linguarum Romanenſium excultiſſima, elegantiſſima & ſuauiſſima, & cum qua neque Italica, neque Hiſpanica contendere poſſunt. Sed quia nulla eſt tam emendata dialectus, cui non adiaceant [illegible] Francici idiotiſmi, duæ præcipuæ ſunt [illegible], Waloniſmus, & Pictoniſmus. Waloniſmo vtuntur omnes Belgæ, qui non Teutoniſant. Itaque latiſſime patet, initio ſumto a Leodienſibus

& desinens in finibus fere Parisiorum. Sed, vt fit, illis nationibus, vt aliæ aliis deprauatius loquuntur, ita aliæ aliis minus intelliguntur a Parisiensibus. Nam Leodiensem rusticum mere materna lingua loquentem vix intelligat Parisiensis opifex, quanquam eadẽ fere verba sunt: sed inflexio alia, item pronuntiatio, faciunt vt eadem alia lingua videatur, quum tamen eadem verba sint; his, quæ diximus, tãtum discrepantia. Pictonismus incipit a flumine Vigenna in finibus Turonensium, desinit circiter fines Burgi oppidi in diœcesi Burdigalensi. Inter has duas διαστροφὰς, & alias item longe moderatiores cõsistit verus & emendatus Francismus, quanquam periti negant illam puritatem in vulgo esse, sed in illis tãtum qui negotia grauiora tractant, & aut in aula versantur, aut caussas agunt apud Tribunalia Regni. Idiotismus Tectosagicus latissime patet: eius duæ sunt summæ differentiæ: altera continetur in vetere Aquitania Cæsaris, hoc est, intra Garumnam, Pyrenæos, & Oceanum Aquitanicum. Hic idiotismus proprie dicitur Vasconismus, multum a reliqua parte idiotismi Tectosagici discrepans, adeo vt neque commercium quotidianum, neque vicinitas, neque flumina pontibus iuncta illam differentiam tollere potuerint. Reliquæ partis, quæ citra Garumnam in vsu est, etiam multæ sunt differentiæ, in quibus Lemouicismus & Petrocorismus a reliquis idiomatibus valde alienus est. Denique in tota Europa non inuenies in tantis angustiis finium, tot discrepantias diale-

dilectorum. Atque hæc est Romanensis idiomatis Gallicani summa diuisio. Nam omnis Francorum veterum ditio, hoc est, Gallia, finibus Romanorum circumscripta Rheno, Oceano, Pyrenæis, Alpibus, & mari Mediterraneo, iamdudum quum Francorum opes vigerent, in duas partes diuisa, in Franciam Tiotiscam, vel Tioscam, id est, Teutonicam & Franciam Romanam. Francia Romana incipit a finibus Flandrorũ: cuius meminit Luitprãdus. *Quumque* (inquit) *Burgundiorum regna transiens Franciam quam Romanam dicunt ingredi vellet.* Nimirum Franciam Romanam vocat quæ Romanensi lingua loquitur, vt distingueret ab ea quæ Tiotismo seu Teutonismo vtitur, quæ Flandros, Brabantos, Hollandos, Treueros, Colonienses & alios Ripenses, Germanos continet. Rursus præter Romanensem linguam, duæ sunt in Regno Franciæ, quæ nullam cognationem neque inter se, neque cum Romanensi habẽt, Aremoricus Britonismus, & Cantabrica dialectus, quam Basculorum linguam vocant. Britonismus Aremoricus est idem cum eo, qui in Cornuuallia Angliæ in vsu est. Nam Aremorici & Anglicani sine interuentu interpretis inter se negotiantur, & alter alterum intelligit, quanquam Propagines Aremoricæ a matrice Anglicana multum degenerare iam dudum cœperint. In tribus diœcesibus Aremoricanis Curiosopitensi, Leonensi, & Trecorensi, nulla alia lingua in vsu est præter Britonismum, in Nannetensi, Venetẽsi, & Briocensi

vtraque dialectus locum habet Romanismus, & Britonismus, Cantabrismus incipit a suburbicariis partibus Baionæ Lapurdensium, & itinere sex aut septem dierum in intima montanæ Hispaniæ extenditur. Galli omnes qui ea lingua vtuntur, vocant *Bascos*, vel *Basculos*. Hispani Regionem, in qua illa dialectus locum habet, generali nomine *Bascuenca* vocant. Nihil barbari, aut stridoris, aut anhelitus habet: leniissima est, & suauissima: estque sine dubio vetustissima & ante tempora Romanorum illis finibus in vsu erat.

**

*

IOSE

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI IVL. CÆS. FIL. DIATRIBA DE VARIA, *LITERARVM PRONVNTIATIONE.*

SOLI Galli recte pronuntiant Z, quéadmodum & Græci, male Itali & Germani, interdum spissius, quasi sono ipsius Cipsi pronũtiant, interdum tenuissime, & pene sine stridore, veluti cum dicunt *Zelande*, tenuissime dicunt: Itali autem dẽsius cum pronuntiant *Zoccoli*. Idem enim est sonus, qui est in C litera in principio huius nominis *Cælum*, quomodo pronuntiant Lombardi. nam pessime pronuntiant Galli per S. Thusci autem propius accedunt ad verum sonum; sicciore tamen sono pronuntiandum, & pleniore, denique eodem in *cella*, & in *circo*, &c. Pierius autem nusquam fuit γαμμαπκώτερος, ludit enim nos, si persuadere posse putat, imo vero seipsum ludit, cum ait *Mezentium* posse scribi duplici z z cuius ineptię latis apparebunt, si resoluam duplicia illa elementa in suas partes, hunc ad modum, *Mesdsdentius*. Quod si Itali volunt pronuntiare suum *Mezza* in alia quærant sibi figura sonum. Quemadmodum

& Galli & Flaminii & Lombardi, tam in fine quam in medio vocum pessime pronuntiant S. dimidiato sono, quippe stridulo, & quo Græci pronuntiant recte suum ζ. Germani vero etiam desipiunt cum *sese* pronomen ita pronuntiant, quemadmodum si pronuntiarent Græce ζεζ, sed omnino pronuntiandum est sono integro, & pleno, qualis est principio dictionum. alioquin etiam *ζout* dicendum erat cum Germanis, non autē *Sout* per S. ipsum autem C. post ipsum S. aperto sono pronuntiandum est, nullo enim modo differt a κ, Græco, sed tamen ipsum κ Græci quoque male pronuntiant cum E, & I,, quemadmodum supra diximus, pleno sono pronuntiandum est. Sicut cum A, V, quæ plenitudo addenda est etiam ipsi χ, vt eodem modo dicatur, cum I, & E, quemadmodum cum A, O V, sic enim H. bræi vix nouerunt hostes suos, quos iubebant dicere *Chebboleth*, & illi pronuntiarunt *Schenoleth*. Eodem modo H. quoque cum sit media inter C & C H pronuntianda erit cum E & I. quomodo cum A O, V, quemadmodum recte pronuntiant Germani. Priscianus vero recte monet sonum ipsius M, in fine dimidiatum esse, iccirco facilius extrudi posse vocali sequēte, quemadmodum recte pronuntiant Thusci, Lombardi vero pessime, tam crassum enim sonum edunt, vt videatur vna syllaba cum vocali sequente. De pronuntiatione autē ipsius G, animaduertēdus est vsus Græcorum recentium: ita enim pronuntiant, quemadmodum Arabes addita quadam imagine aspirationis

ghmesi,

ghmeſt, id eſt laurus; quem vſum puto inuectum ex Barbarorum communione. Nam etiam Germani, Belgæ ita pronuntiant *ghcyte*, id eſt caprã, vt ſubinte lligas aſpirationem, ſed eam quidem mollẽ ac madidam. Itali vero cũ ipſo G addunt aſpirationes ante E & I. pleniorem ſonum quærunt, qualem cum A, O, V, ſcribunt enim *fargho*, & *largh* cum aſpiratione, vt edatur idem ſonus, qui in *fargho* ſine aſpiratione. L, autẽ alibi diximus a quibuſdam nationib. nimium ambitioſe vibrari, a Germanis autem & quibuſdam Liguribus Taurinis etiam aſpirari. Ita enim pronuntiant piſcis cuiuſdam nomẽ, vt in eo audias aſpirationem vt *Bollich* quæ pronuntiatio translata a Gothis & a Longobardis in Italiam & in Hiſpaniam, fecit vt Itali ſcribant *figlio* pro *filio*, Hiſpani autẽ & Galli geminent & aſpirẽt, illi enim dicunt *llorar*, Galli autẽ *Bouillonner*; ſed hęc mollitia fuit linguæ, quemadmodum cum dicunt *annos*; N geminato, verũ non aperte ſcripto ſed apice inſignito. Itali autem eandem pronuntiationem adhuc magis diſtorſere. Scribunt enim *bagno* quemadmodum & Galli *baing*. Vaſcones autem etiam ſcripto addunt ipſi aſpirationem ad ipſum ſonum pronuntiandum, ſcribunt enim *fillhol*, ſicut & cum ipſo N *baignha*.

Inter vocales autem nulla eſt de A, dubitatio: Barbari enim ſunt Gabali & Prouinciales & noſtri Vindelici, qui ad ſonum ipſius, O, conſtringunt. De aliarum autem vocalium ſono accuratius perſpiciendũ eſt; oli enim Germani recte pronuntiant I, in pronomine *is* & *ille*: Latiuſcu-

lum enim faciunt rectissime. patet enim ex aliis casibus, cum dicimus *eum* vel *eam*. Habuerunt enim duplicem sonum in ipso E, vt aliquando late pronuntiarēt, sicut in *Deus*. Aliquando angustius vt *fere*, quod vergeret ad sonum *feri*, & *here* ad *heri*. Atque hic intelligitur vitium Iotacismi damnatum a veteribus in angustia soni, quam dilatarunt Germani, aut potius a priscis dilatatam seruarunt soli: quemadmodum & vitium Lambdacismi in ipsius L, vibratione, geminatione, aspiratione; Reliquæ sunt vocales tres, quarū soni affines inter se sunt, gradib. quibusdam a latissimo ad tenuissimum. Est enim o, latissimum in pronuntiatione voce huius *Ordo*. Secundum loca habet sonū paulo angustiorē, quemadmodum audimus in *alumno, columna, somnus*, in quorundam pronuntiatione, ita enim loquuntur vt sit neq; o neq; v. sed neutrum, & vtrumq;, qui sonus maxime peculiaris Gallicæ diphthōgo, quē pessime communicarunt cum Græcæ diphthongi sono ȣ, nimis enim vergunt ad o, sed sonus ipse obscurandus est magis versus, v, ꝙ patet ex Nigidio Figulo apud Gellium. Quod autē M, in fine, dimidium tātum soni habet, colligitur etiam ex Cicerone, reprehendit enim, in Epistolis, eum qui in Senatu dicere solitus erat, *cum nos*, nisi enim hæ duę voculę viderentur repræsentare fœdam hanc *Cunnos*, non eum reprehendere potuisset, exēpli gratia, si eū sonum haberet in fine illi⁹ propositionis *Cum* quē haberet in medio huius vocis *Cunnus*. Qui Græcos irridet, quod nescierint sibi figuram

vnam

vnam cõparare ad illum sonum exprimendum, quemadmodum fecerũt Latini qui sibi pinxissent v. est igitur sonus Græcorum, qui est v, Latin. quod & Ausonius declarauit eo versu,

Vna fuit quondam, quæ respondere Lacones,
Litera, & irato regi placuere negantes.

Animaduertendum tamẽ est latiusculum illum sonum Gallicum fuisse apud Latinos in quibusdam. Quod enim est o, apud Græcos, factum est v, apud Latinos, vt θεὸς *Deus*, quod latiusculo sono pronuntiatur hodie etiam a Romanis; in aliis autem sonus est angustior, & obscurior, vt in prima syllaba nominis huius, *vnus*: latiusculus est in hoc nomine *vmbra*, quippe a Græco ὄμβρος. Sequitur autem obscurissimus sonus in Græca vocali υ, quæ ita pronũtianda est, vt proxime accedat ad iota, quomodo pronuntiant rectissime Galli *nũc* ab eo, qui Græcis est νῦν, pessime Itali. Itaq; vir doctissimus Appollinaris superlatiua neq; per, i, neq; per v, scribenda putabat, sed medio inter vtrumq; sono υ Græca.

Diphthongorum autẽ quarundam qui fuerint soni priscis, nullum est dubium, sonũ enim æ, manet adhuc apud Francos in eorum voce *Pains*. De o v, satis dictum est. o ε, pronuntiandum quomodo Galli *poine*, A v, ambiguum facit vsus veterum qui dicebant *plaustrum* & *plostrum*. Adhuc enim ita loquuntur Galli & Itali ex *Auro*, fecerunt *Oro*: & iocus Vespasiani, qui *Florum* vocauit *Flaurũm*. ambiguum inquam, quia debere ita pronuntiari, quemadmodum pronuntiatum videtur ex *aufugio* quod factum

est ex *abfugio*. Omnino itaq; is sonus est comparandus, in quo aliquid audiatur ex ipso v. Deest autem eadē proportio. vt sit medius sonus: neq; decūbat ad F, vt aliqui nimis incrassant. Diphthōgus autem υι, in ἀφυία, & μυία, quæ maior attenuatio ipsius υ ψιλοῦ. Ceteræ diphthōgi spuriæ non variarunt pronuntiationem; sed iota subscriptum fuit, ad scriptorum animaduersionem, non vt pronuntiaretur, quemadmodum adhibebant accentuum notas ad eandem cautionem, neque pronuntiabatur iota, sicut neque semper quædam literæ apud Gallos, neque apud Hebræos *sceua* in medio, neque apud veteres Latinos, s, vt *sani dictis*, & ipsum, v, post Q. nullum habet sonum, sed qui sonus auditur, in ipsius Q, vi est, quæ sine ipso v potuit probari, neq; auditur post Q in lingua nostra, sed mutat tantum ipsius sonum: nam omnino errāt Germani quum ad *vau* Æolicum detorquent. ita enim pene pronuntiant, quasi ita audias *qfis* pro eo quod est *quis*. delirat autem Varro, cum nullam ait esse inter Q & C, differētiam: ea enim est proportio in voce hac *quos*, ad *cos*, quæ est in *linguas* & *languis*, & *lingas* & *lingis*, K, autem tota Græca est, qua qui putarunt Græca nomina apud Latinos esse scribenda, iidem quoque hac ratione putare debuerint. Græca nomina apud eosdem Latinos Græcis desinentiis flectenda. Si igitur scribimus Kalendas per K, etiam erit dicendum in genitiuo Kalendon non Kalendarum, denique his nominibus ita scriptis carebunt sexto casu, quia Græce sic scribuntur.

IOSE-

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI IVL. CÆS. FIL.

DE THESI QVADAM CHRONOlogica, iudicium.

IN Thesi Chronologica disputata * Anno CIↃ. IↃ. CVIII. Prid. Idus Martias, multa proponuntur, quæ harum rerum peritis non solum noua videri possint, sed etiam cum historia sacra pugnantia, omnia attingere neque nobis vacat, neque sane magni interest. Vno enim aut altero refutatis reliqua ruere necesse est. Præcipuum capitum; quæ ibidem discutiuntur, quo maxime sibi placet author, est interregnum, quod imaginatus inter finem Ioachaz, & initium Ioachim, argumento, quod qui succedit patri in regnum, iure gentium eum oportet esse maximum natu liberorum. quod sane non negamus. Ioachaz autem prior quam Ioachim, rex constitutus est, ergo Ioachaz maior natu quam Ioachim. Sed Ioachim cum accessit ad regnum erat annorum 23. Ioachim autem minor natu, quam ille, regnum iniuit annos 25. natus. Inter finem igitur Ioachaz & initium Ioachimi intercesserunt anni duo plus minus. Quia secundum hæc, hoc est, posito Ioachazum fuisse maiorem natu, quam Ioachimum, Ioachim fuerit 21. tantum annorum, quum frater eius Ioachaz ageret annum 23. Hactenus

ἐπιχείρημα Chronologicę disputationis. Sed hęc tam facile confutari possunt, quam facile commenta sunt. Statim a morte Iosiæ populus cōstituit sibi regē Ioachaz, 11 Reg. 23.30. 11. Chron. 36.1. Cui Nichao post tres menses in regno exactos successorem dedit Ioachimum fratrem. Mox nulla interiecta mors, Ioachazum vinctum in Ægyptum abduxit, 11. Reg. xxiv. 34. 11. Chron. xxxvi. 4. Igitur inter initium Ioachaz, & initium Ioachim, sunt tantum tres menses. Nullum ergo interuallum aut interregnum imaginandum est inter finem Ioachaz, & initium Ioachim. Quid tam validæ rationi opponi potest? Validior vero & illa est, quā adducemus. Hæc est, Ieremiæ xxv. 1. 3. annus quartus Ioachim erat vigesimus tertius a tertio decimo Iosiæ regis, a quo ad initium Ioachaz sunt anni solidi xix. hinc ad quartum ineuntem Ioachimi, triennium exactum. Colliguntur ad xiii. Iosiæ ad ineuntem quartum Ioachimi, anni absoluti xxii. Proinde is annus xxiii. erat labens a xiii. anno Iosiæ, vt exstat in proposito capite Ieremiæ xxv. Quod si vllum biennium intercessisset, iam non is vigesimus tertius fuisset, sed xxv. Quid Ieremiæ opponēt disputatores? Quis tam sui plenus est, vt aduersus veritatē pertendere postulet? Tertium telum est id, quo iugulo peti possit huic interregno. Annus xiv. Ezechię erat primus hebdomadis annalis Isaiæ xxxvii. 30. atque adeo Iudæi quoq; id iam monuerūt. Ergo antecedens annus Ezechiæ, hoc est xiii. erat septimus hebdomadis, de quo monuit Ieremias.

remias. Ergo numerus annorum ab initio anni XIV. Ezechiæ, ad excidium Ierosolymorum est septenarius, quod sane verum est. interuallum enim illud est annorum præcise CXXVI. quæ sunt hebdomades XVIII. Colligitur enim ex XVI. reliquis Ezechiæ: LV. Manassis, duobus Amonis: XXXI. Iosiæ: XXII. Ioachim & Sedeciæ. Quod si vllum biennium intercessisset, non esset septenarius numerus. Simile argumentum est, quod annus excessus Mosis erat primus hebdomadis. annus vero conditus templi erat CCCCLXXX. ab Exodo a Mosis excessu CCCCXXXIX. a conditu templi ad excidium eius CCCCXXVII. Colliguntur ab excessu Mosis ad excidium templi anni IↃCCCLXVIII. quæ sunt hebdomades CXXIV. Quod si vllum interregnum incidisset, iam non esset numerus septenarius. Commentum igitur de interregno satis diluitum est. Nullum enim interregnum in annis regum Iuda interuenit, ne minimũ quidem. His animaduersis, sequitur Ioachaz minorem duorum annorum fuisse, quam fratrem eius Ioachim. Quare vero minor maiori prælatus sit in regno, merito dubitari possit. Sed nullum negotium est caussam demonstrare, ea in promtu est. Ioachas enim non iure successionis regnũ adeptus est, sed suffragiis & factionib. populi, qui statim elegit Ioachaz post cædem Iosiæ, II. Regum XIII. 30. II. Chronic. XXXVI. 1. Quater hoc contigisse legimus, Regem a populo esse electum, quod quidem cõtingebat aut propter cædem regis, aut propter contemtum eius,

vt illius liberorum in successione non tanta haberetur ratio, quanta studiorum populi. In cæde Iosiæ, quia rex testamento non cauerat, quotum ex liberis regnare vellet, populus elegit Ioachaz. Eodem modo cæso Amazia, Azarias filius eius a populo Rex declaratur 11. Reg. 14. 21. 11. Chronic. 26. 1. denique Amone trucidato per factionem quorundam, populus in regis interfectores impetu facto illisque occisis, Iosiam filium Amonis, regem constituit, 11. Reg. 21. 24. 11. Chron. 33. 15. Rursus propter contemtum regis loram, qui rex quum esset, tamen non regis loco habebatur, neque in sepulcris maiorum conditus est, vt exstat 11. Chron. 21. 20. ideo populus filium eius Ochoziam regem sibi imposuit, ibid. 22. 1. vnde factum videtur, vt quum per populum Rex Ioachaz crearetur, non ius successionis vel ætas spectarentur, si suffragia locum haberent. itaque in his quatuor exemplis duo sunt in quibus minor natu præferturmaiori, vt in proposito cap. 22. 1. Ochozias minimus natu rex a populo declaratur: sed illud accidit, quod omnes maiores natu ab Arabibus occisi essent. In præsenti exemplo, propter quod hæc disputatio instituta est, Ioachaz minor natu præponiturmaiori Ioachimo, qui iure ipso debuit regnare, quod quidem necessario non sequebatur, nisi ex testamento patris filius primo natu hæres regni institueretur, 11. Chron. 22. 3. Itaque in hoc exemplo vis fuit, non ius, quum minor prælatus est maiori.

His

His demonstratis, sequitur quod id falsum esse, Iohanam qui 1. Chron. 3. 15. ponitur maximus liberorum Iosiæ, non esse Ioachaz, quando quidem probatum est validissime, minorem fuisse Ioachimo. Porro in ipso 111. capite hoc ordine ponuntur filii Iosiæ: filii Iosiæ, Iohannam primo natu, secundus Ioachim, tertius Sedechias, quartus Sellum. Ex his quatuor necesse est Ioachaz esse, aut Iohanam, aut Sellum. Sed non potest esse Iohanam, vt iam demonstratum est: Ergo est Sellum. Sed quid opus est verbis, quum manifeste id ab Ieremia dictum sit 22. 2. Quis dominus dicit ita ad Sellum filium Iosiæ Regis Iuda, qui regnauit vice Iosiæ patris sui? quis regnauit in locum patris Iosiæ? quis illi immediate successit? Annon Ioachaz? Sed & Sellum vice Iosiæ regnauit. Ergo Ioachaz est Sellum: Pergit Propheta, *qui exiuit ex hoc loco is amplius nō redibit.* Potuit ne clarius Ioachaz designari? qui deportatus in Ægyptum nunquam restitutus est, neque auito solio neq; patriæ suæ: sed in Ægypto vltimum vitæ diem obiuit. Rursus ibidem commate x *Neplorate eum, qui mortuus est, neque super eo conturbemini.* Quis obsecro est iste mortuus qui ploratur, aut plangitur? Annon Iosias 11. Chron. xxxv. 24.25. Mortuus est in monumēto maiorum suorum, atque omnes Iudæi & Ierosolymitæ plorarunt eum. Ieremias quoque eum planxit. Quum etiam omnes cantores & cantrices ad hodiernum vsque diem instaurant næniam super Iosia, atq; de ea re regem fecerunt. Iohanam igitur ma-

ximus natu liberorum Iosiæ neque est Ioachaz, neque vnquam regnauit. Ieremias quatuor regum meminit, Iosuæ mortui; Sellum siue Ioachaz, qui immediate patri substitutus est; Ioachimi, quem prædicit sepultura asini sepultum iri; Iechoniæ, quem per contemtum Choniam vocat: hæc omnia capite XXII. Vnde colligitur initio Ioachimi hæc Prophetam scripsisse, & de Ioachimo & Chonia prædixisse, ea quæ postea secuta sunt. quæ vt notabilia maxime sunt, ita eo accuratius a studiosis obseruanda, quum tam Iudæorum, quam nostri interpretes adeo illustrem locum male exposuerint. Sed antequam hanc historiam missam faciamus, dubium non leue interuenit de Ioachimo, qui quum dicatur sepultura asini sepultus & catenis vinctus, & Babylonem deportatus, ibi periisse, quomodo II. Reg XXIV. 5. dicitur cum maioribus suis dormiisse? hoc congruit iis qui in patria moriuntur. At certe post Iosiam nullus rex Iudæ in sepulcris auitis repositus fuit. Quatuor post Iosiam fuerunt; Nullus eorum in patria obiit. Huius dubii solutionem quærere. Nam quas alii attulerunt non moror. Simile ἄπορον Ieremiæ XXXVII I. 4. 5. Deus per Prophetam ita Sedechiam alloquitur, *Non morieris gladio, sed morieris in pace secundum combustionem regum maiorum tuorum.* At cap. LII. 2. effodit oculos Sedechiæ, vinxit eum catenis, abduxit Babylonem, coniecit in carcerem vsque ad vltimum diem vitæ suæ. Hæc optimo coniectore opus habent. Sed & aliud ἄπορον

non

non minoris momenti oritur. Sedechias annorum XXI. regnum iniuit, XI. annis post Ioachaz siue Sellum. Erat aut Ioachaz annorum XXIII. Igitur anno XXIII. vitæ Ioachaz & initio regni eius frater germanus eius Sedechias erat annorum tantum X. tredecim annis minor, quam Ioachaz, quindecim quam Ioachim; Quomodo ergo I. Chron. III. is Sedechias ponitur ante Sellum, siue Ioachaz? fortasse quod breuissimi tẽporis quo regnauit, ratio non habetur: at Ioachim & Sedechias vndenis annis regnarũt. Sed est futilis solutio. Quærant studiosi.

Atq; hæc de imaginario interregno, & de ætate tã Ioachaz maiore, quã Ioachimi. Sequuntur alia longe a vero alieniora, sed quæ ita manifesta sunt, vt ne confutanda quidem sint, cuiusmodi illud, *deprimo anno captiuitatis a septimo Ioachim deducẽdo*, q̃ profecto tam absurdum, q̃ vanum fuerit eo cõfutando horas perdere. Neque profecto illud verum est, exercitum Ægyptiorum ab ipso Nechaone ad Euphratis ripas relictum tamdiu ibi mansisse, donec ab exercitu Chaldæorum triennio post vertente, fusus fugatusq; sit. Nam Nechao, quũ recenseret exercitum suum in Rebla, repente aduentu Chaldæorum audito, fuga sibi cõsuluit; & Ioachazo secum abducto propere sese in Ægyptum recepit. Interea Chaldæorum exercitus omnia loca in Ægyptio occupata in potestatẽ suam redegit, ita vt tributa, quæ Ioachimus Ægyptio pendebat, Nabuchodonozoro pẽdere coactus sit per triennium solidum, post quod tempus Ioachim

solicitatis Nechaonis auxiliis defecit a Nabuchodonozoro. Itaque Ægyptiaco exercitui ad Carchamin occurrit, quem fusum & in fugam coniectum in Ægyptum propere recedere coegit. Ex illa victoria incipit annus primus expeditionis Nabuchodonozori, a quo ad excidium templi sunt anni absolati XVIII. ita vt annus XIX. currens Nabuchodonozori sit vltimus Sedechiæ. Quod etiam monuit Ieremias LII. 12. In his duæ sunt expeditiones Nichaonis: prior quum tribus mensibus post eædem Iosiæ in Ægyptum reuersus est re infecta aduersus Chaldæum, in quem tam potentem exercitum parauerat. Altera quum ad illius partes transiens Ioachim a Chaldæo defecit: Necha o vero acciſis opibus ad Euphratēsia loca coactus fuit cū trepidatione in Ægyptum fugere, in his etiam duæ sunt expeditiones Nabuchodonozori. Prior a quarto anno Ioachim ineunte, quo in ordinem redactus Ioachim iterū tributarius Nabuchodonozoro factus Ierosolyma ab hoste direpta, pars vasorum templi asportata, multi nobiles in Babyloniam abducti, in quibus Daniel. Secunda expeditio, quum Ioachimus in Babyloniā deportatus. Expeditiones vocamus, quum tamen per 13. annos Nabuchodonozorus fines Syriæ non migrauerit. Nam tota Syria & potentissimi in ea dynastæ a Nobopolassaro patre Nabuchodonosori defecerant, vt exiguo tempore omnes illæ vrbes recipi non potuerint. Vide fragmentum Berosi, cui mire cum historia sacra conuenit.

Hæc

Hæc sunt quæ præcipue animaduertēda erant. Nam omnia, vt diximus, discutere neque necesse est, quum sibi ipsa aduersentur, neque magni interest, quum nemini paulo intelligentiori tam friuola persuaderi possint. De Olympiadibus vero quod dixit cum maximo contemtu, equidem nescio quo illud referendum sit, quum ad eum locum quem tractat, non pertineat, ibi enim est sermo tantum de Ioachaz, quem maiorem natu quam Ioachimum vult probare. Quis vnquam Chronologus de Olympiadibus verba fecit, quum de Ioachaz loqueretur? Imo quis vnquam putauit Ioachaz maiorem quam Ioachimum, & vt probaret contrarium Olympiadas vocaret in auxilium? Odium bonarum literarum hunc contemptum peperit, etiam hæc gangræna in animis iuuenum serpere incipit. Beroaldus optimus & eruditissimus vir huius odii auctor est, quem non puduit a vigesimo nono ætatis Herodoti initium Cyri repetere. Qui negat Sichor esse Nilum, eumque statuit inter Ierusalem & fines Ægypti. Peregrini quos vocant, qui Ierosolymis Alexandriam petant, magni emerint tam grandem fluuium in medio itineris inuenire. Certe tot homines, tot cameli & iumenta in eo itinere non perirēt, quot vulgo hodie pereunt propter aquæ penuriam, quæ per octo dies in illis solitudinibus tot animalia cōficere solet. Quid idem de paradiso fabulatus sit, quid denique de omnibus perperam asseuerauerit, non paruo libro comprehendi possent. Itaque hominis

memoriam colo, amo, veneror, confidentiam eius & eorum quibus illa tot absurdā persuadere potuit probare non possum. Quod autem hic animaduerti, ero auctores illius Chronologiæ diatribæ, ne per obtrectationem aut aliquod cacoethes id factum putent. Quantum ab ea culpa absumus, tam procul a nobis eam suspicionem amolimur. Vnicuique suum arbitrium relinquimus. Tantum obsecramus, ve qua ingenuitate hæc a nobis profecta sunt, eadem ab aliis ea excipiantur, sive placeant, sive displiceant.

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI IVL. CÆS. FIL.

Expositio

NVMISMATIS ARGENTEI CONSTANTINI IMP. BYZANTINI.

EX LITERIS ILL. V. IOS. SCALIGERI AD MARQVARD. FREHERVM.

Tui nummi stemma omne ἐξω υχιάμλω Iudicium de eo meum seorsim habes. Dixi quod sentio, nō quod fortasse tibi probabo, non potui tamen hanc operam denegare, magis quia exegisti a me, quam quod aliquid sententiæ de eo tuæ adiiciendū a me existimarem. Vale. Lugduni Batauor. 14 Kal. Martii Iuliani. 1602.

Ex aliis. Scis mihi Frehere, quid de tua diatriba iudicem in Aprum Xiphiam, nihil potuisse verius dici, nihil exquisitius, plane persuasisti mihi. De illo autem grandi nummo tuo Constantini non possum satis mirari, qui factum sit, vt ex vno latere recentissimi seculi vestigia in eo exstent, ex altero vetustissimi moris Ecclesiæ. Sed quando prodibunt monumenta illa tua de Lupoduno & Mosella Ausonii? auide exspecto. coq; magis quod nihil nisi eximium a te sperare possumus. Vale 9. Kal. Martii Iuliani. 1603.

IOSE-

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI

COMMENTATIO.

NVMMVS ingens argenteus clarissimi viri Marquardi Freheri, quam recens sit, argumẽto sunt characteres arithmetici 234. 235. qui ante trecentos, aut paulo plures annos ab Arabibus ad nos transierunt, ac primo quidem dissimiles his nostris hodiernis, postea memoria proauorum hac forma interpolati, quæ hodie nobis in vsu est, itaque nummus hic cusus, aut conflatus est non illo seculo, quo ii a Christianis recepti sunt, sed illo, quo interpolati, hoc est, memoria proauorum. Propterea, an vnquam a Græcis vsurpati sint, merito vt dubitem, faciunt libri multi Astronomici, Logistici, & computorum Ecclesiasticorum paulo ante aut post euersionem Imperii Constantinopolitani conscripti, quorum omnium numeri non his peregrinis characteribus concepti sunt, sed literis Græcis. Denique illos characteres primi omnium Christianorum Hispani a Mauris, ab Hispanis reliqui Latini Christiani, ab illis Græci acceperunt, si modo acceperunt: & quidem concedamus accepisse, ii tamen apud Græcos nunquam vulgo noti fuerunt: vt non opus fuerit eos in hoc nummo cudere, vt a paucis tantum intelligerentur. Nobis igitur conflat recentissimã quidem nummi conflaturam

esse, formas autem incusas & veteres esse. & ex aliquo vetusto libro aut pictura alicuius Ecclesiæ desumtas: cuiusmodi multas hodie videmus in gemmis nouitiæ quidem cælaturæ, sed vetustissimi argumenti. Nunc de formis ipsis agamus. Non audio clarissimum virum Abrahamum Ortelium, qui partem Imperatoris equitantis laudabat, tanquam non recentem, auersam νεοτευτως suspectam habebat. Nos contra sentimus. auersæ partis argumentū longe vetustius iudicamus, quam illud Imperatoris equitantis, cuius pedibus subiectæ stapedæ, & omnis ornatus equi quam nouitia res sit, satis produnt. Auersæ partis stemmata non vno verbo explicari possunt. Priusquam igitur ad explicationem aggrediamur, sciendum apud veteres Christianos Symbola μυστικώτερα alia atque alia fuisse, pro ratione temporum ac diuersitate nationum. Ratio temporum primum nullam formam humani Vultus, sed aliarū rerum admittebat: postea etiam humanæ formæ admissæ. Nationes Orientales alia habuerunt, alia Occidentis Ecclesiæ, in quibus nullum symbolum fuit sine cruce, vt neque Orientalibus. Sed in Occidentali Eccl. sia crux statuebatur minio lita, vt Christi fusum sanguinem designaret. Cacumen crucis corona cingebat cum purpureis lemniscis, adiuncta etiam palma, vtrumque νικητήριον erat debellati huius seculi, & mundi triumphati, aut martyrii acquisiti. Hoc simplex ab initio erat stemma crucis. Adiectum postea Trinitatis mysterium, post debellatum impium Arrii dogma,

gma. Patrem Deum designabant verba ex rutila nube erumpentia: HIC EST FILIVS MEVS DILECTVS. Filius Deus Agni, Spiritus Sanctus Deus columbæ specie significabatur: Alii etiam alia parerga apponebant; XII. Columbas, quibus Apostolos volebant intelligi, quatuor flumina ex rupe manantia. Rupes seu petra est Christus, fluenta quatuor Euangelistæ aut Euangelia ipsa. Hæc erant symbola simplicissima illorum temporum, quum formas rerum, aut animalium, non autem humanas auderent pingere. Nam anchoram, nauem, piscem, columbam sculpebãt, aut pingebant: hominem non item. ὑγδ, inquit Clemens, εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπώτεον, οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται. In auersa autem parte nummi propositi duæ mulieres sunt: ex quo apparet symbolũ non esse vetustissimorũ temporum. Argumentum tamen ostendit non esse infimæ vetustatis. Primum igitur ingens solium, aut instar solii concepteculum nihil aliud est, quam hortus ille conclusus & fons signatus in Cantico Canticorum, per quem sacrum regenerationis lauacrum designatur, Ambrosius: *His igitur Sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus, quibus anima firmatur substantia. Meritoque videns profectum eius gratia concinentem dicit ad eam: Quam decora, &c. Hortus cõclusus, soror mea, hortus conclusus, fons signatus.* In medio huius κολυμβήθρας exstat minus labrum; quod verius dixeris hortum conclusum. Nam ex eo enascitur liliũ conuallium iuxta illud: *Ego sum flos campi, & lilium*

conuallium. de quo loco Hieronymus ad Demetriadem. Decem germina aut fructus emittit. Origenes homilia 16. in Genesim: *At vero Israelticus honorat decadē perfectionis numerum. Decem enim verba legis accepit, & Decalogi virtute instructus ignota mundo huic Sacramenta diuina largitione susceptit. Sed & in nouo Testamento similiter venerabilis est Decas, sicut & fructus Spiritus denis exponitur germinare virtutibus.* Non potuimus dare magis idoneū interpretem. Inter lilium erecta est crux instar ligni vitæ, e cuius cacumine quatuor columbæ totidem fluenta eructant. Ei sunt quatuor Euangelia: quemadmodum in Ecclesia Occidentali quatuor fluenta e petra manātia idem significabant: Columbæ sunt quatuor Euangelistæ. Et hoc quoque cum Occidentali Ecclesia facit, quæ per columbas coronam crucis circumstantes Apostolos intelligebat Paulinus:

Cui corona sunt corona Apostoli
Quorum figura est in columbarum choro.

Atqui duo ex Euangelistis sunt Apostoli, duo Apostolorum administri. Aqua illa quæ instar fluuiorum ex columbis fluens solium complet, est aqua baptismi: & denique omnia reliqua sunt sequela baptismi. Primum duæ columbæ sunt in latere solii, interiecto serpente, superincumbente Leone. Sed columbæ cum serpente per se considerandæ sunt, postea serpens simul cum Leone. Columbæ cum serpente est id, quod Dominus a regeneratis exigit: *Estote prudentes vt serpentes, simplices vt columba.* Hoc enim bapti-

baptizatis occinebatur. Ambrosius libro de iis, qui initiantur mysteriis, capite III., post alia: *simul & eorum, qui baptizantur, non in specie esse debet, sed vera simplicitas, unde & Dominus ait: Estote astuti, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Vude manauit illud in vetere Ecclesia prouerbium: μιγνύειν τὴν περιστερᾶν τὸν ὄφιν. Clemens Stromate septimo: ἁγαθὸν δὲ καὶ τὴν τινὸς ἑτέρου ἕξιν ἀναπαυόμενον τὴν θεοῦ ἀντὶ παντὸς ἀποδὺν καταλιπὼν καὶ πᾶσαν περιστᾶσαν αὐτὸν ὕλην ὑπερφανήσας τέμνει δι' ἧς τὴς ὀπῆς τὸν θρασὺν, καὶ διελθὼν τὰς πονηρὰς οὐσίας, καὶ πᾶσαν ἀρχὴν, καὶ ἐξουσίαν, ἅπεται τῷ θρόνῳ τῷ ἄνω ἐπ' ἐκεῖνο ὑφ' οὗ ἐτέμνετο, ἐφ' ὃ ἐγὼ λόγον, μίξας ἂν τὴν περιστερᾶν τὸν ὄφιν, τελείαν ἅμα καὶ ἐπτύνει δήπου βιοῦ πίστιν ἐλπίδι κεράσας πρὸς τὴν μέλλοντος ἀπεκδοχήν. Ait hominem quæ habet, ἀνανεανόμενον τὸν θεὸν, & omni impedimento mundanarum rerum renuntiantem (quis est ille, nisi φωτισθεὶς & baptismo regeneratus) miscere columbam serpenti. quod & loco Ambrosii adducto conuenit, & rationem tacite reddit columbarum cum serpente subter limbum Colymbythræ positarum. Leonis vero cum serpente consideratio, pertinet ad victoriam de Orco & Diabolo. Chrysostomus in Psalmum XLIII *Quis est iste Leo? qui de tribu Iuda vicit leonem & Draconem, qui significatus est in Psalmo.* Item: *Diabolus, qui delectatus est in primo homine captivato exinde captivatus est. Christo resurgente glorificato qui conculcauit Leonem & Draconem.* Quare non possumus ignorare, cu Draco fer-

penti subiectus est. Assident solio vtrinque opā positæ inuicem fœminæ duæ in sellis, anus stolata, & puella nuda, nisi qua velat ea, quæ pudor eclare iubet. Anus est Fides, puella Spes. Anus fingitur, quia antiquior lege. Abraham prima credentum via, vt canit Prudentius, longe antiquior Mose. Vnde & fides Tertulliano in Marcionem victrix vetustatis dicitur. Manu apprehendit, quia fide apprehendimus, quæ oculis subiici non possunt. Stolata est: quia baptismus vocabatur fidei vestimentum: vt Tertullianus scribit cap. 13. libri de baptismo. Et cap. 12. *induere baptismum* dicit. Contra spes & puellari specie est, quia semper viget, & nuda, quia omnibus terrenis renuncians expedita tendit ad cœlum πᾶσαν τὴν περιστῶσαν ὕλην, vt loquitur Clemens ὑποστολήν. Ideo auersantis habitu est, & canem tanquam omnes blanditias seculi calcantis, aut omnes adlatrationes hostium Christianæ pietatis. Ideo quemadmodum canem calcat, sic colludit cum columba, quam manu dextra prehendit, simplicitatem vnicam sibi cordi esse significans. Merito autem conjunguntur ambæ, quia altera sine altera non est. Chrysostomus in cap. 13. prioris ad Corinthios, commate vltimo, in editione Latina: *Quæ duo, id est Fides, & Spes, ita certa sibi mutua vice conjuncta sunt, vt altera sine altera stare nō possit. Quicquid enim Fides credēdo acquirit, hoc Spes sustinendo præsumit.* Quid quod veteres nouum Testamentum Fidei symbolum esse dicebant, vetus autem Spei? Paulinus.

Lex

Lex antiqua nouam firmat, veterem noua complet
In veteris Spes est, in nouitate Fides.

Denique quid a Catuchumeno exigebatur? Fides. Credo in Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, &c. Spes. Spero resurrectionem. Inde illa in vetustissimis monimentis Christianorum: CREDO VIVERE. SPERO RESVRGERE. DEPOSITVS IN SPEM RESVRRECTIONIS. Quinetiam non solum has duas coniungebant Poetæ Gentium, sed etiam & Fidem vestitam & anum iuducebant.

Quam Spes & albo nuda fides colit
Velata panno. Cana Fides, & Vesta.

Cana igitur Fide, & velata panno, vt hic, & coniuncta Spei. Inde Clemens παροιμιακῶς dixit πίστιν ἐλπίδι κεράσαι, quemadmodum dixerat μιγνύειν τῇ περιστερᾷ τὸν ὄφιν, alludens nimirum ad hæc vetusta symbola. Pone sellas vtriusq; astant singulæ Aquilæ, renouationem hominis per baptismum significantes, quod percepto baptismo dicerentur instar Aquilæ renouati. Ambrosius de initiandis cap. VIII. *His abluta plebs diues insignibus, &c. depositis autem inueterati erroris exuuiis, renouata in Aquilæ iuuentutem, &c.* vt nihil sit in hac nummi parte auersa, quod non ad sacramentum baptismi, & catechumenos pertineat. Postremo totus apparatus istius præstantissimi symboli clausulam habet felicitatis regni Christi, sub quo securitas ab omni nocumento promittitur cap. II. Isaiæ, commate 8. vbi dicitur puerum cum aspide collusurum. Ideo in labri, quod exstat supra aquam, latere

visitur puer cauda serpentes duos apprehendens, & secure tractans sine noxa. Quam eleganter Tertullianus in Hermogenem, capite 12. *quum restituta innocentia, & integritate conditionis prisca condixerint bestiis, & paruuli de serpentibus luserint, &c* 1111. in Marcionem, cap. xiiii. *Sed bene, quod creator hanc potestatem etiam paruulis per Esaiam repromisit, conuicere manum in cauernam aspidum, &c, Et vtique scimus salua simplicitate scripturæ, nam nec ipsæ bestiæ nocere potuerunt, vbi fides fuerit, &c.* Infra: *iam tunc eidem via id est fidei hanc euacuationem, & subiectionem bestiarum pollicetur.* Propter fidem igitur hoc symbolum pueri & serpentum appositum. Quare vides omnia inter se apta, vt aliud ex alio pendeat. Quam vetusta hæc sint, & quam falsus fuerit doctissimus vir, qui auersam partem huius numismatis suspectam habebat, ex iis, quæ disputauimus, & ex aliis, quæ longe plura afferri poterant, colligi potest. Nobis satis hæc erunt, dum doctiora iudicia aliquid melius in medium afferant. Itaque hactenus.

ORPHEI

ORPHEI

POETÆ VETVSTISSIMI

INITIA SIVE HYMNI SACRI

AD MVSÆVM,

Versibus antiquis Latine expressi

A

IOSEPHO IVSTO SCALIGERO

IVL CÆS. FIL.

ORPHEI HYMNI SACRI

AD MVSÆVM,

Versibus antiquis Latine expressi.

A IOSEPHO IVSTO SCALIGERO

IVL. CÆS. FIL.

Ὀρφεὺς δ' ἐχὶ πᾶσι μαυσαίοις.

Vtere amice quod felix faustumque sit.

PRei verba sacris operæ pretium patrandis
Quæ Musæ peculdubio numero omnib. præstat,
Maie Iouis, Tellus, lumen genitabile Solis
Lunæ tubar almum, atque omnia sydera mundi,
Et tu Neptune Ambarualis cærulicrinis
Libera, Lustradis Empandaque frugiferens Ops,
Deiana arcitenens, & Februe Dis iaculator
Qui Delphorum habitas pomeria: tu quoq; honores
Immanes indepta Dis, Salisubsule Liber
Mauors Nerienes, Volcani purima virtus.
Et Dea Spumigenæ rerum infinita potestas.
Et tu etiã omnipotens, Rex maxime Summanorum.
Diua Iuuenta parunda, Neronis numina Sangi,
Iustitiam augustam, atque augustam Pietatem,
Obtestor, pusasque viras & numina Fauni
Iunonemque Sacram Iouis omnipotentis maritam
Mammuriamq; almam oro, Nouensileq; Camenas
Temperiasque Venustatesque, Annique Labores,

Latonam Cincinnatam oro & Murtiam amœnã,
Armigeros Salios, Lucumores Grunduliosque
Atque potes Diuos, Iouis immortale propagmen.
Idaique Camillos, & sirempse Deorum
Mercurium accensum, & Iuritis cortumionem,
Et noctem Maiam obtestor: Lucemque diei.
Tum Fidiam, tum Fas & Fastam iura datantem.
Saturnumq; & Opem pallaq; Veniliam amictam.
Oceanumque voco magnum. Oceanique puellas
Et vires Telamonis, & Æui secula fessa.
Tempusq; æternum, atq; paludis sagmina Auernæ.
Mulciberosque Deos, lumenque illustre Monetæ.
Et Manum Genium, atq; innuũ mortaliũ homonũ
Cœlestesque Iõues atque Ærios, & Aquantes
Terrestres etiam, & Summanos Igniuiosque
Et Semelam, & Bruni fauantes rite cohortes
Matutam Albumeam, Portumumq; omnipotentẽ,
Et Græcam Nemesim & numen victoriæ Aiæ,
Nec non patrinum cœlestem Æsclapium amicum
Et per terricrepa arma Mineruæ, & flamina bruta
Fulminaq; atq; arguta quadri modulamina Mũdi
Mæsium, Casnarem, Diuum Latiamq; parẽtem,
Cœlestemq; Lubẽtiam, & indigetẽ Deum Adonem
Principium & finem, namq; ille est omnib. totum,
Hos mitis precor aduentassere numine læto.
Ad mea Februa, & Inferii Libamina sacri
Obtestor Triuiam Deianam Cœlegenamque
Terrigenam, sirempse voco, æquoreamq; paludem
Et vitulantem inter nigros Lemures Libitinam,
Quæ loca vasta colit, ceruorum sanguen adulans,
Omnipotens regina, Canaria, Noctua virgo,
Carnea perpetui mundi Bupetia sancta

Dux,

Dux, vira Rumia, Diua vagans per scrupea saxa
Mitis vti nostris intersit candida votis
Numine præsenti gratans bona fausta bubulco.

ORPHEI INDIGAMENTA DEORVM.

Προθυραίας θυμίαμα, στύραξ.

Carneæ Limentinæ Forculæ.

Adsis o Veneranda Deum Maiesta Camilla
Fœtarum tutilina, & Lucina dolentum
Sospita fœminei sexi, studiosa propagis
Nummeria, atq; nouis nuptis Dea Forcula præses
Carnea perfacilis, Picumina, eadẽ omnibus mitis
Quæ cunctorum habitas ædes epulasque frequentas
Cinxia & inuisa, ast eadem omnibus parens
Partum ægrum miserens, numero parientib. gaudẽs
Dia parunda, luens vterorum ægerrima claustra
Te fœtæ vocitant, solamen dulce laborum,
Nam tu fœtiparentum vterorum claustra resignas
O Partuna Diana Palatua Limentina
Suffice prolem almam, titula adstans parturientum
Et serua omnium vti cluis semper sospita Iuno.

Νυκτός θυμίαμα δαλούς.

Noctis suffimen, Torres.

Te te Diua voco omniparens Diuumque hominũq;
Principiũ est nox omniũ & est nox Murtia nobis,
Audi Diua parens caligans syderiduca
Quæ loca pigra colis somnoque habitanda silenda
Iucunda & pernox epulonaque somnia gignens
Curifuga atque optanda quies placidissima rerum

Somnidua omniũ amica, & equiria Nocti crepusca
Imperfecta eadem terrestris cœlica rursus
Vortens omnimodis Dea Mostellaria ludens
Quæ lucem legas sub Tartara, rursus ad Orcum.
Manas: nam eogunt rerum inuictissima iura
Adsis o veneranda, optabilis, omnibus grata
Mitis suppliciorum illabere vocibus sanctis.
Adsis diua fugans Iaui simulacra crepusci.

ὑρανοῦ θυμίαμα, λίβανον.

Cœli suffimen, Tus.

Cœle Pater rerum Mundi pars, irrequiete
Calce parẽs omniũ qui principiũ exitium omniũ es.
Munde pater voluens am terrã anfractibus magnis;
Cœligenum domus præcipitans vortiginis orbe
Cœlice terrestris, custos cortinaque rerum.
Amplectens naturali pollentia iura
Cærulei indomite & Volturne parens, Vortumne
Omnituens, Saturoisatorque superrimi Die
Huc ades, atque nouo vitam moderare Camillo.

αἰθέρος θυμίαμα, κρόκον.

Primigenii suffimen, Crocum.

Qui Iouis intectis dominaris peruigil ignis
Stellarum Solis, Lunaique omnipotens pars
Omnidomans, spirans, animantum viuidus ardor;
Cærulea celsa regens elementum nobile mundi
Fos ignite iubar genitabile siderilune
Cum precib. calo te innocuumque & tẽperium esse.

πρωτογόνου θυμίαμα, σμύρναν.

Primigenii suffimen, Murra.

Primigenam obtestor geminũ magnũ aërimolgum
Indugenam pinnis aureis illustribus aptam;

Tauri-

Faurigenium, Diuum atq; hominũ genitabile semẽ
Antidea in terra celebre & memorabile numen
Inductum, Latium, torrentem nobile germen
Qui experam exterſti cœcis caliginem ocellis
Peruolgans mundi nutantibus mœnia pennis
Lumina prapandens, huic Lunus diceris eſſe
Mutumuſque Deus, & Noctiluca crepuſcula.
Sed Voltorne pater, Semo latiſſimus adſis
Flammibus ſanctis ad feſtum pandiculare.

ἄϛρων θυμίαμα, ἄϛρωμα.

Siderum ſuffimen, Aroma.

Mundi ſignitenentis ouantia lumina flammis
Caſta voce calo, Genioſque volubilis cœli
Sidera mundi clara minuti Nocti Quirites,
Circitibus magnis cœli caua conficientes
Fulgentes igniti omnium genitalis origo
Fatiferi Morta ſignantes iura ſeuera
Aptantes diuinum itiner mortalibus primis
Septenumque tribuni caſtrorum aeriuolgi.
Cœlica terreſtris gens flammiuaga irrequieta
Nocturni creperi obſeruantes pallia furua,
Flammas ſcintillantes, læti, peruigileſque
Elicio vos ad feſti ſacra conſcia cultus
Fauſtum allucentes facem ad omnia adorea facta.

ἡλίῳ θυμίαμα, λιβανομάνναν.

Soljs ſuffimen, Libanomanna.

Princeps qui aternis oculis opera omnia luſtras
Titane illuſtris, præſtans Coui omnipotens lux
Indugena irrequies, ſpeculumq; amantium amicum
Dextume Matuta pater alme, ſiniſtume noctis

Temperias moderans, persultans quadrupedantes.
Gradiue & torrens, ignite, venuste, curulis
Corficiens itiner, rapida vertigine cursus
Atque pijs hominum dux fauste, nefantibus hostis
Et fidicen numerum pinsans modulamine cœsi
Dux faustorum operũ genitor bone Temperiarum
Mundiperans, oscen, flammans, circaneus alas,
Lucifer, indagator, alebrius, frugifer, alme
Igneus pure, pater tempestatum, omnipotens Dis
Side, micans, agilis, mundi stillantis ocelle
Occidue, & rediuiue, iterum immortalib. flammis.
Quæstor Justitiæ, aquilastriui, atque here mundi,
Sange, Jouis fidius, supreme atque omnibus præsens,
Juris Cortumio, vitæ lux, Troffule equiri
Quadriiuga arguto instigans forcata flagello
Tedoramus Camillis vitam alluxe beatam.

σιλήνης δυμίαμα, ἀρώματα.

Lunæ suffimen, Aromata.

O Regina potens Lucina superrima virgo,
Luna patalis Venus, Noctiuigila, aeriuolga,
Pernox tedigerens, stellis comitata Luna
Iana nouella senescens femina. masculus idem
Luna autumna micans, seclorum mater equestris.
Succina Vaiouis, illustris, dilucula pernox
Omnituens, leuisomna cluens stipantibus signis
Lætitia locupletis amans, pacisque Vacuna
Percoqui frux, Triuia, Lutetia, Noctis ocelle
Astrice, prætextata, obstita, Minerua virago
Hecates stellata iubent resplendida, fulgens
Luce tua & tu supplicibus studiosa, faueto.

φύσεως

φύσιως θυμίαμα, ἀρώματα

Naturæ suffimen, Aromata.

Natura omniparens doctissima dædala mater
Cœligena & Maiesta, faber, Regina venusta,
O victrix, inuicta, magistra, eadem omnibus lucens
Induperans, & honora & præstantissima rerum.
Primigena, æterna, incanaque casca virago,
Noctua signitenens, Lucinaque & omnipotens vis
Mollia suspensis pedibus vestigia librans,
Ornatrix augusta Deum, infinitaque finis
Nulli communis, communiter officiosa
Indugena, sine patre cluens virtutibus magnis
Flora, Venus, Pamona, Volupia, plurima saga,
Dux & sanga potis, Vitunaque Ruima mater
Iuritis satiasque venustatumque Suada
Cœlica terricola, dans iura potentibus vndis,
Semper amara malis, & semper amica piorum,
Saga, cata omnidua, eductrix, regina potestas
Aprilis adolescentum, indidem adulta resoluens.
Omnium tu pater & mater, nutrix queq; & altrix
Numeraria atque beata, Ceres, vis Temperiarum,
Omniparens, figula, & multarum perfica rerum
Æterna & motans sapientipotensque Minerua,
Pilentum rapidum æterna vortigine torquens
Iuno Fluonia, Circinaque & Vortumni figura
Et maiesta curulis, honoraque iuraque dictans
Semper ouans supra regum caput, induperatrix
Intrepida, omnidomans, parca, flammata, Tenira
Flos vitæ æternæ, immortalis, Mammuriæ vis.
Omnia tu sola, es nanque omnia tu Paris ipsa,
Quare ted oro cum ditibus Temperiabus
Pacēq; atq; salutēque, & omnifera augumina rerū.

παν ὸς θυμίαμα, ποικίλα.

Fauni suffimen, omnigena odoramenta.

Faune ades Vpilio, mundi substantia totius
Cœlum, salsa maris, terrai dædala sedes,
Spiritus flammai, nam q̃ hæc mẽbra omnia Fauni;
Peruage Faune, Sali, collegaque Temperiarum,
Capripes. & fanatice, ouator, siderisolge.
Vocibus flexanimis mundi concenta figurans.
Larvarum Titule. Humanum remeligo tremorum
Propter aquas gaudens pastoribus atque bubulcis,
Collimans velox Aia ignis sodalis Virarum,
Omnigena, omnigenens, rerum celebrata potestas,
Mundiperãs, Lucine, Iuturne. Autumne, nutritor
Antricola, irritabilis iure Iouis capricornus,
In te nam omniparẽ terrari stant sola fixa.
Æterni & cedunt latantia marmora Ponti
Et terram Oceanus Lustrans anfractibus salsis
Portioque aeria, ignipotens alimonia rerum
Et caput ad summum pernicia lumina flamma;
Nam concreta tuo imperio hæc aterna feruntur.
Naturamque tuis mutas pollentibus iussis,
Multorum, auctans in terra mortalia secla.
Ergo pater fanatice, ouator, ad hæc tua Laba
Vise & vitei bene dones exita iusta
Externans Inuos terrores finibus terra.

ἡρακλέος θυμίαμα, λίβανος.

Herculis Sangi Fidii suffimen, Tus.

Sange pater Titane, Nero, Nerien, vitiate
Vastimanusque inuicte aptus palmeria optima
Volturne auctor temperis, sempiterne benigne

Indi-

Indicte agrestis, bene votite, induperator.
Magnanimũ cor habẽs, fera mẽbra salutifer augur.
Omnifore, omniparens præstane, pater Tutane.
Qui titulus eluis debellans incitora monstra.
Semper ouans pacis studiis nutricis honora.
Nate tuo ingenio, Terrai inuicta propages,
Ignibus primigenis florens, o die cluenti
Matutam capiti gestans, noctemque crepuscam
Sex bis ad occasum absoluens certamina abortu
Dis experte & inexperte inconcusse lacertos
Adsis morborum auerrunca piamina portans,
Et portenta moue, quatiens sacra februa dextra.
Et mala præpetibus protela obscœna sagittis.

Κρόνου θυμίαμα, στύραξ.

Saturni suffimen, Sturacem.

Cœligenum Diuorum, hominumque illustris origo
Multifore & Lustralis, Nero, Nerien, Titane
Qui cuncta absumis quique omnia perficis idem,
Vinclis indupedite per orbis vasta silenta
Saturne aui progenitor, Saturne dolose
Terrai proles, & cœli signitenentis
Stirps genus, obstetrix, Titane endestrue, opis vir.
Qui genitalis obis per mundi singula membra
Caluitor, versute: fauens orantibus votis
Æquanimum vitæ finem mortalibus adfer.

ῥέας θυμίαμα. ἀρώματα.

Latiæ Opis suffimen, Aromata.

Ops veneranda, genus Vortumni Primigenai
Quæque agitas etiam voluentia plaustra Trionum
Tumpani verbera, cerita, atque æricrepa virgo,

Mater magna Iouis Latia Ops cœlestis, paludi
Polcra, & honorata, & Saturni augusta marita,
Montibus quæ gaudes, hominumq; vlutalib. sacris,
Ops Maiesta, parens, bellicrepa, Nerio Dia
Sospitaque & mendax Picumnaque Libera mater
Mater cœligenum, mater mortalium homonum:
Ex te etenim Tellus, sedesque superrima Cœlus
Et mare salsum, auræque errones aeriformis
Quare dia adsis huc sospes numine claro
Pacem producens cum rerum copia opima
Eminus protelans, pestesque piaculaque atra.

διὸς θυμίαμα, στύραξ.

Iouis suffimen, Sturaca.

O venerande Iouis, Iouis sempiterne, tibi ista
Auerrunca damus nos, adiestataque vota,
O Iouis isthæc cuncta tuo sunt numine creta,
Terra tua est, Terræque immania culmina montes,
Et mare, quæque fretu aerio cortina recepta
Induperans, Saturnius Iupiter, Elicius Trux,
Omnigenens, atq; omniũ principiũ, exitiũ omnium
Fulgetrum, tonitru, fulgur, Iouis progenerator
Audi me Volturne & da vsu pare salutem
Et pacem diam, & bona adorea diuitiarum.

ἥρας θυμίαμα, ἀρώματα.

Iunonis suffimen, Aromata:

Cœruleis innixa sedilibus aeriformis
O Iuno regina Iouis ditissima coniux
Quæ mortalia corda veges animalibus auris
Nimborum mater, ventorumque omnigenitrix
Iam sine te non est vitæ spirabilis ardor

Omni-

Omnibus participas immissa potentibus auris
Omnia sola tenes, atque omnibus incluta regnas.
Aeris præcipitans stridore fluuonia Iuno.
Sed te Diua parens obtestor, adorea, Maia
Huc sodes venias volti ridente lepore.

ποσειδῶνος θυμίαμα, σμύρναν.

Neptuni suffimen, Murra.

Audi Neptune Ambarualis Salsicapille,
Trossule, fuscinã habens manib. Neptune tridentem
Cœrula concelebrans vasti fundamina Ponti,
Ponti prætor, aquigrume, crepe, Terricreme acer,
Vndifluens, & raua tuens, agitansque qnadrigas,
Expergefaciens vegeto vada salsa tremore,
Tertia quoi sorti cessit tutela marina
Scamigerum pecu amans, & aquas satis Cæruli Die
Siste statum terræ aspirans, bona manibus flabra
Pacemq; atq; salutem addens, & opum aurea dona.

εἰς πλούτωνα.

In Væiouem, Carmen.

Magnanime induferum peruolgans fulua silenta
Tartarea atque crepusca, obliter a prata tenebris
Tellumo Væiouis aferio te hoc munere macte
Dis qui cardineus Terræ cluis omniparentis
Secla nimis ditans mortalia frugibus hornis,
Tertia quoi sorti tutela obuenit Auerni
Cœlituum solium, firmum stabilimen homonum
Qui solum habes ad castra obnubila senta tenebris
Longinqui æterni & inexorabilis Orci
Atq; Acherunta atrum terrat immane statumen
Iura tenens hominum Mortai munere sancte

Conse Deæ Cereris pueram qui victus amore
Gramineo raptam prato per cerula ponti
Quadriiugo auexisti equitatu ad Atthidis antrum,
Gentis Eleusinæ: vbi sunt spiracula Auerni
Vnice nota Deus censens ignotaque rerum
Cerite induperans sanctissime compos honorum
Vatibus præstitibus gaudens, & cultibus sanctis
Mitis ades, rogo te, lætus venerantibus turbis.

κεραυνίου διὸς θυμίαμα, στύρακα.

Tonantis Iouis suffimen, Sturacem.

Iupiter altisoni torquens loca flammea mundi,
Fulgetrarum animas crispans petulantib. flammis,
Cœlituum sedes conquassans, fulmine sacro
Flamigeris stringens streperos torrentibus ignes
Tormina, qui nimbros, rubra tela, tonitrua bruta
Vibras, inuoluens animata rubentibus telis,
Flammiuoma & perterricrepa, iritata ruinis,
Præpes, ouans telum, cordigrumum horricapillum
Insperatum ardens, victricis missile dextræ
Omniuorum insano plangens horrore tumultum,
Indomitum, horriferum, candenti flamine præceps.
Cœliuagum telum, velox Iouis Elicii arma,
Quã tremit omniparẽs Tellus, quẽ marmora salsi
Vivaque sæcla, sonor tergens cum personat aures,
Luminibus fulget species, rubra fulgura splendent
Aëris in caulis, & tenuia tegmina scindens,
Obnupti Cœli candentia fulmina torques
Ast o Die effunde iras apud æquora salsa,
Et mõtana iuga: haud tua robora magne latent ne
Sed fautas sacris & mentibus grata repende
Vitai bona cara, vigentia regna salutis,

Et p-

Et pacem Diuum, nutricem semper honoram,
Et victum æquanimis semper rationibus aptum.

Διὸς ἀστεροπίου θυμίαμα, λιβανομάνναν.

Iouis Fulgetrii suffimen, Libanomanna.

Obtestor magnum, perterricrepum, manifestum
Aerium flammantem, ignicreperum, aerilunum,
Nubium, instiganiem æstus singultibus brutis,
Horrendum, insanum, indomitum, lustrabile numẽ
Fulgetriumq; Iouem imperatorem, omnigenentẽ,
Tradere inoffensæ vitæ terminum amœnum.

νεφελῶν θυμίαμα, σμύρναν.

Nebularum suffimen, murra.

Æriæ nebulæ, aeriuolgæ, frugiparentes,
Imbriparæ per mundum agitatæ ingentibus auris,
Fulmineæ, ignitæ, strepero, atq; humectæ vagantes
Aeris in gremio hortantes inamabile murmur,
Flaminibus pulsæ stridentis impete magno.
Nunc vos roscidulæ obtestor spirantibus auris,
Præcipitate imbres in terram frugiferentes.

θαλάσσης θυμίαμα, λιβανομάνναν.

Diuæ Veniliæ Salaciæ suffimen, Libanomanna.

Oceani inducalo teglauca Venilia proles,
Cærulipalla, vagans loca perletantia Ponti,
Amiterræ finis exercita suauibus auris
Murmura puluinis ripæ alludentia frangens
Atque exercitiis sudis pellacibus ludens,
Naues exsultans, pecorosa loca humida lustrans.
O Mater Veneris, nebularum mater onantum
Et fontium omnigenum, liquentum suauibus vndis,

Huc adsis nobis & blanda illabere votis,
Nauibus immittens animarum flamina suda.

νηρίως θυμίαμα, σμύρναν.

Terenti Consi suffimen, murra.

O qui salsa tenes liquidi penetralia mundi
Quinquaginta vna pusis per cœrula gaudens
Cœtibus virgineis, genius maris alme Terente
Fundamen mari margo terræ principium omnium
Qui moliris statum terræ cum scilicet arces,
In caueis olim indignantes murmure Cauros.
Sed motus terræ auerrunca & mitte ministris
Flaminibus, pacemque & opes, ditemque salutem.

νηρηΐδων θυμίαμα, ἀρώματα.

Salaciarum Nerienum suffimen Aromata.

Pullæ cœruleæ liquidi gens blanda Terenti
Latiæ ædilesque penates, ludicræque, fluitantes,
Quinquaginta vago fatuantes marmore pusæ
Triconum currus sectantes pone, inhiantes
Semiferis Geniis quos vitreus educat humor;
Atque aliis quicunque colunt liquentia castra,
Vindicolæ Salii Lustrantes agmina aquarum,
Vndiuagi, liquidi Delphini glauca tuentes,
Vos oro magnam copem rem cette Camillis,
Nam vos festa coegistis Comitia primæ
Liberi augusti, & Liberæ augustæ,
Lucinia cum matre, & Apollinere induperante.

πρατέως θυμίαμα, ςυρακα.

Iani Maii suffimen, sturacem.

Te calo naturæ salsæ Maium ædituentem
Prim genam qui naturam egit in ordia prima

Omni

Omnimodis mutans sacra fœdera materiæ
Famiger & Consentis callens omnia quæ sunt,
Antideaque fuere, & mox ventura trahentur.
Nam natura prior Maio omnia commendauit,
Quare o nobis auguriis veracibus adsis,
Dans placidam vitæ finem felicis habere.

γῆς θυμίαμα, πᾶν σπέρμα, πλὴν
κυάμων καὶ ἀρωμάτων.

Telluris suffimen, omne semen, præter fabas & aromata.

Tellus, Ops mater Diuorum & mater homonum
Altrix, percoquisfrux, intercidonea, larga
Conflua atque adolescens, polcris frugibus augens,
Æterni mundi fundamen dædala virgo
Qua varias edis fruges maturrima partu.
Anna, peranna augusta, empanda, opulenta, beata,
Suauifero exsultans geminanti gramine Dia
Imbriprocax circa quam signitenentia castra,
Et cœlum aternis vicibus torrentibus fertur,
Diua parens auge terræ viridantia fœta,
Clara fauente animo, cum Temperiabus opimis.

μητρὸς θεῶν θυμίαμα, ποικίλα.

Matris Deum suffimen, varia.

Mater cunctorum augustissima Cœligenarum
Huc sis Maria Dea conferted adiua sacra
Tauriuomos iungens citimos ad carra Leones.
Æterni regina coni, celeberrima, honora
Qua media mundi stas fornice, quod bona terram
Ipsa tenes homines lactans Dea cicure pastu,
Ex te Cœligenarum, ex te mortalium origo est,

Et liquens natura tibi fluit, & maris humor
Vestam te vocitant, atque Assidua indigitatio,
Quod duis humanis polcralia adorea multa
Vide tuos castus, o Candida tumpani cultrix,
Victrix sospes Brugum Saturni maxima coniux
Mœsia, Cœligena, nutrix, fanatica Dea,
Lata adsis gratans festis rata cultibus signa.

ἑρμῆ θυμίαμα, λίβανον.

Mercurii suffimen, tus.

Maiai stirps alma Iouisque accense Viator
Magnanimũ cor habẽs, quinquertio, cẽsor homonũ,
Vinule, Multiuole, internuntius, Argilete,
Alipes & mortalium amor sermonis minister
Quem fraus, quẽ certamina adulãt, anguifer omniũ
Interpres variæ linguai, Nundine liber,
Sanguineum gestans caduceum pacis amice
Frugi Coruciota, Locuteie, Aie, beate,
Atque operum Titule, & Tutane necessibus rebus
Et mortalibus præsidium venerabile lingua,
Adsis oranti vitæ addens exitum amicum,
Cultu operum, memori menti, sermonibus lectis.

ὕμνος περσεφόνης.

Carmen Liberæ Proserpinæ,

Libera magnanimi Iouis adsis incluta proles
Vnigena princeps, esto hoc libamine macta
Coniux Ditis honora, boni largissima victi
Quasub visceribus terræ dominaris Auerno
Parca & cincinna Iouisque insigne propagmen,
Manarum genitrix Iouis infernatis tribuna
Quam pusam arcano Iouis semine progenerauit,
Mater multicrepi Volturni maxima Consi

Lucina,

Lucina speciosa, & percoqua Temperierum,
Seria, regnatrix Larunda, frugibus gliscens,
Corniger, illustris, mortalibus grata virago,
Flora gramineæ quam oblectat spiritus auræ
Corpus tuum obtestans Terræ viridantibus fœtis
Numeraria & fœta, Autumni sub tempore nubẽs,
Vita itidem mors sola eadem mortalibus ægris
Fordicida, etenim fers omnia, & omnia cædis.
Huc hera sis, fruges e terra funditus educ
Blanda pace vigens, illibataque salute,
Et vita fausta mitem legante salutem,
Ad tua templa Dea, & potis indufera atria Ditis.

διονύσου θυμίαμα, στύρακα.

Liberi patris, sturacem.

Liberum ego veneror, crepericreperum fatuantem
Primigenam, geminum, Brumalem, terque renatũ.
Cornigerum, agrestem, obscurum, arcanũ duiformẽ.
Cinctum eneris, taurifrontẽ, Mamertium amœnũ
Baiule, trime pater, vestifrondem auigerentem
Consentis, Consul Iouis, & Proserpinæ opacæ
Editus arcano nixu purissime Die,
Annue suppliciis, & blando numine sponde,
Mitem animum spirans, cinctutis proximus assis.

ὕμνος κουρήτων.

Carmen Saliorum.

Amburuatores vestigia ahena prementes
Collini Salii, Salisubsuli & fatuantes
Pulsifides, & talipedi, leue persultantes,
Armigeri, vigilesque, magistrique ominifausti,
Matris Lugantinæ latrones atque Camilli

Augusti ad sermonis adeste fauentiam amicam,
Et semper placata occurrite mente bubulco.

ὕμνος ἀθηνᾶς.

Carmen Mineruæ captæ.

Magnanimi Iouis vnigena stirps Dia Minerua
Dia beata, ferox, bellicrepa, Neriene,
Dicta indicta, itidem celeberrima, & antricolona:
Concelebrans ruptas scruposa palatia cautes,
Deliciasque tuas viridaria montium opaca,
Armipotens furiis figens mortalia corda
Toruo animorum exercitio Bellona virago
Artiparens, tedarum expers Gorgonitrucida,
Tu Furia infandum, sapientia sola bonorum,
Mas & fœmina Belliparens, indostrua toto,
Vortumna atque excetra ferox fanatica, honesta,
Vltrix Titani Pelegrensis equiria, volgi
Capta, mala noxæ Auerrunca Feretria virgo.
Iam lucu, noctu supremo in tempore quoque
Annue adoranti, & pacem largire beatam,
Temporibus faustis, satiatemque atque salutem
Cæsia & artiparens, multum votita Camilla.

νίκης θυμίαμα, μάνναν.

Diuæ Victoriæ suffimen, manna.

Obsecro te Victoria pos gratissima rerum
Endo procinctu, cernentia quæ agmina ferro
Et rixam luis alterutris ex partibus pugnæ
In bello cernens, vt quis palmarium adeptus
Quis tu cumque fauens præstas dulcissima vota,
Omnia nam moderare, & grandis adorea belli,
Tota ex te pendet, ætis vitu, antibus augens.

Quare

Quare huc sis venias, cupienti Dia Dearum
Semper præclaro iungens operi agmina laudum.

ἀπόλλωνος θυμίαμα, μάνναν.

Apollini suffimen, manna.

Februe te Juturne præcor Tituicida Luperce
O memnita verende salutifer altor honorum,
O fidicen, Consiue parens, Titane Segeste,
Soriculate pater, Vaticane excetricida,
Lucifer, agrestis, rex mustule, nobilis, pubes,
Præsul, Casmœnisque sagittifer, arcitenensque,
Brume pater, collimatorque, obstite, gemelle
Delie rex, qui illustrem aciem huc partiris & illuc,
Auricome integra præcepta atque oracula fatans
Pro populo orantem me cœlitus vise parumper:
Nam susum aspicis immoderata hæc æquora cœli,
Et supera terras & noctem subter opacam
Nocte silente sub vmbræ signitenentibus flammis,
Radices statuisti infra tibique extima mundi
Et tibi principium, tibi soluitur exitus omnis,
Omni virens fidibus, tu cœlica templa canoris;
Permoderaris ad imæ nunc confinia sedis,
Nunc ad primã iterum, nũc ad modulamina Dorii
Cœlum omnem varians varias animantia secla
Temperies hominum moderans, æqualia fata
Tantundem miscens, hyemisque atque æstuis iisdem,
Discernens primis hyemem, inferioribus æstus.
At veris grati speciem modulamine Dorii,
Vnde homines tedindigitant cognomine vero
Faunum cornigerum, ventorum sibila hiantem
Quod magni omnis habes signacula dædala mundi,
Huc adeas here flaminibus pro supplice voto.

λητῦς θυμίαμα, σμύρναν.

Latonæ suffimen, murra.

O Latona gemellipara, trabeata, verenda
Nerio Cæantis, multum votita, modisque
Morigeris, Iouio partu dilescere dulci
Promerita es, Februum Ianamq; sagittipotentem
Progenerans, hunc in Delo, eam in Ortygia alta.
Ergo huc adeuntis præsenti numine Dia
Huc ades, & sacro sis felix panditulari.

ἀρτέμιδος θυμίαμα, μάνναν.

Deianæ suffimen, manna.

Huc, huc o regina, Iouis celeberrima virgo
Libera, famigera Titana sagittipotensque
Venatrix, Lucina parens, manifesta parunda
Partubus adiutrix maturis partubus expers,
Cinxia, curifugax, ceritaque vertagi duca
Noctiuologa Dea, arcitenens, venatica pernix,
Verrunca, & Beneuenta, Calendaq; masculiformis
Porrima, Nũmenia atq; hominũ facilissima nutrix,
Summana, agrestis, fericida, beata, locuples,
Quæ lucos habitas, castissima, ceruitrucida,
Regina augusta, & viri spectabilis auo
Cudonis, Vortumna, Canaria, fagutalis
Huc venias huc Dea tuis & sospita & alma.
Præstitibus ducens terrai pignora adulta,
Donaque pacis amœnæ polcricomamque salutem,
Inque altos montes protela, funera, morbos.

τιτάνων θυμίαμα, λίβανον.

Titanorum suffimen, tus.

Titani terra & cœli illustrissima stirpes
Nostrorum proaui patrum, intra Tartara regna,

Ædi-

Ædibus horrificis terræ inteſtina colentes,
Principium & ſemen cunctis animantibus agris,
Aeris & maris & terræ frugiferæ
Ex vobis ſiquidem generatum eſt omnis propago
Vos veneror iras auerruncaſſere iniquas
Si quis ab infero noſtra incubat æde Senatu.

χαρίτων θυμίαμα λίβανον.

Saliorum ſuffimentus.

Æricrepi Salii ancilia Martis habentes
Aeris & terræ & maris indigetes opulenti
Terrarum tituli, genitalia ſemina mundi
Quiq; Samothracen habitacula ſacra colentes,
Caſibus eximiis per cœrula velificantes,
Vos primi ſacrum mortalibus inſtituiſtis
Æterni Salii ancilia Martis habentes
Oceanum quatitis quatitis mare, roboraque alta
Terra inſultantes pedibus ſtrepitis rutilantes
Geſtibus arma tremunt animantia ſecla ferarum,
Et fragor & fremitus peruolgat cœrula cœli
Et glomerante pedum ſonitu ſtant puluere nubes
Et florum ſpecies viridantium verna pateſcit
Æterni genii atque Ioues & Veiouè quando
Torua inimiciter occurrunt mortalibus ira
Vaſtantes victumque & opes, ipſoſque nocentes
Inde loci magno crebreſcunt murmura ponto
Stirpitus & quercus procumbunt æquore campi,
Parmarum flictu cœleſtis reſultat imago.
O Salii atque potes Saliſubſuli induperantes
Indigetes, Samotracii, & incluta Diuuis proles
Æterni flatus, animales, aeriformes,
Quique etiam gemini per cœli templa cluetis

Spirantes, sudi, mitesque salutiferique,
Temperii, Autumni, Diui, medioxumi, anheli.

κορύβαντος θυμίαμα, λίβανον.

Diui Inui Lucumonis suffimen, tus.

Induperatorem magnum telluris adoro
Inuisumque Inuum, felicemque atque Quirinum
Nocturnum Lucumonem, obicẽ laruatilis vmbræ,
Terriculi auxilium: desertaque concelebrantem.
Incubum, item geminum Volturnum multiuolumq;
Sanguineum, atq; vtriusq; cruẽtum vulnere fratris,
Numine qui Cereris mutasti corpus amœnum,
Terrificæ excetre insinuans serpentia membra
Vota lubens audi creperosque auerte timores,
Sistens obscœnas species crucias animorum.

δήμητρος ἐλευσινίας θυμίαμα, στύρακα.

Cereris matris Elusiniensis suffimen, sturaca.

Alma Ceres mater Diuum, celeberrima Dia
Rumia sancta Pales, copis largissima victi
Omnia dans fruges, & opes, Pomona, Segesta
Tantum concelebrans pacem, agricolasq; Labores
Semona accumula, tritutrix, frugiparensque
Quæ angustæ sacraria Eleusinis dominaris.
O iucunda, benigna, hominum placidissima nutrix,
Quæ prior agricolas iuncti sub plaustra triones
Illecebris mitem edulcans mortalibus victum.
Æui adolescens Brumorumque sodalis, honora
Lucia tædigerens, messorum falcibus gaudens,
Tellumo tu, tuque illustris, tuq; omnibus ridens,
Proletaria, amans natæ, Dea Rumia nutrix

Quæ

Quæ biiuges auriga iugans ad frena colubras
Amfractu circaneo ouas tua an sol-sancta
Vnigena, & forda, atq; hominũ augustissima cura;
Quoi sunt omnigena & quoi frugiparentia volta,
Ergo huc spicigerente gruescens munere adesdum;
Adducens pacem & legum concordia iura,
Fertileque vber opum, & pollentia dona salutis.

μητρὸς ἀνταίας θυμίαμα, ἀρώματα.

Empandæ matris suffimen, Aromata.

Omnipotens Empanda parens, celeberrima Dia
Mater Cœligenumq;. Deum, & mortaliũ homonũ
Quæ olim errans desiderio perfixa nitenti
Solata es in Eleusinis ieiunia valle
Furua obiens Proserpinæ omnipotentis Auerna,
Ipsa ducem offendens purum non pura puellum,
Narrantem inferni connubia Diuouis sancti
Quæ Consum paris icta humani vulnere amoris
Te multum votita precor sanctissima mater.
Hice tuo aduentare fauentem dia Camillo.

μίτις θυμίαμα στύρακα.

Ambiguæ bigeneris suffimen, sturaca.

Accinctum ferula te legifer incalo Brume
Æternum magni numen memorabile Consi,
Bura sacer, bigener, Regina indicta, virago,
Mas eadem, mulierq; bimembris, libera, bruma,
Siue in Eleusinis templo lætaris odoro
Siue etiam in Frugia cum matre arcana agis sacra
Siue etiam in Cupro degis cum Murtia amœna
Vel si frugiferis persultas pabula campis,
Cornigera cum matre tua Deus Iside sancta,

Cumque assis famulabus ad alma fluenta Melonis
Adsis diua fauens ob rerum præmia sancta.

ὡρῶν θυμίαμα, ἀρώματα.

Temperiarum suffimen, Aromata.

Temperiæ Iouis & Iuritis sancta propages
Aurea lex & fas & pax ditissima rerum
Vernæ gramineæ, puræque & multiuirentes
Omnicolores suauehalantes spiritu amœno;
Temperiæ virides vortentes & speciosæ
Pallas indutæ sertis pubentibus aptas,
Congerræ Proserpinæ vbi eam solemnibus Partæ
Staticulis luci reuocant & Gratiæ ouantes
Diiouis imperiis & Matris opiconsiuæ
Huc mites ad sacra pia instaurata venite.
Ducentes fœcunda propagmina tempestatum.

σεμέλης θυμίαμα, στύρακα.

Semel suffimen, sturacen.

Elicio pusam prognatam principe Cadmo
Formosam Semelam, cincinnam vestifluamque
Et matrem Brumi lætabilis, & ferulati.
Fulmine quæ sacro fœtum exterraneum abegit
Æternis Iouis consulis enixa puella.
Quam dignata graui est florens Proserpina honor
Inter mortales trima ad comitia festi
Quando tui Brumi referunt genitabile germen
Anelabram, sacrã, & rerũ haud arcana profunda
Te Dea patritia obtestor sata principe Cadmo
Flaminibus leni, & præsenti numine adesse.

ὕμνος

ὕμνος διονύσου βασσαρέως τριετηρικοῦ.

Carmen Bassarii patris Brumi triennalis

Liber ted oro sate fulmine, corniger adsis
Bassare, Brume pater, celeber Deus induperator,
Quem oblectant enses, pilenta, sacræque ministræ
In cœlo vitulans, insane crepicrepe Brume
Instinctor furiose, supremis numen honorum,
Terraique sacræ mortalibus inducolonis
Adsis gaudia læta ferens salisubsule Die.

λικνίτου θυμίαμα, μάνναν.

Velabri patris suffimen, manna.

Velabrum veneror votorum hoc munere patrem,
Mustidum, & inuestem, florenti pectore Brumum
Crinitæ Veneris, numenque illustre virarum
Qui numero lucos virides pede persultanti,
Peruolgas cum vesanis vesanus virabus
Quin & consilio Iouis ad Proserpinam alumnus
Actus creuisti, tremor immortalibus Diuis
Sis felix, & macte duas hoc munere sacro.

βάκχου περικιονίου θυμίαμα, ἀρώματα.

Columellæ seu Telamonis patris suffimen, Aromata.

Elicio Brumum Columellam vitisatorem
Ædibus Cadmæis qui circum perque vagatus
Subiit onus constanter, terræ incendia placans,
Cum vaga inundarēt flammarum flumina terram
Turbinibus calidis hic cuncta ruentia fulsit
Huc adsit mentis ridenti Brume lepore.

σαβασίου θυμίαμα, ἀρώματα.

Sabi patris suffimen, Aromata.

Die Sabe omnipotens, audi Saturnia proles
Qui Brumum streperum in subulum inseruisti,
In femore vt qui postidea maturus adiret
In Vmolum sanctum vbi habebat equiria polcra.
Quare a Rex Frugias procerum cœli induperator,
Mitis ades, antistibus solatia præstans.

ἵππας θυμίαμα, στύρακα.

Diuæ Equiriæ suffimen, sturacem.

Te Brumi assa obtestor Equiria, Dia Camilla
Quæ sangi celebras elementa arcana Sabini, &
Flammicrepos cœtus & sacra trinoctia Brumi
Obtestor ted alma parens Summana virago
Concelebras seu ludorum iuga sancta Timbli
Accessis ad sacra benigno lumine volti.

λυσίου ληναίου, ὕμνος.

Liberi Præliganei, carmen.

Huc Iouis o proles præclarie Brume bimater
Sanguen honoratum celebris sanctissime Liber,
Arcanum germen Diuorum, iubile Brume
Augens frugiferentia, adultaque pignora terræ
Torcule magnanime atq; asper Vortumne, Liburne
Mustula mortalis secti, medicina sacer flos
Cura hominum iucunda, Tages, cincinnicapille,
Liber cerite, omnium amicule, Iubile Brume,
Quis tu cunq; faues hominum apparesue Deorum,
Nobis frugiferum & iucundum te volo adesse.

νυμφῶν

νυμφῶν θυμίαμα, ἀρώματα.

Diuarum Virarum suffimen, Aromata.

Numina clara Viræ, Oceani præstantis propago
Quæ liquidas colitis sub terræ anfractibus ædes
Assæ, furtiuagæ, Brumi, lætæque penates,
Consiuæ, floræ, errantes obstita viarum
Antricolæ, specuum ciues, atque aeriuolgæ,
Fontanæ, errones, rorantes, alipedesque,
Visæ atque inuisæ, sertis Valloniæ amictæ
Montibus cum Fauno in summis Saliæ fatuantes
Petreiæ, scatebræ, Syluanæ flexanimæque
Pupula, odoræ, albatæ, halantes suauibus auris
Oipiliæ, Caprotinæque volupque ferarum,
Succineæ, teneræ, nutrices, augmina rerum
Pusæ querquetulæ, ludicræ cæruliuolgæ,
Nyseiæ, fatuæ Meditrinæ, Veris amicæ,
Cum Cerere & Brumo mortalibus optimæ adeste,
Hucce dicis caussa aduenientes numine amico
Mitibus temperiis futantes sana fluenta.

τριετηρικοῦ θυμίαμα, ἀρώματα.

Triennalis patris suffimen, Aromata.

Huc adsis Liber Lucumo celeberrime Die
Torcule, Taurifrons, sate fulmine, Nysie, Faune
Matris alumne, sacrũ pater, igniuome & Velabre,
Consentis, nocturne, geriferule, & tutulate
Arcane atque indicte Iouis stirps Virtrius idem
Primigena atque Deum pater & stirps **
Baiule sceptrigerens Saliorumque histrio præsul
Fœmineo stimulans diuina triennia cœtu
Terricrepe atque Tages, Lucetius, pulle bimater,

Solemnis, cornute, lugantine hinuliuestis,
Insinue, Iuturne, racemifor, atque Quiriti
Virgini studiose ederarum Vinule Liber
Flaminibus faueas, gratissime floribus augent.

ἀμφιετοῦς θυμίαμα, πάντα πλὴν λιβάνου.

Anniuersarii suffimen, omnia præter tus.

Elicio prece te solemnis Tellumo Liber
Cum teneris blande simul expergite virabus
Qui numero sopitus ad atria Liberæ Auernæ
Puri consopis augusta triennia sacri
Atque idem similacis festa triennia rursus
Dulce cies cum cinctutis nutricibus carmen,
Vagitu vegetans cœtus vortentibus annis
Ergo hoc frugiuirens, here corniger, optime frugi,
Pandiculare sacrum visas, sed lumine læto
Percoquibus sacris æternis frugibus mactus.

σιληνοῦ, σατύρου, βακχῶν θυμίαμα, μάνναν,

Syluani, Incubi, Brumarum suffimen, manna.

Audi me Brumi bone nutricator & altor
Inque statis sacris non vltima cura Deorum,
Magnaq; cura hominũ celeberrime Syluanorum,
Hircipile & sacræ pompai præsul honeste
Peruigil atque tuis iuuenescens, iubile, Faunis
Brumarum cinctarum ederis, prætorq; virarum,
Semiferis sociis simul ad pandicularia sacra
Huc ades, expergefaciens vitulamina alumni
Cum brumabus tuis comitans benerite patrata,
Hæc nocturna sacra, allucens comitia sancta
Iubile thyrsigerens cœtu florente serescens.

εἰς ἀφροδίτην, ὕμνος.

Diuæ Veneris Volupiæ carmen.

Cœligena, illustris, ridens, arguta Venustas
Spumigena o genitrix pernoctutrix veneranda
Coniugula & nocturna & vis cata mater amica;
Omnia nam ex te, tu inuexisti fœdera mundi
Et trium iura tenes, mortarum cuncta geniſque
Immodis cœli & terrai frugiferai
Et salsi mundi, praſes sanctissima Brumi,
Conselebrans epulas, o pronuba, mater amorum,
Suada & stratiuola arcana & salis conciliatrix,
Visa, inuisa, comas pulcerrima, patrima Dia
Sponsalis coniuua Deum, Maiesta, Luperca,
Prolifica & vitiuna, Virosa, Lubentia mater.
Quique arctas homines compagibus illecebrarum.
Et genus omne animantum aterno vulnere amoris
Adsis caprigenum sanguen, siue atria Cœli,
Dia premis, ridens regina micante labello,
Turifera Suriæ seu lustras templa beata
Siue in æquoribus campi splendentibus bigis
Propter habens augusta Melonis flumina opimi;
Vel si littoribus pullis prope marmora ponti
Cœlituum gaudes Diua exsultantibus turbis,
Aut etiam tremulis pusis in gramine terra
Littoreos ad puluinos cum prapete curru
Siue in Cupro matre tua, vbi rite nouella
Te pueræ innuptæ & nuptæ formosa quotannis
Concelebrant regina atque indigetẽ Daui Adonem
Huc adsis compos spectandi, Diua leporis.
Nam pura te mente colo precibusque pudicis.

ἀδώνιδος θυμίαμα, ἀρώματα.

Adonidis suffimen, Aromata.

Te vario obtestor sub nomine Die Camille,
Mollicamans & vasticola, atq; leporibus augens,
Conse Deus Volturne alimentum nobile rerum,
Pusa puer, cunctis viridescens semper Adonis,
Occase & rediuiue statis vortentibus annis,
Semper adulte bicornis, amabilis, lacrumiculte,
Polcer, venatu gaudens, permissicapille,
Vinule, corculum amœnæ Diuæ, germen amoris,
Quem bona polcricomans Proserpina Dia pariuit
Omnimodis qui nunc habitat per tartara furua,
Te rursum cœlo reddens, tempestaque membra,
Huc sis flaminibus deducens germina terræ.

ἑρμοῦ χθονίου θυμίαμα, στύρακα.

Mercurii Tellumonis Summani suffimen, sturacem.

Qui colis Amsanctum & viã inexorabilem Auerni
Palentesque animas sub tristia tartara mittis
Tellumo, lasciui patris Liberi alumna propago,
Atque Venustatis Diuai, Murtiæ amenæ
Qui per Larundæ sacraria sancta vagaris
Ægrorum Lemurum sub terra accense viatqr
Ducem cum stetit illa dies qua Morta profata est,
Sagminea rude Die soporifer omnia mulcens
Lumina item fallace natantia morte resignans.
Hoc tibi nam larunda dedit prætura in Auerna
Manibus æternis mortalium iter comitari
Flaminibus tandem da faustum in rebus laborem:

ἔρωτος

ἔρωτος θυμίαμα, ἀρώματα.

Cupidinis suffimen, Aromata.

Magne voco te purime, amabilis, blande Cupido
Arcitenens, ales puer igniuage, impete, velox
Ludens cum Diuis & cum mortalibus seclis,
Caute gemelle puder qui cunctorum aditiuus es
Cœli atq; Coui, & terræ, & Maris omnigena, & qua
Nutricatur alens spirantia frugiparens Ops.
Quæq; & Auern' ager genit, & mare marmore flauo
Nam cunctorum horum solus moderaris guberna
Sacrificis adsis o pura mente ministris
Auertens illegitimæ Cuppedinis æstus.

μοιρῶν θυμίαμα ἀρώματα.

Mortarum Carmentum, seu Parcarum suffimen, Aromata.

Mortæ infinitæ nigrantis noctis propages
Vos precor o celebres quæ sub cœleste palude
Qua canus liquor induferi de fonte lauacri,
Labitur æterni specuis sub pumice opaco
Ciues peruolgatis alumna animantia terræ,
Inde loci ad ventosum hominum seclũ leue, hiãs spes
Pergitis, carbaseis obstantes lumina velis
Fatali in campo, vt bigas leuis aurigatur,
Gloria iustitiæ ad metas Speique & curarum
Et legem Casci, magni, laudabilis regni,
Tantum Morta est vitai prima, haud alis vllus
Diuum qui pedibus pulsant cœnacula cœli
Et Iouis Cortumio est, et enim quæ cũcta manẽt nos
Tantum Morta, Iouisque æterni Dedala mens scit;
Nocturnæ, mitissima pectora, numina amica

Atropeq; & Lachesi, & Clotona o patrimæ ade.
Aeriæ inuisæ tetricæ irrequietæ Diuæ,
Omnia item mortalibus quæ datis omnia, fertis.
O mea, Mortæ, audite lubenter liba precesque
Nubila tergentes mordacibus pectora curis.

χαρίπον θυμίαμα, στύρακα.

Gratiarum seu Venustarum suffimen, Sturacem.

Adsitis celebres illustres Gratiæ honoræ
Progenies Iouis alma, Paludæque Egeriai
Maiesta & Flora, & vitula augustissima Virgo.
Lætitiæ matres lepidæ puræ vitulantes
Volturnæ semper virideis, mortalibus gratæ,
Votitæ pueræ Vortumnæ, Cœsiæ amœnæ
Assiduæ ventatæ volentes fausta Camillis.

νεμέσεως ὕμνος.

Diuæ Nemesis Græcanicæ carmen, (*Latine*) Vortricordia.

Te voco te Nemesis Victrix Dea, magna Camilla
Omnituens, hominum scrutans mortalia corda,
Æterna & veneranda, colens sola aurea iura,
Quæ varios mutas humani pectoris fluctus
Quam agnoscunt iuste hærentes compagibus omne
Nam nosti interiora animorum, haud te lateat men
Detrectans rationis iugum cuppedine iniqua
Cuncta tueris, cuncta audis, cuncta admoderaris,
In te stant mortalia iura, potissima Dia
Adsis præstitibus puri sacri auxiliatrix
Da placidas rationis opes, cohibens inimica,
Consilia insidiantia, iniqua, superba, nefasta.

δίκη

Ἴκνης θυμίαμα, λίβανον.

Diuæ iustitiæ suffimen, tus.

Iustitiæ obtestor pulcræ omnituentis ocellum
Ad Iouis Dictatori sedet quæ illustre tribunal
Cœlitus endotuens mores mortalium homonum,
Atque vltrix plectens humana nefantia facta,
Ex æquo veri coniungens disparile omne.
Nam quæcunque viris sententia pessima suasit,
Consiliis diris infanda volentibus quaque
Sola iugum imponens iniustis iura ministris,
Iniustorum hostis, Sanatum mitis amica,
Verum adsis semper fausto Dea numine iusta
Vitai vt veniat finis, quam Morta profata est.

Δικαιοσύνης θυμίαμα, λίβανον.

Duæ Æquitatis suffimen, tus.

O bona cura hominum locuples iustissima virgo
Semper amans homines æqualia iura colentes
O Veneranda, beata Dia, o Iuritis honora
Puris iudiciis dispensans optima iura
Nec mentem labefacta, etenim cunctos labefactas
Qui tua non subiere boni iuga, sed magis ipsa
Indomiti horrifico, declinant vbere flagri
Concors omnibus æqua, venusta, dicacula, amica,
Munia pacis amans, certa cupidissima vitæ
Nam plus deteriusque odisti, & diligis æquum,
In te habet virtus, in te sapientia finem.
Adsis Dia hominum frangens audacia facta,
Vt semper iustam æqua ferant vestigia vitam
Omnium qui terra vescuntur munere opimo
Atq; animantum alium quæq; educat omniparēti
Æma sinu tellus, & quæ maris æquoreus Dis.

ὕμνος νόμου.

Legis carmen.

Cœligenum atque hominũ genium te Diua voco Lex
Cœlestem astrificem, rerum commune sigillum
Terrai aquorei salis, naturaque statumen.
Concors & constans seruans bene legibus aptum,
Quis tu is componens cœli immortalia iura
Et quatis subleſtam inuidiam vortiginis ritu,
Qui bona das vitæ mortalibus munia obire.
Sola etenim moderare animãtum cuncta guberna,
Consiliis cernens obſeruantiſſima rectis
Casca experta comes, iuſtis innoxia ſemper
Iniuſtoſque labefaciens ingentibus noxis.
Sed veneranda opulentifer omniũ amœna voluptas,
Fac tu nos memores aſpirans nomen amicum.

ἄρεος θυμίαμα, λίβανον.

Mauortis ſuffimen, tus.

Magnanime īpauide, īmite a:q; ſperrime Mauors
Indomite, armipotens, parricida, impetimure,
Marſpiter, o crepericrepe, tabo & ſanguine ſtillans,
Sanguinis humani ſitiens bellicrepe, torue
Enſibus atque inamœna colens certamina runis,
Siſte duellum, & cordolios requieſce tumultus,
Inque venuſtatis diuæ, & Brumi otia dia,
Et munus Cereale duelli confer amorem
Semper parem optans, victum & recope vigentem.

ἡφαίστου θυμίαμα, λιβανομάνναν.

Volcani ſuffimen, libanomanna.

Volcane omnipotens fortiſſime, flammaque perpes
Ignitus

Ignitis florens, auris, Lucetius dius,
Lucetius, Viriate, Nero, æterne artipotensque
Ferrifaber, purumque elementum, portio mundi
Omniuore, omnidomãs superãs omnia, õnia lustrãs,
Sol & Luna couum. stellæ. fons purimus ignis,
Membra hæc Volcani mortalibus ignea lucent
Omnis inducolis genteſque vrbeſque domoſque,
Artubus insinuans mortalibus, alme, beate,
Sis felix atque hæc noſtra ad libamina cede,
Vt placidus venias operum bonus auxiliator
Atque implacatæ extinxis incendia flammæ
Fomitis in nobis ſeruans genitabile lumen.

ἀσκληπιῶ θυμίαμα, μάνναν.

Æſculapii ſuffimen, manna.

Cunctorum Æſculapi Iuturne ſalutifer, alme
Morborum omnigenum mulcens contagia iniqua
Mulciber excellens ades hue comitatus ſalute
Mortiferæ cohibens incendia peſtilitatis
Veſticipes. Verrunce, rei largitor opimæ
Februi Apollineris viridans & honora propago
Morbi perduellis coniuxque ſalutis amœnæ
Huc oſſpes ades aui dans proſpera fata.

ὑγείας θυμίαμα, μάνναν.

Diuæ Saluti Meditrinæ ſuffimen, manna.

O fœcunda ſalus & amabilis omnibus regnans,
Huc adſis Meditrina opulentiſor, omniparenſque.
Peſtilitas ex te omnis abit mortalibus agris,
Cuncta lepore tuo viridant vitulantia tecta
Dædalaq; arsite Mundus cupit parculſus tua vi
Tantum odit te dis vitai peſſima finis

O cupiunda, veges solamen amabile rerum,
Te sine nulla seni vsurpanda in fine senectæ
Gratia; sola omnes capitas, sola omnibus regnas,
Sed tu blanda tuis præsto adsis diua Camillis
Auertens pestes morborumque agmina amara.

ἐυμενίδων θυμίαμα, ἀρώματα.

Manarum Dirarum suffimen, Aromata.

Vos calo vocifera Diuæ, horrenda fatuantes
Alectona & Tisiphona & veneranda Megera,
Noctiuaga, indufera, summana silenta colentes,
Ad vada sanguinei Amsancti atq; obnubila templa
Undique ventantes humana piacula propter
Vesanæ atque petulcæ, flagrorum agmine cuantes
Angitia, vltrices, ridigaque, atque hispidiuestes,
Terribiles, Orcignatæ, Vortumnifigura,
Aeriæ, inuisæ, leuiores, prapete mente,
Nam neque vel citimi Solis Lunaque labores
Nec vi tus sapientipotens nec amœna venustas
Artificum, ætatis nitidæ nec adulta iuuentas,
Inuitis vobis agitarint gaudia læta
Semper at in terris hominum mortalia secla
Iustitia regitis reddentes aurea iura
Sed Diuæ Mortæ serpenticoma Volturna,
Vos placatum animum meliori reddite menti.

ἐυμενίδων θυμίαμα, ἀρώματα.

Manarum Tenirarum suffimen, Aromata.

Co sentes Manæ celebrabile numen habentes,
Huc castæ indufero prognatæ Diuone puſæ,
Puſæ Tartareæ Iunonis alumna propages,
Humanæ quæ censet iniqua piacula gentis,

Vltri-

Ultrices scelerum, excubiis vigiles inhiantes,
Atricutes, scintillantes graue fulgur ocellis
Sacros carnificisque micantes luminis ignes
Reginæ æternæ, postuertæ, terriculæque,
Tortores stimulo fatorum iura tenentes,
Nocturnæ, pusæ, voltuosæ, crinicolubres,
Vos veneror, vos mente pia aduentassere amicas.

μηλινόης θυμίαμα, ἀρώματα.

Diuæ Lerundæ Mostellariæ suffimen, Aromata.

Te veneror summana Lumuria virgo paluda,
Quam prope Aruernales fluxus, veneranda pariuit
Arcano commista Ioui Proserpina amore
Et qui concubuit Dis fraude, cupidinis æstu
Caluitus traxitque bimembrem matris colorem.
Quæ genus humanum furiat larualibus vmbris
Omnifera specie commutans horrida volta
Nunc clara apparens, nunc fuscans nocte figuram
Occursu horrifero peruolgans noctis opaca,
Sed sub te placo Regina nigrantis Auerni,
Montiuagos stimulos protela ad extima terræ,
Flaminibus facii ostentans placabile numen.

τύχης θυμίαμα, λίβανον.

Fortis Fortunæ suffimen, tus.

Huc sis Fors Fortuna sacris regina voco te
Mansuetam, Triuiam, rei prædiuitis ergo,
Et Deianam antistitam opaci sanguine Consi,
Progenitam, æternumque inuicta laude cluentem,
Atque Libentinam, perbitentem omnibus cautam
Dædala namque in te opulentia constat homonum,

Namque aliis copum das rerum pleraque abunde.
Paupertatem alijs, irarum percita fastu,
Verum o Diua domi te obsecro Fauoniam adesse
Gliscentem recape, res pradimitis erga.

δαίμονος θυμίαμα, λίβανον.

Genii suffimen, tus.

Magnanimum Genium calo pretorem venerãdum
Mansuetumque Iouem, auctorem genitabilis aurę
Diiouem vbiq; vagãtem, & Vaiouem imperitantẽ
Qui largiris opes vt inesti tecta cachinnans
Et contra humanę exstinguis qui commoda vitę,
Latitię, mœroris Patulcius, Clusius idem es
Quare Sange pater curarum semina pellens
Insidiantia vitę in terra frugiferenti
Daprecor æquanimo vitam concludere fine.

λευκοθέας θυμίαμα, ἀρώματα.

Diuæ Albuneæ suffimen, Aromata.

Albuneam elicio prognatam principe Cadmo
Magnam, quæ Brumum est obstetricata nefrẽdem
Huc ades o quæ sa'sa tenes & cœrula templa
Fluctibus exsultans nautarum sospita Iuno,
Nam te respiciunt puppis per cœca pericla
Una laborantes solaris in æquore volgum,
Quis tu subueniens ades in discrimine sospes.
Ergo salutaris præsens vrgentibus adsis
Rebus, velinolas obseruans candida puppes
Atque tuis largire Fauonia flabra minist is.

θαλεῖμονος θυμίαμα, μάνναν.

Portumni suffimen, manna.

Qui fuxisti vna cum Brumo lacte nouellum

Quique

Quique colis liquidos & ouantes turbine campos,
O Portumne lubenter ad hæc te liba vocamus
Frontem rutilantem & ridenti lumine voltu
Seruantemque tuos, terraque marique ministros.
Namque vagis ratibus sub tempestate sonora
Sospes ades, & te cupidis mortalibus offers
Auertens sauas tras per cærula ponti.

μυστῶν θυμίαμα, λίβανον.

Diuarum Cancœnarum suffimen, tus.

Mammuriæ atque Iouis strepera prognata propages
Illustres celebresque Nouensiles que Camœnæ
Et quotuis quemcunque fouetis amabile volgus
Artium omnes virtutes progenerantes
Nutrices animi, directæ mentis amussis,
Atque magistræ animi moderantes recta guberna
Quæque sacris homines imbutos instituistis
Flora Cinacina, & Vitula, & Casmena virago
Cœliaq;, & Tripuda, & Carmẽtæ & diua Venustas.
Oscina flexanima & mater matestaque princeps.
Ergo Dea huc age præstitibus ventate fauentes
Vobis cum decus omnipotens & adoream agentes.

μνημοσύνης θυμίαμα, λίβανον.

Diuæ Mammuriæ suffimen, tus.

Mammuriam elicio Iouis omnipotentis maritam
Quæque pias est dulciloquasque enixa camœnas
Pestiferam a versata caduca obliuia mentis
Continuans mentes animarum fœdere sacro
Reginæ omniparæ rationis amica, fouens vim
Peruigil, irrequies memoranter cuncta ministrans
Quorum quisque simul in pectore ruminat artem,

Nec quid prateriens instigans lumina mentis
Præstibus mensores mentes dat dia Moneta
Sacrati castus pellens oblivia ab illis.

ἧς θυμίαμα, μάννα.

Diuæ Matutæ suffimen, manna.

Cede Dea aurigans candens mortalibus lumen
Clara pudoricolor, mundo Matuta refulgens
Aurea magnanimi Titani nuntia Solis
Horrifera quæ uiner anfractaque noctis opaca
Diua tuo reuocas initu sub uiscera terræ
Dux operum uitæ, mortalibus Dia ministra
Quaq; hominum gaudent agerrima secla, nec ullus
Quem fugisse tuos fas sit pelcerrima voltus
Quando genis exterres otium ãmabile somni
Tunc gaudete homines, serpentes cetera secla
Quadrupedũ & volucrũ & stabulã ũ in fluctib. salsis
Namq; omnem excultum donas mortalib. victum
Sed tu dia antistibus sacrum iubar auge.

Λήμιδ' θυμίαμα, λίβανον.

Diuæ Iuritis suffimen, tus.

Cœligena huc Juritis ades patrima virago
Mustea progenies telluris, Cæsia dia
Vaticinas quæ prima aperis mortalibus sortes
Delporum Dius pro cortina oracula fatans
Puticulis ubi Puteolis regina cluebas
Et Februo fandi donasti pectus habere
Augusta specioſa verendaque noctuvolga.
Prima etenim ritus hominum genus edocuisti
Nocturnis sacris Brumum fanatice ouando
Ex te enim castusque Deum cultusque verendi

Hue

Huc adsis, huc Diua fauenti numine blanda
Ad diuina tui uenerandasilentia sacri.

βορέου θυμίαμα, λίβανον.

Aquilonis suffimen, tus.

Horriferis flabris contorquens aquora cœli
Huc Aquilo glacialis, relinquens ninguida Thracæ
Solue Ioui subices nigrantes nubibus totis
Flamine dissoluens pregnantes imbribus nubes
Omnia sudaferens, tergens freta uitrea cœli.

ζεφύρου θυμίαμα, λίβανον.

Fauonii suffimen, tus.

Cœlinaga undigena flabella, Fauonia aurae
O leuisomne animæ solamen mite laborum
Vernæ graminea portuum cupidissima cura,
Nauibus sternentes itinera molle aera blandum
Obsecro uos placido spirantes flamine adeste
Aeriainuisa, leuipennes, aeriformes.

νότου θυμίαμα, λίβανον.

Austri suffimen, tus.

Precipites auræ tranantes aeris caulas
Vndique pennipedes, uortigine prapete uolantes
Cedite nimborum matres cum ingentibus nimbis.
Nam Iouis has uobis finiunt in aere partes
Cœlitus imbriparas nubes permittere adima
Vos precor infero hoc mactans libamine Diua
Terra matri frugiparentes elicere imbres.

ὠκεανοῦ θυμίαμα, ἀρώματα.

Oceani suffimen, Aromata.

Te ueneror pater Oceane immortalis origo

Naturaq; Deum aterna, & mortalium homonum
Qui circunfluis anfracta ambarualia terræ
Vnde genus fluuiorum, vnde & sale marmore halio
Atque aliud in terra scatebrarum ignobile volgus
Te Februum lustrale vocamus Cœligenarum
Finis telluris, margo amplæ fornicis mundi,
Huc placidus venias sacra gratissime turbæ.

ἑστίας θυμίαμα, ἀρώματα.

Vestæ suffimen, Aromata.

Incluta Vesta senis Saturni easta propago
Quæ nimis irrequietis habes meditullia flamma,
Hæsce tibi puros præstes ad sacra ministros,
Florentes, dites, castosque & pectore puro
Huc ades o Diuum constans fulmenta hominumq;
Multipotens aterna & amabilis, atque opifórmis,
Ridens atque beata faue placidissima sacris
Fausta bona inspirans & amœnæ dona salutis.

ὕπνου θυμίαμα, μετὰ μήκωνος.

Somni suffimen, cum papauere.

Sõne pater diuũ omnigenũ vnicus atq; hominũ rex
Et quæcunque fouet tellus animantia secla
Omnibus vnus enim regnas atque omnibus adstas,
Corporaque insidiator inermi compede vincis,
Curarum domitor, requies præblanda laborum
Mœrores omnes agro de pectore tergens
Qui mortis curas abigis animasque reseruas.
Nam vere mortis germanus es atque veterni
Sed sub te placo mitti aduentare fauore
Seruantem placidi nos sacrum ritum obeuntes.

ὀνείρου

ὑπνίῳ θυμίαμα, ἀρώματα.

Somnii suffimen, Aromata.

Obsecro te princeps celerem permicibus alis
Nuncius incerti, verax Carmentus hominum
Nam repens tacitus per amica silentia somni
Insinuansque animis hominum cis intima mentis
Et scita ad somnos legas decreta deorum
Significans tacitis animabus futura
Cum quis rite colens divos in pectore puro
Semper ut anticipans spem blandam mente fagaci
Votum hominis illecebris prolectes gaudia hianium
Vtque homines animum requiescant tristibus curis
Suppliciisque deos ex sacro munere placent.
Nanque piis semper stat dulcior excita finis
Tantum celavit venientia fata nefastos
Somnigena species, certissima nuntia damni
Ne qua foret noxa venientis cognita finis
Clunia. sed te sancte precor promonstra Deorum
Noctifcos semperque offendens pectora pura
Nunquam prodigiis acclarans omnia iniqua.

θανάτῳ θυμίαμα, μάννα.

Mortis suffimen, manna.

Huc adsis quæ hominum moliris cuncta guberna
Tantum producens ani, quantum eminus distas
Namque tuo extinguis corpus animamq; sopore.
Quando perrumpis natura vivida claustra,
Cæca hominum signans æterno lumina somno,
Omnibus communis aliis iniuria partim
Florentes stinguens ætates funere acerbo,
Omnia nam concreta in te sola absoluuntur

Nam neque suppliciis, neque votis pectora fragis.
Quare o sancta veni, longo post tempore vita
Quod te suppliciis & votis obtestamur
Vt islicem habeant homines claramque senectam.

FINIS.

Vertebat Ios. Iustus Scaliger. Iul. Cæs. Fil. intra quinque dierum spatium.

EIVS.

EIVSDEM ANNOTATIONES IN INITIA ORPHEI.

HIc liber non proprie sunt ὕμνοι sed πλεταὶ. nam in Hymnis natalia, gesta & eiusmodi narrantur: hic vero tantum inuocationes Deorum, quibus vtebantur in mysteriis ii, qui sacris cuiuspiam Dei initiarentur; sunt etiam ad depellenda adiecti. Quæ omnia tamen fiunt cognominibus mysticis. Sed Græci in hoc prorsus sunt. Latine quidem *initia* inscribi potest, vt respondeat Græco verbo πλεταὶ; sed quia totum cognominibus Deorum constat, melius inscribitur *Indigitamenta*. Veteres enim Latini quos Græci vocant ὕμνους ipsi nominant *Assamenta*. quæ scilicet separatim in aliquem Deum canuntur, in quibus gesta & virtutes eius Dei celebrarunt, vt alibi fusius diximus. At *indigitamenta* vocarunt, in quibus Deorum cognomina varia essent. Eorum Græci duo genera fecerunt. nam κλητὺς ὕμνους vocarunt auxiliarium & fauentium Deorum, ἀποτρεπαίους autem nocentium, quæ vocat Virgilius *ieiuna numina*, quorum primi ex vetere lingua Latina *Calatorium carmen*; alterum, *auerruncale* vocare possumus. Quare, vt dixi, quia omnia Latine reddere volumus, tametsi titulus Græcæ inscriptioni ὕμνων non respondet, tamen *indigitamenta* inscripsimus; dictũ autem

indigitare pro indicitare, hoc est, vocare. Nam *citatam plebem* dicebant quæ illicitum vocata esset. Sic apud Varronem de lingua Latina, *quod incitatum antiquum oppidum exigebant*. legēdum potius, *inducitatum*: quod est non Varronis, sed cuiusdam veteris poetæ ἀκροτέλευτον. Et *citare* notum quid sit in forensibus & iudicialibus caussis, & *citatum instrumentum* nuncupatum. Ergo *indicitare*, quod erat incitare, & *indigitare* idem; vt *subicitare & subagitare* in Casina Plauti: vt *inicere* in Varrone pro inigere. Tanta est cognatio inter C, & G. sic *ingens* ex *incens*, quod scilicet censeri non potest nec æstimari. Sic apud Varronem citante Nonio, *quia adamussim diu gens non erat*. Lege *Duigens* quod est *Ducensus* apud Festum, vt vetus Ossarium Sancti Germani.

Tenira sunt Deæ, quas Festus ait a *Tenuira* ita vocatas. Ita Furias nominauimus. Sed veteres puto dixisse *Tesniras* vt *Cesnus*, & *Pesnas* & pleraque eiusmodi. Itaque *Tesnira* erunt τιμωρίαι quæ homines puniunt.

Telamo seu *Tellumo* idem est. Quos Græci τελαμῶνας ἀφ' ὃ τὸ τλῆναι vocarunt eos Latini *Telamones*. Sed vt τελάμων Græcum est idem ipsum ἀφ' ὃ τὸ τλῆναι & *Tellamo* apud Varronem citante Augustino, quamuis ex Tellure deductum quasi χθονιὸς θεὸς, tamen & ipse eandem originem habet: Nam & *Tellus* ipsa siue *Tellumo* ἀφ' ὃ τὸ τλῆναι, vel vt vetustissimi Græci τελάω, vnde *tello* Latinorum, quod posteris dictum *tolo* E, in O vt *Elera, olera*: *hemonem, homonem*, &c.

& ge-

& geminata consonante. nam veteres non geminabant consonantes; quin & ipsum Græcorum antiquum τελάω peregrinum est; est enim vt infinita alia ex Syriaca Lingua; nam in ea *Tal* est τλᾶν; pt ἔρα Syriaco *era*, Arabes & Hebræi *Erd*, quo nomine omnes pene ita vocant.

Ambarualis Neptunus quod ambiat arua.

Empanda pro Cerere Varro apnd Augustinum & Festus.

Dis ex Græco δεὺς pro ζεὺς. vnde patrius cassus διός. Vnde *Diiouis* apud Varron. postea D periit, vt *Dianus*, *Ianus* vnde Diana mansit παρὰ τὸ δῖον. Nos in *Ioue* vt etiam in multis aliis communem opinionem secuti sumus a *Iuuando*.

Februus est a Græco φοιβάζειν, φοίβερος. Ita igitur Phœbum vertimus.

Nerienes, Mauortis cognomen, Sabinum vocabulum παρὰ τὸ νεῦρα, aliquando videtur significare Deam comitem Martis. Itaque putamus nihil esse, quam νηρείδα vel νερείνη Neriene Galathea.

Parunda. Varro apud Augustinum, Græci εἰλιθύιαν vocant παρὰ τὴν ἔλευσιν, quod facile accedat iuuantibus puerperis, vel quod facile viam det partui, hoc ad verbum esset Latine *Venilia*, quæ est a veniendo, vt ait, Varro. sedalia est Dea: nos non respicimus potestates eorum numinum, sed nomina tantum. Inuocabant & *Nummeriam Deam*, vt ait Varro de liberis educandis, quod *numere* pro ταχέως, itaq; τὴν ὠκύτοκον *Nnmmeriam* vertimus.

Virę sunt nymphę vt alibi ex Festo diximus, quasi χλωείδες. Querquetulæ δρυάδες.

Mammuria est μνημοσύνη. Mammurius Veturius, seu Mammuria Veturia vide Varronem.

Carmentus est vetus Menuria, vt vult Varro.

Nouensiles Camenæ. Dii Nouensiles, vel, Nouensides, sunt nouem dii vna sedentes: a quo nomen habent apud Sabinos. Quinam sint illi, vide diuersas opiniones, quas ex veteribus scriptoribus adducit eruditissimus auctor Arnobius. Nouensiles Camœnę nihil aliud sunt quam ἐννέα μῶσαι.

Mustea Venus. Vide Varronem.

Lucumones apud Festum videntur esse Genii infestantes loca, ad quæ veniunt, quod propriumest Larium. Sed alibi diximus Lucumones nihil aliud esse quam τυράννους.

Grundulii & *Grundules* Larium cognomentum omnibus impositum vide Cassii Hemionis locum apud Diomedem.

Cortumio est visus intimus. Cortumio Iuris dicimus ὀφθαλμός.

Iuritis ἡ θέμις. Gellius, quamquam apud Gellium legi poterat *Quiritis*; Id est, λογχάνης θεά. Lycophroni.

Fasta Dea. θέμις, Fas θέμις, Nam Fasti dux quibus θέμις fieri.

Mulciberi. Ita μειλιχίους θεούς vertimus. Nam mulciber a mulcendo, sed id cognomen præcipue Vulcano attributum, quia igni ..... sic quod igni domitum est Homerus vocat μειλιοσόμενον, & alibi dicit πυρὶ μαλασσόμενον.

Moneta

Moneta est πρόνοια a monendo dicta.

Manii Genii αἰδοὶ δαίμονες Inui κακοί, nam Inuus ὁ ἐφιάλτης Seruio.

Brumus est βρόμιος, & Brumalia eius festa, & bruma αἱ χειμεριναὶ τροπαὶ quia circiter id temporis incidebant Bacchanalia.

Græca Nemesis. Græcam vocamus quia non habet nomen Latinum, vt ait Plinius, tamen nihil aliud est Nemesis quam Vorticordia. Sed & Venus Vorticordia celebratur Romanis.

Mœsius & Maius idem, id est, ὁ μέζων ὁ παλαιός. Vide coniectanea nostra in Varronem.

Paluda est ἑλκεσίπεπλος.

Corpore Tartarino prognata Paluda virago: Sed in Probo legitur *palude*: vt intelligatur & Minerua nata ex Palude.

FINIS.

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI IVL. CÆS. FIL.

In Æschyli Prometheum.

A Q. S. Fl. Christiano conuersum

PROLOGVS.

Pacuuius acer, & Rudinus Ennius,
Vtrique compar, siue maior Attius,
Alii, vetustas docta si quos extulit
Scæna Latinas ex bonis Græcis bonas
Scripsere grandi oratione fabulas.
Verum venustas omnis, omnis gratia
Grandiloqua numeris obsita innumeris perit,
Atque obsolescit, dum occupati in vnica
Orationis parte numeros neglegunt.
Contra poeta, nostra quos ætas dedit:
Omitto quærere, an poeta, & musici,
An musicorum strepera mendicabula:
Nam sint ne, ciccum, nec ne, non interdum.
Illi igitur, inquam, seu poeta, siue non,
Satis modorum diligentes, ecterum
Sermonem iniquo pensitant examine.
Lasciuiaque non ferenda, nescii
Qua prisci honoris parte seruetur tenor,
Grauis Cothurni nobilem, catam, grauem,
Tubæ virilis intonatam incentibus,
Neruis adultam, & viribus Tragœdiam
Dearmarunt vocis laugnifici soni,

Ore-

Orationis nuperæ nouitia
Stilo pedestri, & fœmininis naeniis.
Homunciones hoc venustuli, & cati
Sibi videntur, hoc beati, ac diuites,
Suadaque alumni, & Veneris nepotuli.
Adeoque positum vel sibi in medio puant
Tractanda in arte musica palmarium.
At Gratiarum pectus abstrusum, optimus,
Docte expolitus, atque liberaliter
Instructus omni literarum copia
Poeta noster inter hos medium ferit.
Veterum neque illi ignaua negligentia
Placet, aut nouorum obscura diligentia.
Florem leporis scanici, atque musicæ
Utroque, numeris temperauit, & stylo,
Priscis poetis comptior, melior nouis.
Nunc ego, quid adsum, quamve rē veni, eloquar.
Fauete linguis vos & animum aduortite.
Desmota Graeca est Æschylu Tragœdia.
Poeta noster vertit illam barbare.
Illamque primam & vberem facundiam
Et scriptiune est assecutus & stylo:
Vt ne quid inibi possit inueniriser
Errore omissum, seue perperitudine,
Hanc ergo vobis fabulam e vetere nouam
Adporio. tantum est, Vos valete, & viuite.

SELECTA EPIGRAMMATA
E
GRÆCORVM FLORILEGIO
ET A
IOSEPHO IVSTO SCALIGERO
IVL. CÆS. FIL.

Latine versa.

EX LIBRO PRIMO

In vitam humanam, TIT. XIII.

POSIDIPPI, *siue, vt aliis placet,*

CRATETIS CYNICI.

Epigr. Ποίην τίς βιότιος, &c. pag. 16. Edit. H. Steph.

QVod vitæ insistemus iter, si plena tumultu
Rebus & implicitis sunt fora, cura domi.
Rura labor multus circũstat: in æquore terror;
At peregre, siue is diues, vbique times.
Sin pauper mœres, viuis cum coniuge, curis
Non sine eris: vita es cœlibe, solus eris.
Sollicitus cum prole; orbus sine prole: inuenta
Consilio, sed vi cana senecta caret.
Alterutra istarum sors optima denique, vel non
Nasci, vel natum sic cito obire diem.

In Deos, TIT. XXXVIII

ANTIPATRI

Epigr. Εὐκολος ἑρμείας, &c. pag. 56.

Mercurius, pueri, minimo placabilis. Ille
Lacte, vel agresti melle litatus erit.
Non sic Alcides. Aries, aut agnus opimus
Pascitur; aut aliquo de grege lecta petus.
Dices: at ille lupos arcet; quasi referat, vtrum
Custos, anne rapax perdat ouile lupus.

In Iudices. TIT. XLIII.

INCERTI AVTORIS.

Epigr. Θαρσαλέοι κελτοὶ, &c. pag. 64.

Audaces Celtæ Rheno acri flumine primum
Explorant natos, neque enim pater ante vocatur,
Quam puerum sancta lotum conspexerit vnda.

In Ebrietatem. TIT. XLVIII.

ANTIPATRI.

Epigr. Μηδ' ὅτ' ἐπ' ἀγκύρῃ, &c, pag. 68.

Seu ibi fundatam puppim tenet anchora, siue
Portus habet, noli credere, nauta, mari.
En portu submersus Ion perit: ille natando
Ducere non potuit brachia vincta mero.
O qui naue vehis, potum fuge: pontus Iacchum
(Tyrrheni ius hoc instituere) fugit.

INCERTI AVTORIS.

Epigr. Θρεῖν ἀεὶ βρομίου, &c. pag. 69.

Ille prius Bromio titubans vestigia rore,
Ille comes Bacchis semicaper Satyrus,
En paria ærata deuinctus compede crura,
Nunc nato Thetidis fabricat arma Deæ.
Non quidem honorato defungitur ille labore,
Sed miserum hanc vitam sustinet arte suam.

INCERTI AVTORIS.

Epigr. Γοῦσοι κεῖνα κύπελλα, &c. pag. 69.

Nunc vbi sunt calices, vbi quos iaculare solebas
Thyrsos, & potus, Faune petulce, tui?
Qu[illegible]ma admouit? quis vinclis induit artus?
Q[illegible]em Bacchi cunas conuoluisse ferunt.

Paupe-

Pauperies, durisque vrgens in rebus egestas,
Vulcano fumum me bibere illa dedit.

In Naufragium, TIT. LV.

ARGENTARII.

Epigr. Εθραύσθης ἠλεῖα. &c. pag. 74.

Potantum in rixa crepuisti, fracta, tuumque
Fudisti toto ventre, Lagena, merum.
Aspera nam saxi vis eminus incidit in te
Non Iouis, at Iouis missa repente manu.
Riserunt etiam, qui te videre sodales,
Et sonuit mistis plurima turba iocis.
Non ego te doleam Bacchum peperisse, Lagena,
Hoc factum Semelæ parerit atque tibi.

In Auaros, TIT. XXCIV.

STATYLLII FLACCI.

Epigr. χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν, &c. pag. 116.

Quidam auro inuento laqueũ abiicit, alter vbi aurũ
Non reperit, nectit quem reperit laqueum.

EX LIBRO SECVNDO

ANTHOLOGIÆ.

In Astrologos, TIT. VI.

NICARCHI.

Epigr. Εἰς ῥόδον εἰ πλεύσει, &c. pag. 132.

Vtrum adeunda Rhodos consultus Olympic' augur,
Soluendæque foret quæ via tuta rati.
Sit primum noua nauis, ait, discedere bruma
Parce, sed æstiuo fidero vela dato.
Hoc bone si faxis, huc ibis tutus, & illuc
Si non piratis obuia præda venis.

In Temulentos. TIT. XXXIV.

IN CERTI AVTORIS.

Epigr. ὑγραῖς ἡ βάκχου κυλίκων, &c. pag. 160.

Pernicies calicum Baucis, dum forte iaceret
Ægra, Ioui tales concipit ore preces:
Si morbi dura hac incendia fugero, centum
Soles de puro non nisi fonte bibam.
Sobria, temetoque carens; post functa periclo
Luce illa tali cogitat arce dolum:
Quod versat manib. per crebra foramina cribrum
Inspicit, & soles callida mille videt.

Facetiæ conuiuales, TIT. XLVII.

MACEDONII

Epigr. Ηθελον οὐ χρυσόντε καὶ, &c. pag. 176.

Optarim mihi non aurum, non oppida terræ,
Non quas Thebarum iactat Homerus opes,
Verum vt plena meo spument mihi pocula Baccho.
Summaque perpetuus proluat ora latex.
Semper amicorum circum potante corona,
Et vitem agricolæ fulce premente colant.
Hæc, quas testor, opum sunt argumenta, valete
Fasces, cum teneo pocula plena manu.

EX LIBRO TERTIO

ANTHOLOGIÆ.

In claros viros, TIT. I.

IN PLATONEM.

Epigr. Σοφροσύνῃ προφέρων, &c. pag. 191.

Iustitia ante omnes præstantior atque pudore
Diuus Aristocles hac requiescit humo.

Si cu

Si cui supra alios magnum sapientia nomen
Fecit: maius habet, nec comis inuidia est.

In Infantes, TIT. IX.

AGATHIÆ.

Epigr. Αβάλε μηδ' ἐγγύοντο, &c. pag. 221.

O si nec tedæ, nec lecti iura fuissent,
Nulla puerperii tela tremenda forent.
Nunc sedet, & lentos expectat fœmina partus,
At duro examinum ventre moratur onus.
Iam tres circumagens orbes lux explicat, ex quo
Frustratur nascens irrita vota puer.
Sit tibi, care puelle, leuis non terra, sed aluus
Te premit hæc, terra est nec subeunda tibi.

In Senes, TIT. X.

ANTIPHILI.

Epigr. Νεκροδόκον κλιντῆρα, &c. pag. 223.

Dum Philo sandapilam senio grauis ædibus effert,
Exigua solitas vt stipe quærat opes.
Iniusto sub fasce ruit, prodire caducæ
Momentum morti cana senecta dabat.
Sic quem sæpe senex aliis portare solebat,
Imprudens capulum sustulit ipse sibi

In Temulentos, TIT. XX.

INCERTI AVTORIS.

Epigr. Μορτάδα τὴν ἱεραῖς, &c. pag. 242.

Mortas anus, quæ tot duxi, dum vita manebat,
Ad sacros Bacchi pocula plena lacus,

Puluere non condor; tumuli vice suaue peracta
Vitæ argumentum doliolum impositum est.

ANTIPATRI SIDONII.

Epigr. Τῆς πολιῆς τόδε σῆμα, &c. pag. 243.

Longæuæ sunt busta Maronidos: inque sepulcro
E silice est fabra sculptus ab arte calix.
Multibibax & multiloquax anus hæc neq; natis,
Sed neque natorum paupere patre gemit.
Hoc vnum est, quod flet vel busto condita; Baccho
Vas habile hoc, Bacchi quod sit inane, gemit.

LEONIDE.

Epigr. Μαρωνὶς ἡ φίλοινος, &c. pag. 243.

Nex dolorum, temulenta hic conditur
Anus Maronis. sculptus est tumulo super,
Cunctisque noscitandus Atticus calix.
Nunc vel sepulta non viro aut natis super
Fleat, quos reliquit rerum egenos omnium:
Illud flet vnum, quod calix inanis est.

ARGENTARII.

Epigr. Ἡδέμιον τέρξασα, &c pag. 243.

Quæ Bacchum, quam qua nutrix lactauerat Ino,
Plus dilexit, anus garrula, Aristomache,
Postquam mandata est tumulo, terramque subiit
Mortua iam, multo iamque operata mero:
Huc mihi, ait, huc vrnam mihi defer inanem,
Vt rores haustos ex Acheronte feram.
Nempe mihi virginitas. Hæc falsa locuta est,
Dolium apud manes nempe videre volens.

ANT.

ANTIPATRI.

Epigr. Οὐκ οἶδ' εἰ διόνυσον, &c. pag. 243.

Ergo vtrũ accusem, Bacchumne incertus, an imbrẽ;
Nescio. lapsantes fallit vterque pedes.
Ecce, redis potus dum rure, Polyxene funus
Condere, laboso præcipitate iugo.
Æolide & Smyrna situs es procul. Ebrius ergo
Quisquis erit, pluuium nocte veretor iter.

DIOSCORIDIS.

Epigr. Τὴν τίτθην ἱερῶν, &c. pag. 243.

Hic Hieron amitam Silenida, pocula dura
Vincere quam duro non potuere mero,
Rure suo sepeliit functam: vt vel mortua, Bacchi
Nunc propius gratos stet tumulata lacus.

In eos qui naufragium passi sunt, TIT. XXII.

PHILIPPI.

Epigr. Ἠπείρῳ μ' ἀποδοῦσα, &c. pag. 248.

Exceptum terra, sæui maris, improbe fluctus,
Iactas me ludum, quisquiliasque tuas.
Naufragium ne vni mihi casso luce minatur
Terra, nec a scopuli mors mea tuta metũ est.
Quin potius me condis aquis, vel reddis arenæ
Nec defraudatur funere terra suo.

In iuuenes, & puellas, TIT. XXIII.

SMONIDIS.

Epigr. Αἴ, αἴ, νοῦσε βάρεια, &c. pag. 261.

Ah ah dira lues, nam quæ iuuenilibus annis
Inuidia, ætatis perpete flore frui?

Nam prius orbasti Timarchum lumine vitæ,
Quam nuptæ potuit ora videre suæ.

In Philosophos, TIT. XXXII.

ANTIPATRI IN PLATONEM.

Epigr. Γαῖα μὲν ἐν κόλποις, &c. pag. 288.

Terra sinu magni complectitur ossa Platonis,
Ast anima ordinibus sancta recepta Deum est.
Cuius Aristo pater, fruitur qui luce Deorum:
Quem bonus admirans vel procul omnis amat.

IN EVNDEM.

Epigr. Αἰετέ, τίπτε βέβηκας, &c. pag. 288.

Cuius age insidis tumulo regina volantum?
Cur ne Deum æternam supicis astra domum?
Umbra Platonis ego: cœli hic ad templa volavit:
Terrenum tellus Attica corpus habet.

DIOGENIS LAERTII IN EVNDE

Epigr. Καὶ πῶς, εἰ μὴ φοῖβος, &c. pag. 289.

Ni Plato de Phœbo Græcis fuit editus, ecquis
Qui morbos animis arte leuaret, erat?
Nam veluti morbos satus hoc Æsculapius omne
Corporeos, animæ sic leuat ipse Plato.

EIVSDEM IN EVNDEM.

Epigr. Φοῖβος ἔφυ πεσσοῖς, &c. pag. 289.

Est Plato de Phœbo satus, est Æsculapius, amb
Hic animi vt medicus, corporis ille foret.
Connubiale epulum celebrans migrauit in vrb
Quam Iouis in patria condidit ipse sibi.

EX

EX LIBRO QVARTO.

In effigies veterum & heroum quorundam.

TIT. VIII.

IN FORTITVDINEM THESEI Ex Tauri Maratonii.

Epigr. Θαῦμα τέχνης ταύρου, &c. pag. 311.

Artis opus miræ species taurique virique
Vir taurum ducens ilia torta premit.
Inflexa ceruice, manuque obnixus vtraque
Hac nares, illac cornua pressa tenet.
Iamque pedes labefecit. At hæc vi victa domantur
Sublapsi retro colla supina feri.
Si quid coniicimus (tanta est vis artis) anhelus
Vir sudore fluit, spirat in ære fera.

GEMINI, IN STATVAM SALMONEI.

Epigr. Χείρ με πολυκλείτου, &c. pag. 311.

Salmoneus ego sum, Polycletæ opus: ille ego magnus
Salmoneus, telis qui Iouis obstrepui,
Rursus apud manes vexor. mutamque perosus
Formam, fulmineo cœlitus igne petit.
Parce animis, fulmen preme Iuppiter, en ego inane
Signum. cum muto bella quid ære geris?

INCERTI AVTORIS.

Epigr. Μὴ τρέσσῃς ὅτι τόξον, &c, pag. 314.

Quod tensos arcus, infestaque tela, sagittas
Ante meos posui cote subacta pedes,
Quod clauam gestat manus hospes parce timere,
Quodque humeros pellis hirta leonis obit.

Ipse malos tantum, non omnes lædere noui,
Et possum ærumnis eripuisse bonos.

In Heroinas, TIT. IX.

THEODORIDIS IN STATVAM NIOBES.

Epigr. Στᾶθι πέλας, δάκρυσον, &c. pag. 316.

Siste gradum, siste hospes, inexpletisque tuendo
Magniloquæ Niobes illacrymare malis.
Cuius humi telis natorum corpora bix sex
Huic Phœbus, Phœbi strauit at inde soror,
Ambiguæ hæc inter silicem carnemq; figuræ
Fit lapis, & Sipylus caule sonante genuit.
Vis morbi in lingua est mortalibus insita, sæpe
Natum ex infreni garrulitate malum est.

In deorum dearumque statuas, TIT. XII.

DEMOCRITI IN VENEREM cum e mari emergeret.

Epigr. Κύπρις, ὅτε σταλάουσα, &c. pag. 326.

Cum Venus æquorei spumis salis vda capillos
Edita purpureis nuda nataret aquis:
Vuidulos roseo crines collegit ab ore,
Et salsas guttas strinxit vtraque manu,
Hactenus extando qua fas. Si talis in vnda
Visa fuit, Martis pectora turbet amor.

In Victoriæ simulacra, TIT. XXI.

POMPEII, in statuam VICTORIÆ implumem Romæ: cuius alæ a fulmine ictæ.

Epigr. Ῥώμη παμβασίλεια, &c. pag. 357.

Te nunquam amissis fugiet Victoria pennis,
Nec tua laus poterit, maxima Roma, mori.

EX LI-

EX LIBRO SEPTIMO.

MELEAGRI.

Epigr. Ηδύ μέλος νὴ, &c. pag. 448.

Dulce sonant, mea Zenophile, tua carmina docto
Pollice, sic faueat Pan mihi, dulce sonant.
Quo fugiam te? me cingunt indagine amores,
Nec respirandi tempus & hora datur.
Vnde mihi formæ hæc aura appulit: aut rea Musa est,
Aut Charis est: eheu quid loquor? vror, amó.

Aliter.

Dulce sonas fidibus, sic dexter sit mihi Faunus
Zenophila, arguto pectine dulce sonas.
Heu quo te fugiam? circunstant me vndiq; Amores,
Et respirandi copia nulla datur,
Hinc forma, hic cãtus, tuus hinc mihi se lepor offert.
Hinc. verum cuncta hæc quid moror? vror ego.

EIVSDEM.

Epigr. Νὴ τὸν ἔρωτα, &c. pag. 448.

Dispeream, Heliodora, tuos ni audire susurros
Malim, quam citharæ carmen Apollineæ.

INCERTI AVTORIS.

Epigr. Τίς, ῥόδον ὁ στέφανος, &c.

Bacchine ipsa corona rosa est, dic, anne coronæ
Ipse rosa est? Minor est ipsa corona, puto.

MELEAGRI.

Epigr. Ο στέφανος περὶ κρατί, &c.

Marcescunt sertæ circa caput Heliodoræ,
Est sertum serti sed tamen ipsa sui.

EIVSDEM.

Epigr. Ἤδη λευκόϊον θάλλει, &c.

Iam florent violæ atque imbri narcissus amicus:
Quæque altis gaudent lilia cana iugis.
Et tempestiuis iam florum flosculus annis
Zenophile Suadæ floret amœna rosa.
Prata quid o vano florum gaudetis honore?
Suauior est ipsis sancta puella rosis.

Aliter.

Iam canæ florent violæ, pluuiaque sititor
Narcissus: florent lilia sparsa iugis
Et verna florum flos iucundissimus horæ,
Zenophila, Suadæ floret amica rosa.
Prata, quid, ah frustra florum ridetis honore?
Pulcrior est omni flore puella mea.

EIVSDEM.

Epigr. Πλέξω λευκοίον, πλέξω, &c. pag. 449.

Connectam violas, connectam mollia myrta,
Narcissum & patulo lilia hiulca sinu,
Corycioque crocos, & purpureos hyacynthos,
Insuper & vernæ florea serta rosæ;
Vt tibi ab vnguento caput Heliodora fragranti
Halet odoratis apta corona comis.

Aliter.

Et plectam violas, & myrtis suauibus addam
Narcissum, iungam lilia hiulca simul,
Nectam suaue crocum, texam vaccinia flore
Purpureo, plectam suauia texta rosæ,
Vt madida vnguento tibi floribus vndiq; inumbret
Heliodora, tuas plexa corolla comas.

EIVS-

EIVSDEM.

Epigr. Φαμί ποτ' ἐν μύθοις, &c.

Iudice me, argutis sermonibus, ipsa lepore,
Vicit vel Charites, Heliodora, suo.

EIVSDEM.

Epigr. Οξυβόαι κώνωπες, &c.

Sanguinis humani sitientes, improba secla,
Apta alis paribus, vocifici Culices:
Zenophilæ placidum liceat dormire soporem,
Carnibus interea vos satiate meis.
Sed quid ego hæc dixi? frustra sum. Animantia tetra
Gaudent in teneram figere rostra cutem.
Ah, pecus implacidum, cœptis absistite. si non:
Zelotypas in vos instruet ira manus.

EIVSDEM.

Epigr. Πταίης μοι κώνωψ, &c.

I, propera mandata, Culex. Velle ocius aurem
Zenophilæ, & tenui hæc murmure dicta sona:
Te vigil ille manet: tu lenta, vetternus amantum,
Dormis. Eia, vola, euge, canore, vola.
Sed placide eloquere hæc, ne forte vir excitus in me
Iram distringat, Zelotypasque minas.
Quod si illam adduces, spolium tibi grande leonis,
Et manibus dabitur claua gerenda, Culex.

EIVSDEM.

Epigr. Νὴ τὼ νηξαμέναν, &c.

Sic mihi cæruleo faueat Venus orta profundo,
Vt mollis molli proditur ore suo.

EIVSDEM

Epigr. Εντὸς ἐμῆς κραδίης, &c. pag. 450.

Te dudum vitæ vitam, doctissima fundi
Heliodora, meo pectore sculpsit Amor.

SIMONIDIS.

Epigr. Βοΐδιον αὐλητρίς, &c.

O Venus, emeritæ, tibicina, Boedion, atque
Pythias has Zonas, has tabulasque tibi
Institor & mercator, & vnde hæc cingula, & vnde
Hæ tabulæ, potuit scire crumena tua.

MELEAGRI.

Epigr. Ανθοδίαιτε μέλισσα, &c.

Cultrix floris apis, cur artubus Heliodoræ
Insidens, natas vere relinquis opes?
Anne hoc significas, quod dulcia fellis amari
Corde sub infido spicula Amoris habet?
Anne hoc significas? hoc sic est, vt puto, sic est
Hoc sed abi, iam sat nouimus istud, abi.

INCERTI AVTORIS.

Epigr. Καὶ πυρὶ καὶ νεφετῷ με, &c.

Me niue, me flammis, me fulminis igne lacesse:
Per iuga, per freta me, si lubet alta trahe.
Non vincar; nam qui rapido torretur amore,
Non queat, infesto cum tonat, igne peti.

Aliter.

Me niue, me flamma, me, si libet, impete sacro
Fulmine per præceps, per maria alta rape.
Depositum curis, domitumque Cupidine sæuo
Flamma nec a summo missa Tonante quatit.

MELE-

MELEAGRI.

Epigr. Τὸ σκύφος ἡδύ γέγηθε, &c.

Suaue renidet, & hoc vno se nomine iactat
Zenophile admouit quod sibi labra, calix.
O si ductim animam nostram prius ebibat ipsa
Consertis labris ad mea labra suis.

EIVSDEM.

Epigr. Κηρύσσω τὸν ἔρωτα, &c.

Acer Amor lecto paribus se sustulit alis
Prima luce. Quis, o, dicite, vidit eum?
Dulce puer lacrymat, petulans, sinumque renidet:
Aligero ex humeris picta pharetra sonat.
Sed patre quo genitus, nil dum scio. Lucidus æther,
Terra ferum, & pontus progenuisse negat.
Oderunt omnes omnino. At quærite, si quæ
Incautis animis retia tendit adhuc.
Atq; eccum in latebris. Video iaculator. In ipsis
Zenophiles oculis, o fugitiue, lates.

EIVSDEM.

Epigr. Πωλείσθω καὶ ματρός, &c. pag. 451.

Væneat, & gremio requiescens matris in ipso:
Væneat. Indomitum cur genus istud alo?
Et simũ, & volucre est, & acutos imprimit vngues,
Et risu in mediis fletibus ora quatit.
Præterea durumq;, loquaxque, & lumine vibrans,
Quem neque mansuetum dixerit ipsa parens.
Totus prodigium. Sed væneat. Institor, huc sis,
Si tibi mancipium cura parare, veni.
Flet tamen ecce. Bono animo es. Te nẽ ego vendam.
Hic cum Zenophila viue simulque mane.

EIVSDEM.

Epigr. Εἶπε λυκαρίδι δορκάς, &c.

Dorcas, ei, quæ se simulabat amare, Lycæni,
Dic, capta es; Patuit tempore fictus Amor.

MELEAGRI.

Epigr. Νύξ μακρὴ, καὶ χεῖμα, &c.

Nox media est & sauit hyems: media occidit vndis
Pleias: ego ad Dominæ perpluor imbre fores.
Vror amore Helenes. Nam sunt ea tela doloris,
Non amor, e rapido quæ iacit igne Venus.

POSSIDIPPI, aut ASCLEPIADIS.

Epigr. Αὐτοὶ τὸν ἀπαλὸν, &c.

Ipsi viderunt Ireni corpus Amores,
Et Cypriæ thalamos destituere Deæ,
Emendatum opus ad talos a vertice, Signi,
Et castigatæ virginis instar habens.
Hinc in mortales, neruo stridente, sagitta
Non vna ex illo tempore missa fuit.

MELEAGRI.

Epigr. Ζ'ωοφίλα καλὸν μὲν, &c. pag. 452.

Concubitus Venus illecebras, Amor ipse decorem
Zenophilæ, Charitum sal Charis ipsa dedit.

EIVSDEM.

Epigr. Ναὶ μὰ τὸν ἁπλόκαμον, &c.

Per Thimus tortos, qui me cœpere, capillos
Membraque per Demus insidiosa mihi:
Iliados per ego illecebras, vigilemque lucernam
Hanc, mea quæ mandis carmina multa bibit:
Parua mihi in labris nota vulneris ecce relicta est.
Quod si vis, modo dic, expuam & illud, Amor.

ASCLE-

ASCLEPIADIS.

Epigr. Αἱ σάμιαι βιττώ, &c.

Annion & Bitto Samiæ genitalia nolunt
Legitimo Veneris gaudia iure sequi.
Transfugiunt tantum ad præpostera. Ne tibi gratus
Sit coitus sancti transfuga, Cypri, furor.

EIVSDEM.

Epigr. Τῷ θαλλῷ διδύμη με, &c.

Me rapuit Thallo gemina. Ah ego tabeo cernens
Tale decus, qualis cera sub igne cadit.
At nigra est, quid tum? carbo quoq; Si tamen illum
Igne fouis, lux vt fulget hiulca rosæ.

POSIDIPPI.

Epigr. Λίσσομ' ἔρως, τὸν ἄγρυπνον, &c.

Te per ego nostræ supplex rogo carmina Musæ,
Heliodora, meo pectore cedat Amor.
Perque tuos arcus, qui iam petiere nec vllum,
Tantum in me dociles mittere tela sua.
Si pereo, vocem testantia carmina linquam:
Aspicis, vt morti me dedit, hospes, Amor.

Aliter.

Si supplex te Musa mouet mea, cura facessat,
Quam vigilem in nobis Heliodora serit,
Acer amor. Per te, per ego tua maxima tela,
Non alium, quam me, docta ferire, precor.
Sin morior, testes en istas linquo lituras
Quantum homicida potest, aspicis hospes, Amor.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Epigr. Εἰ φιλέεις, μή πάμπαν, &c.

Quisquis amas, caue sis deiecto pectore fractus
Supplicibus soluas flebilis ora modis.

Propositi solidi tibi cura sit, & tibi constent
Lumina contracto parca supercilio.
Nam nimis elatos contemnit fœmina fastus,
Et nimis abiectum ridet amica virum.
Ille peritus erit, quicunque hæc miscet, amator;
Et modico in fastu pectora fracta gerit.

PAVLI SILENTIARII.

Epigr. Χρύσεος ἀφαύσοιο δέτμαγρ, &c. pag. 453.

Aureus intacti temerauit vincla pudoris
Iupiter, vt Danaes ferrea tecta subit.
Fabula sic loquitur, me iudice. Ferrea septa
Omnipotens aurum, duraque vincla domat;
Hoc hoc nempe seras, hoc anea claustra resignat;
Hoc frangit fastus, dura puella, tuos,
Hoc frigidam Danaem lenit auit. si quis Amator
Fert precium, tibi ne supplicet, alma Venus.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Epigr. Τὸν σοφὸν πολέμωνα, &c.

Quod Polemo ille facit, Glyceres qui coniugis aufert
In Thymela crines, docte Menandre, tua.
Hoc nouus instituit Polemo meus. Ille Rhodanthes
Audaci cultas abstulit vngue comas.
Criminibus Tragicis mutauit Comica gesta;
Influxit tenera verbera sæua cuti.
Ah scelus indignum! Nostros miserata dolores
Quod tantum admisit turpe puella nefas?
Proh dolor. Exsculpensque oculos radicitus ambo
Inuida informes duxit in ore notas.
Si tamen is fuerit Mysumenos: ast ego contra
Dyscolos, aspicieni nec Pericromenen.

FIVS

EIVSDEM.

Epigr. Εἰ καὶ νεῶν πολίῃ σε, &c.

Quamuis cana atas iam te tepefecit, & in te
Ille cupidines mucro furoris hebet:
Debueras iuuenum curas miserescere, eorum
Expertus noris cum, Cleobule, faces,
Nec super assuetis stomachari rebus, honestum
Fœminei capitis nec populare decus.
Ergo momento nunc illi versus in hostem es,
Qua te olim potuit patris amare loco.

PAVLI SILENTIARII.

Epigr. Μέχρι τίνος φλογόεσσαν, &c. pag. 454.

Quatenus hoc, nobis vt suffuremur ocellos,
Alter & alterius lumina seruet, erit?
Cura fatēda palam est. Si quis tamen hostis Amoris
Aut dicto, aut facto vim parat atque dolum,
Ense malis nostris medeamur. Scilicet vna
Suauius est nobis viuere, vtemque mori.

AGATHIÆ SCHOLASTICI in Ariadnem fidicinam.

Epigr. Εἴποτε μὲν κιθάρης, &c.

Plectra gerens, cithara tetigit sifila canora
Æmula Terpsichores ora cadit fidibus,
Grandiloquam Tragico vocem firumpit hiatu
Melpomene bombos exprimit ore graui.
Si mota est formæ lis de certamine, victam
Cyprida vel iudex dixerit ipse Paris.
Sed melius taceam, ne Bacchus inaudiat, ac ne
Contubuus furiens hunc, Ariadna, tui.

MACEDONII CONSVLIS.

Epigr. Φωσφόρε, μὴ τὸν ἔρωτα, &c.

Parce Cupidineo, nec te vicinia Martis
Mitia dedoceat pectora, parce sacro.
Atq; vt apud Clymenem seruãs Phaethonta decori
Cursor ab exortu, Phosphore, lentus eras:
Sic mihi qua cupido vix se offert, nocte subista
Vt sub Cimmeriis, lente morare, precor.

EIVSDEM.

Epigr. Λῆξον ἔρως καρδίης, &c.

Cor solum & iecur excipias. In cetera membra,
Acer Amor, si vis mittere tela, licet.

EIVSDEM.

Epigr. Ελκος ἔχω τὸν ἔρωτα, &c.

Est mihi vulnus Amor. Sanies mihi manat ab i
Lacryma. Inexhausto culpa liquore madet,
Respirare malum nec me finit, ipse Machaon
Membra salutifera nec mihi mulcet ope.
Telephus esse volo, tu sis mihi fidus Achilles.
Curam, laesisti qua prius, ipsa leua.

PAVLI SILENTIARII.

Epigr. Εἰπέ τίνι πλέξεις ἔπι, &c. pag. 455.

Dic cui dispositos properes ornare capillos?
Cui curare vngues, cui nitidare manus?
Cui colis excoctis conchyli perlita sucetis
Pallia formosa tam procul a Rhodope?
Queis oculis mea te Rhodope non conspicor, illis
Vsurpare diem non ego posse putem.

MAC

MACEDONII CONSVLIS.

Epigr. τὴν νιόβην κλαίουσαν, &c.

Flentem olim Niobem contemplans forte bubulcus
Obstupuit, posset si lacrymare silex.
Contra tam longæ gemerem qui noctis in vmbra
Euippæ viuus non lapis indoluit.
Hoc facit acer Amor curam partitus vtrique
Et Niobæ a natis, & mihi ab igne meo.

PAVLI SILENTIARII.

Epigr. Χρυσῆς εἰρύσσασα μίαν, &c.

Legerat aureolo Doris de crine capillum
Ex illo palmas vinxit vtrasque mihi.
Risi equidem primo. Nodos mihi Doridis illos
Visus erat facilis soluere posse labor.
Mox gemui, postquam non rupi vincula, tanquam
Artus strinxisset aura catena meos.
Et nunc infelix vno aptus crine, potentis
Imperio Dominæ, quo trahit illa sequor.

EIVSDEM.

Epigr. Ὀπεὶν ἀμαλθάκτοισιν, &c.

Ille ego mente fera qui quondam pubere in æuo
Flexanimis Paphiæ legibus asper eram,
Ille Cupidineis imperuius ante sagittis,
Iam senior tua me sub iuga mitto, Venus.
Tu cape me, & gaude. Non tam prius inclyta malo
Hesperidum, quam nũc victa Minerua tibi est.

EIVSDEM.

Epigr. Ναὶ τάχα ταν ταλέης &c. pag. 456.

Næ quæcunque videt Acheron spectacula pœnæ
Tantaleæ nostris sunt leuiora malis.

Nam nullo prohibente, suis tua labra, videns te,
Consereret, verna lucidiora rosa,
Tantalus ærumnosus. At huic lapis imminet: illum
Horret. Ita est. Iterum sed nequit ille mori.
At nobis viuis liquantur membra furore
Viribus exhaustis mors propiorque venit.

EIVSDEM.

Epigr. Εσβέσθη φλογεροῖο πυρὸς, &c.

Dilapsa est mea flamma, nec amplius æstuo morbo
In Veneris cineres sed tepefactus eo.
Ossibus & penitis nuda cute, mentis & imis
Sensibus insinuans errat anhelus Amor:
Victima sic postquam est in sacris igne vorata,
Sponte sua residet, cum tepet esca, furor.

EIVSDEM.

Epigr. Ὠμοσα μιμνάζειν σεο, &c.

Iurabam sancte, bis sex, pro Iupiter & DI,
Lux mea, luciferos velle carere tui.
Non potui. Visa est lux longior altera bis sex
Mensibus: adiuro teque tuumque caput.
Tu, ne perscribant vltricis in æquore chartæ
Hoc quod iuraui, rite precare Deos.
Atque tuis mulce me, blanda, leporibus, vt ne
Me superum perdant & tua flagra simul.

EIVSDEM.

Epigr. Δικλίδας ἀμφετίναξεν, &c.

Me verbis Galatæa malis incessit, vt in me
Impulit iratas vespere, sæua fores.
Hoc scitum frustra est, iniuria soluit amores
Nam furiis stimulos subiicit illa meis.

A-

Annum iuratus dixi procul abfore ab illa;
Ast proh DI, primo hanc mane precator adi.

EIVSDEM.

Epigr. Ἡσὸν ἔτι φθινόπωρον, &c. pag. 457.

Et tuus Autumnus alieni Veris honores,
Æstates alias & tua vincit Hyems.

EIVSDEM.

Epigr. κοκρύφαλοι σφίγγουσι τέλω, &c.

Reticulo crinis premitur tibi? Differor æstu.
Hæc mihi turrigeræ forma videtur Opis.
Intectum caput est? Mentem mihi funditus omnem
Excutit ex toto pectore flaua coma.
Vela tibi condunt suspensos candida cirros?
Nihilo languidior cor mihi flamma coquit.
Tres formas stipat Charitum pulcerrima triga.
A totidem formis singula flamma fluit.

EIVSDEM.

Epigr. φεῦ, φεῦ καὶ τὸ λάλημα, &c.

Proh dolor, alloquiumque & visum liuor ademit;
Tecta supercilio verba loquente sua.
Nos stantes propius nutus miramur aniles,
Lumina vt Inachius multa bubulce tua.
Sta: circumspectans obserua: ringere frustra.
Explorare oculis intima nostra nequis.

EIVSDEM.

Epigr. Μηκέτι τὶς πτήξειε, &c.

Frustra aliquis paueat fera tela Cupidinis. Ille
Totum in me pharetræ iam vacuauit onus.

Frustra etiã assultus alarum. Nam mihi postquam
Impositis pedibus pectora pressit Amor,
Firmus inhærebit, stabilisque: neque inde faceſſet,
Quando in me pennas abſcidit ille ſuas.

EIVSDEM.

Epigr. Οὔτε ῥόδον τεφάων, &c. pag. 458.

Vitrosa non minor est serto: sic vestibus ipsis
Non es, gemmatis reticuliſque minor.
Candor, que tuo baccata monilia cedunt,
Impexique auri flaua nitela comis.
Inda quidem rutilos Hyacinthus fulgurat ignes
Luminibus cedat sed tamen ipſa tuis.
Roſeidulum decus oris, & emendata loquela,
Suada tua, Veneris quid niſi ceſtus is eſt?
Cuncta hæc me furiant; ſed me ſolantur ocelli:
In quos ſpes ſedes fixit amica ſuas.

EIVSDEM.

Epigr. τὴν πρὶν ἐνεστρέψατο, &c.

Illa tui vultus quondam præſentis imago,
Quam prius in noſtro pectore ſculpſit Amor,
Expuitur tibi: me miseram: verum vna decoris
Corde meo ſpecies ſtat mihi ſcripta tui.
Scilicet hanc Orco hanc oſtendam barbare Soli,
Criminis vt vindex Creſſa ſit vrna tui.

EIVSDEM.

Epigr. Ληθωὴ κλεοφάντις. ὁδὲ, &c.

Vt ceſſat Cleophantis? adhuc iam tertia cœpit
Lumine languidulo parca lucerna mori.
Ah pereat cordis ſic flamma, vt flamma lucernæ:
Nec me perungu torreat illa face.

Ah

Ah quoties Venerem iurauerat affore, primo
Vespere? nil homines, nil facit illa Deos.

EIVSDEM.

Epigr. Χθιζά μοι ἑρμώνασα &c.

Dum forte hesterno tutubans vestigia potu
Vestibuli primas induo serta fores.
Hermonassa Syphi lympha me spargit: & illas
Turbat, quas vix lux struxerat una, comas.
Sed magis ustus aqua magis arsi: nã scyphus ex hac
Melluto tacitas duxit ab ore faces.

EIVSDEM.

Epigr. Φεῦ ζεύ μοι κλεοφάντης, &c. pag. 459.

Aspice; quale decus, quæ laus, Cleophanti, duorũ est,
Quos pariter rapido turbine versat Amor.
Quæ bella vis, quisque metus, quæ causa pudoris
Hos dirimat sanctis nexibus implicitos?
Dentur vincla mihi, quæ Lemnia fabricat incus,
Quosque vafra nodos Mulciber arte facit:
Dummodo te amplectens cupidis, mea vita, lacertis
Perfruar in membris gaudia sponte tuis.
Tunc tunc hospes, & indigenæ, fessusque viator,
Me videant, & cum coniuge sacrificus.

EIVSDEM.

Epigr. Ἐξό τε μοι πίνοντι, &c.

Ex quo olim potans mecum potante Chariclo
Ingessit furtim propria serta mihi,
Totum ignis me exest. In ea puto, namque corona
Id, quo arsit Glauce nata Creontis, erat.

EIVSDEM.

Epigr. Ὀθρασὺς ὑψαύχην, &c.

Ceruice elata, contracta fronte, seuerus,
Nunc est virginei ludicra cura ioci.
Ante ratus teneram tumidus læsisse puellam,
Colla dedit: nunc spe decidit ipse sua.
Is modo femineas supplex iacit ore querelas:
Illa mares animos lumine torua gerit.
Virgo ferox, quanuis iræ est iustissima caussa,
Parce animis: Nemesis tela propinqua time.

EIVSDEM,

mittentis piscem puellæ.

Epigr. Εἰ καὶ τηλοτέρω μερόης, &c.

Tu licet vlterius Meroen vestigia figas:
Illuc pinnigero vectus Amore ferar.
Tuque petas ortus, quos concolor inficit Eos,
Immodicis spatiis vel pedes vsque sequar.
Nec minus hoc, quod do, nobis placare marino
Munere. Nanq; tibi hoc fert Venus orta mari,
Quæ abiecit, quæcunque fuit fiducia formæ,
Atque nitore tuo dat tibi victa manus.

EIVSDEM.

Epigr. Ὀφθαλμοί, τέο μέχρις, &c. pag. 460.

Quis modus, o oculi, ducendi nectar Amorum
Cum formæ sitis est ebria flore mero?
Ah procul aufugite hinc quantũ pote. Cypridi sanctæ
Tranquillo faciam sobria sacra mari.
Sin illic furor is, si me furor is manet illic,
Perpetuum madidi fletibus este meis,

Soluen-

Soluentes pœnas merito pro crimine, quando
Ob vos in tantum creuimus ignis opus.

EIVSDEM.

Epigr. Ἱππομένην φιλέουσα, &c.

Hippomenẽ ardebã. In tenerũ mẽs versa Leãdrũ est.
In labris hæ ens fixa, Leandre, tuis,
Xanthum mente gero. Xanthum complexa fouenſq;,
Hippomenem reduci perdita corde peto.
Præſentem f gio. Sic alternantia ſemper
Atque alium atq; alium brachia noſtra virum
Diẽ inhiant Veneri ẽ. Quod ſi qua mihi obiicit illud,
Hæreat hæc vni pauper inopſque viro.

MACEDONII CONSVLIS.

Epigr. Τὸ σῶμα τῶν χαρίτεων, &c.

Os Charitum illecebris & frontem floribus ornat
Exornant Veneres lumina, plectra manum.
Prædaris viſus oculis, accentibus aures;
Venatur iuuenes pars quotacunque tui.

EIVSDEM.

Epigr. Τὸ ξίφος ἐν κολεοῖο, &c.

Enſis vagina cur ſtringitur? haud vt iniqua
Sit Venus: adiuro teque tuumque caput.
Sed Martem vt, quamuis immani pectore, noris
Sub Veneris molli ponere colla iugo.
Iſte mei deſiderii eſt comes. Haud opus vllo
Eſt ſpeculo. Hunc verſans conſulo ſemper ego.
Pulcer in hoc videor mihi. Sed ſi linquis, amica,
Nos prius, hic enſis induet ille meum,

EIVSDEM

Epigr. τῷ χρυσῷ τὸν ἔρωτα, &c. pag. 461.

Auro sollicitatur Amor mihi. Nam neq; aratro
Possunt, nec duro mella legone coli.
Sed tempestiua veri viroris. At aurum
Omnimode Veneris dulcia mella colit.

EIVSDEM.

Epigr. Κιχλίζεις, χειμάτισμα, &c.

Hinnitu Veneris proludens bella, frutinnis
Furtiuo adnictas numine. cuncta moues,
Frustra, iuro, oculis, te non visurus, amori
Indomitam. lapidem ter quoque iuro Iouem.
Lude tibi, te suauioli poppysmate ducta
Illis, quæ nulli nuda labella seres.

EIVSDEM.

Epigr. Παρμενὶς ὑπ' ἔργῳ, &c.

Parmenis es non re. Vbi nomen hoc auribus hausi,
Laudaui. Tu mors altera amara mihi es.
Qui sequitur fugis: & sequeris, qui te fugit, omnem,
Vt fugias illum quando sequetur item.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Epigr. Πᾶσαν ἐγὼ τὴν νύκτα, &c.

Tota mihi in gemitu nox vertitur. Ast vbi venit
Dans minimum mihi lux prima quiete frui,
Circumpergs trepente citamur hirundine. Somnos
Abrumpens, lacrymas integrat illa mihi.
Quid mihi vobiscum est? absistite garrula turba.
Non, Philomela, mihi lingua resecta tua est.

Flete

Flete Itylon duris in montibus, atque sedete,
Scrupeſam cautes qua dabit alta domum,
Dormire vt liceat. Surrepens forte Rhodantes
Amplexanda mihi brachia, Somne, dabis.

EIVSDEM.

Epigr. Σώζεο, σὶ μέλλων σὶ ἐρεῖν, &c.

Dicturus tibi, vita, vale, vocemque citatam
Reſtano, rurſus ſiſtimeoque gradum.
Vtque olim niger ille dies Acherontis amari,
Sic mihi diſcidii cauſſa timenda tui eſt.
Vultus enim tuus eſt lux altera. Lux tamen omni
Voce caret. Contra, tu mihi verba refers
Dulcia Sirenum verbis magis, e quibus omnis
Pendula ſpes animæ ſtatque caditque meæ.

EIVSDEM.

Epigr. Εἰμὶ μὲν ὐ φίλοινος, &c. pag. 462.

Non ſum vinoſus: vin' me deponere vino?
Hac, ſi tu libes pocula, lege bibam.
Admoris tua labra, nequibo ſobrius eſſe:
Nec fas temeto poſſe carere mihi.
Nam tranſmiſſa tuis ad me fert ſuauia labris
Ille calix, narrans dona ſuperba ſua.

EIVSDEM.

Epigr. Μήποτε λίχνε μύκητα, &c.

Ne quis concretus tibi fungus conuocet imbres:
Vir venit: huic nullas nectle, Lucerna, moras.
Nulla faues Veneri. Nam cum condixerat Hero
Leandro, ah, Anime, cetera parce loqui.
Vulcano ſeruis. Hinc, ne aduerſeris herili
Curæ, tu Veneri ſemper iniqua, puto, es.

EIVSDEM.

Epigr. Τί στενάχεις; φιλέω, &c.

Die age dū quid ſuſpiras? Amo. Quamne? Puellam.
Pulcram? Pulchra oculis eſt ea viſa meis:
Aſt vbi vidiſti hanc? Ad cœnam forte vocatus
Vidi (communem preſſerat illa torum.
Spes eſt poſſe frui? Spes o bone. Denique aperte
Non amo. Fartiuas venor amicitias.
Legitimos thalamos fugis ergo? Vera putaſti,
Quod ſors huic multas nempe reliquit opes?
Omne tenes: Igitur nec amas bene? Fallere. Nunquā
Recta putans animus impatienter amat.

EIVSDEM.

Epigr. Διωγῶν ξηλυτέρων, &c.

Forte duas inter ſolus, mediuſque iacebam,
Illam ardebam, hanc non ladere certus eram.
Meque trahebat amans: ego furabundus at iſti
Non totis labris oſcula parca dabam:
Alterius fallens ardores ſcilicet, eius
Diſcidii cauſſas æmula verba timens.
Ingemui, dixique ſimul, fortaſſis amari
Vndique ſupplicium par, & amare mihi eſt.

EIVSDEM.

Epigr. Ηταίρης ἀγλαΐσι, &c. pag. 463.

Illa prius faſtu turgens iactare capillos
Sueta prius, pexis illa ſuperba comis
Sueta meis deſiderijs illudere: formam
Perdidit: hunc digitos ruga ſenilis arat.
Vbera ſubſidunt, cecidit frons, lumina marcent,
Annoſo ſtrubant balba labella ſono.

Cani-

Caniciem vindex voconumen Amoris. & æquum
Iudicat, & tumidis strenua pœna venit.

EIVSDEM.

Epigr. Αυτή μοι κυθέρεια, &c.

Et Cytherea potens, & Amorum candida turba
In tabem soluent iam cor inane mihi.
Non patiar, pueros, propero si stultus amare
Et culpa, qua non turpior vlla, cadam.
Vna sit in culpam mulier satis: hac ego peccem,
Pittalace. At pueros, stulte, relinquo tibi.

EIVSDEM.

Epigr. Ἡρά γε καὶ σύ φίλιννα, &c.

An desiderio mea tangeris ergo Philinna?
Langues exhaustis tabida luminibus?
An placidos carpis somnos, & nullus Amoris
Respectus? curæ, cura nec vlla, meæ est?
Expectant te sæua vices, flentemque videbo
Imbre per indignas vsque cadente genas.
In multis Venus est varium & mutabile. solo hoc
Eximia: elatis semper iniqua fuit.

EIVSDEM.

Epigr. Ἡράδινὴ μελίτη, &c.

Nondum etiam senii sub limine, puberis æui
Interiit, Melite, gratia prima tui.
Malarum sed adhuc splendet nitor. Eminet illex
Vis oculi. Annorum est sed neque summa breuis,
Atque puellaris manet illa proteruia. Ob istud,
Tempus, naturam vincere posse nego.

EIVSDEM.

Epigr. Σπεύδων εἰ φιλέῃ, &c. pag. 464.

Experiens, quam me concorditer ardet Ereutho
Sic ego cor ficte compositusque dolis
Aggrediebar: ego dicam: iam migro: peregre
Ibo. Vale, ac nostri vive, puella, memor.
Ingemuit, neque sustinuit frontem que ferivit,
Et crimen torta discidit vngue coma,
Vt maneam queque rogat. Fracto non tardus ocello
Credere do victas vtilitate manus.
Sum felix voti. Nam quod fecisse volebam
Officium, & munus hoc quasi grande dedi.

EIVSDEM, Cum e regione Vrbis ageret, vt de iure responderet.

AD PAVLVM SILENTIARIVM. ὑπομνηστικόν.

Epigr. Ἐνθάδε μὲν χλοάουσα, &c.

Hic ager vmbroso ramorum tegmine vernans
Fructifera frondis explicat omne decus.
Hic clangit versus cupressorum inter opacos
Pallorum maior rauca cohortis auis,
Hic frigulit Acanthis & hic Acredula questus
Ingeminans, inter densa rubeta sedet.
Quis mihi ludus in his cum vos audire loquentes
Malim, quam Phœbo quæ sonat icta Chelys?
Atquin me duplex exercet cura. Videre
Nam volo, summe virum, te. Dum alimq; meã,
Qua caleo: sed me iuris tutela, piusque
Dorcalidæ tenera tam procul arcet honos.

PAV-

PAVLI SILENTIARII.

Rescripta in idem.

Epigr. Θεσμὸν ἔρως, &c.

Ius nescit violentus Amor. Diducere amantem
A desiderio functio nulla potest.
Quod si iuridici studium te muneris arcet,
Ergo tuo nullus pectore feruet Amor.
Qualis Amor, si vos vndæ discrimine paruo
Distinet a vestra virgine terra procul?
Dum natat, ostendit, quæ vis, Leander, amorum est,
Nocturni impauidus murmur ad omne freti.
Ast adsunt tibi, Amice, rates Magis ergo Minerua
Inuigilas curis & Venus ipsa iacet.
Pallas iura: sed affectus Venus obtinet, vna
Palladi, dic mihi, quis seruiat, & Veneri.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Epigr. Ηιθέοις οὐκ ἔστι τόσος, pag. &c.

Non tantos patitur iuuenum natura labores,
Quantos imbelles nos muliebre secus.
Æquales illis adsunt curæque dolores
Intrepida sociis pandere voce licet.
Nec desunt, mentem quæ pascant, ludicra, vicos
Perreptant: animum picta tabella capit.
Nobis nec fas est cœli conuexa tueri.
Inclusas curis sed domus atra coquit.

EIVSDEM.

Epigr. Μηδὲν ἄγαν, σοφὸς, &c.

Prudentis scitũ est NE QVID NIMIS; *Ast ego fastus*
Indueram, quasi sal, aut mihi forma foret.

Credideram vnius, neque ea est sine fraude, puellæ
Totam animam in manib. semper habere meis.
Hæc, quasi pœniteat morum, vitæque prioris,
Intumet elato vana supercilio.
Sic prius ille ferox, ille æreus, ille ego tarde
Credulus, ac tangens astra, repente ruo.
Nam vertere vices: & supplex clamo: Nocentes
Ætatis vitio, parce Puella, sumus.

EIVSDEM.

Epigr. Ποίην τὶς πρὸς ἔρωτας, &c.

Quodnam iter insistas in Amoribus? Ecce petaces
In triuiis luxus non patiere lupæ.
Sin te virgo capit: vel eam tibi nubere ius est:
Vel corruptorum est pœna ferenda tibi.
Nuptas sollicitare ad stupra, quis, vnde voluptas
Nulla est, quantumuis cogitur ipse, potest?
In nuptæ furtis multa alea, fructus Amoris
Nullus: in his pueri est turpis habendus Amor.
Volgiuagæ viduæ passim suus extat Amator.
Quippe animum, mores & meretricis habet.
Castior est? tibi vix succumbere, voxque coacta
Mox stimulos odii concipit ægra noui.
Factum odit: quia nec periit pudor omnis, Amori
Aptas soluendo quæritat vsque moras.
Sin magis ancillæ cupidis amplexibus hæres:
Siue tua est, famulæ seruus es ipse tuæ:
Siue aliena, notam tibi lex tamen irrogat, in te
Mancipii haud proprii nomine probra cieni.
His se Diogenes pulcre extricauit: Et illi
Pellex, absque vlla Laide, palma fuit:

PAV-

PAVLI SILENTIARII.

Epigr. Ανέρ᾽ λυσσητῆες, &c. pag. 457.

Quemcunque appetiit rabida canis acre venenum,
Hic videt in mediis spectra canina vadis.
Forsan & infregit genuinum per cutis in me,
Sensibus & totis me spoliauit Amor.
Nam mihi salsa tuos referunt maris aequora vultus,
Fluminaq́, & verso pocula plena mero.

ARENÆI REFERENDARII

Epigr. Ομματα δινεῖς, &c. pag. 466

Lumina distorques tacitas prodentia flammas:
Ductas purpurea valga labella rosa:
Fringultis tremulum: vibras lasciua capillos:
Iactas effusas, me quoque teste, manus:
At nondum illa tui cecidit constantia festus.
Marcet: ille tamen masculus horror adest.

PALLADÆ.

Epigr. Νῶϊ κατα γιγνώσκω, &c.

Mirum, quod non mutet ob hanc se Iupiter illi
Iratior: rudis est: nil in amore videt.
De forma non Europæ, Danaëve puellæ,
Non ea concedat, candida Leda, tibi.
Ni forte est, quod scorta fugit vulgaria. Regum
Corrupit natas. Hoc, scio, crimen habet.

ERATOSTHENIS SCHOLASTICI

Epigr. Αρσενας ἄλλῳ ἔχοι, &c.

O valeat puerilis amor. Complexibus vtor
Fœmineis, in quis est diuturnus amor.

Turpe puer catamitus, In hoc mihi displicet illa
Præmatura horrens inuida pube cutis.

LEONTII.

Epigr. Ψαῦε μελισταγέων, &c. pag. 467.

Tange, Calix, mel oris; habes. Mulgere licet, nec
Inuidia est. Vtinam tu quod es ipse forem.

IVLIANI, Expræfecto Ægyptii.

Epigr. Ιμερτὴ μαρίη μεγαλίζεται, &c.

O quam ius penes est, & cura retundere fastus,
Elatæ Mariæ pectora, diua, preme.
Non vt morte luat pœnas, sed vertice toto
Caneat, & corpus rugæ senilis aret.
Exigite o cani lacrymarum nomine pœnas;
Et culpam culpæ conscia forma luat.

PHILODEMI.

Epigr. Δακρύεις, ἐλεινὰ λαλεῖς, &c.

Flens loqueris, lacrymas, temere aspicis, vreris æstu
Zelotypo, attrectas oscula crebra seris.
Istud amare quidem est: sed, me dicente, parata
Sum, cum dissimulas, non hoc amantis habes.

EIVSDEM.

Epigr. Μῆλον ἐγὼ βάλλει, &c.

Malum ego, me iecit qui te perit. annue amanti
Xantippe. nostrum flos vtriusque perit.

EIVSDEM.

Epigr. Τὸν σιγῶντα φιλαινὶ, &c.

A cani viuus testis fac lumen oliuo
Sit satur, & prodi, chara Philæni foras

Natæ sese vnis spectari testibus odit
Solus Amor. Tu mox obde, Philæni forem.

EIVSDEM.

Epigr. Νὺξ ἱερὴ, καὶ λύχνε, &c.

Nempe ambo alterno iurauimus ordine pactam,
Testis eris tu nox, tuque lucerna, fidem.
Vt neutri neutrum fas esset fallere, vobis
Testibus, accepta est, & data vtrinque fides.
Irrita quæ rapidis iactari dicit in vndis:
Alterius gremio hunc ecce lucerna vides.

EIVSDEM.

Epigr. Οὔπω σοι καλύκων, &c. pag. 468.

Virgineæ nec pubis hiat dum flos tibi: nec dum
Autumni liuet primitus vua tui:
Cum tamen acer amor acuit iam cote sagittas
Lysidice, & tacito ventilat igne faces.
Ah fugite, o miseri, dum non ferit arcus, amantes:
Quam magnos mox est flamma datura rogos.

EIVSDEM.

Epigr. Ψυχή μοι προλέγει, &c.

Prædicit mihi dudũ animus memor ante malorum,
Vt fugiam flammas, Heliodora, tuas.
Dicit: nulla fuga tamen est via: quo magis acer
Ille monet, magis hoc impatienter amat.

EIVSDEM.

Epigr. Οσσάκι καὶ δίλλης, &c.

Ah quoties audax nunc clara luce subipsum
Cydilla venis nunc ego nocte sinum.

Per præceps toties, fateor, vestigia figo,
Et toties capitis est alea tacta meo.
Quid tū? omne audet amans. Amor huc quē versat,
Cumq; nec in somnis cogitat ille meū. (& illuc

EIVSDEM.

Epigr. Ἑξήκοντα τελεῖ χαειτὼ, &c.

Hæc agitur, Charito tibi sexagesima messis,
Et manet in nigris crinibus ille tenor:
Nec rugis sulcatur adhuc cutis aspera. Suadam,
Ambrosiam, Charitum mille fundis adhuc.

EIVSDEM.

Epigr. Ηεράθω, τίς δ' ὐχὶ, &c.

Comissaui alias. quasi nemo hoc fecerit. arsi
In furias. quasi non me furiarit Amor.
Alea nunc tacta est. cani subiere, piloque
Nunc sapiens ætas deteriore venit.
Cum tempestiue licuit, tum lusimus. at nunc,
Tempus vbi non est ad meliora vocor.

EIVSDEM.

Epigr. Ηεράθης πλουτῶν, &c.

Dives amasti, Socrates, Ast modo pauper
Nullus amas. Quām est, proh, medicina fames.
Quare deliciasque iuumque vocabat Adonim
Menophile, nomen nunc rogat ille tuum.
Fare, quis? Vnde domo? quæ gens tibi? nūc bene nosti
Antiquum hoc. Inopem nullus amare solet.

EIVSDEM.

Epigr. Ηχαλεπὴ κατὰ πάντα, &c. pag. 469.

Aspera & indomita feritate Philesion illa,
Illa vlium, pretio non sine, passa virum

Mi-

Mitior hæc nunc esse videtur, at esse videri
Hoc leue, mutatum nec reor ingenium.
Sic quæ lenitis mansuescit moribus agnis,
Cum mordet, nihilo secius illa necat.

EIVSDEM.

Epigr. Μικκὴ ἡ μελανεῦσα, &c.

Et parua est & fusca Philænion. Ast mage molle
Non apium, non est blandior agnus ea,
Non illex ita cestus, vt eius verba. Patere
Omnibus, interdum poscere parca, soleat.
Hæc placeat mihi sola Philænion, aurea Cypri,
Succurrat potior donec amica mihi.

EIVSDEM.

Epigr. Ψαλμὸς καὶ λαλιὴ, &c.

Ars fidium, atq; loquela, argutaq; lumina, carmen
Xanthippes, & qui iam nouus ignis init,
Oanime, vrĕt te. Vnde, aut quãdo, quoue modo, illud
Nescio; tunc, cum ignis te coquet ille, scies.

EIVSDEM.

Epigr. Ὦ πόδες, ὦ κνήμης, &c.

O pes, o & crus, &, quod me male perdidit olim,
O femur, o natis, o pectẽ, o ilẽ duplex:
O humeri, o mammæ, o ceruix procera, manusq;
O duplices, o quæ, lumina, me furiant:
O fraudum artifices motus, o lingua retorquens
Anfractus, o me vocula debilitans. (phus,
Quod si Opica est, si Flora, canit, neq; carmina Sap-
Quid tũ? Iniam Perseus arsit & Andromedam.

EIVSDEM.

Epigr. Ηκομψή, μεινιόν με, &c. pag. 470.

Bella mane me, bella. quod est tibi nomen? vbi mi
Condicis? quod vis, hoc dabo. non loqueris?
Dic vbi eris? mittamne aliquẽ tibi? nũquis habet te?
Ergo vale, nec mi dicis, iniqua, Vale!
Ast iterum atq; iterum accedam tibi. Sæpe subegi
Quas nec duritia viceris ipsa: Vale.

RVFFINI.

Epigr. Πέμπω σοὶ ῥοδόκλεια, &c. pag. 474.

Floribus omnigenis plexas, Rhodoclea, corollas,
Quas etiam ipse meo pollice subsecui
Mitto tibi. Sunt hic anemone lilia iuncta,
Et cum Narcisso, cum violisque rosæ.
His induta caput fastus dedisse superbos,
Et tu marcesces atque corona tua.

EIVSDEM.

Epigr. Υψοῦσαι ῥοδόπη τῷ κάλλει, &c. pag. 475.

Muneribus formæ Rhodope tumet: huic ego salue
Dixi, cum fastu me resalutat ea.
Floriferis quoties intendi lumina sertis,
Calcat, inhumano prosubigitque pede.
O rugæ, o senium, citius properate, venite;
Et vobis Rhodopen flectere posse datum est.

MARCI ARGENTARII.

Epigr. Μήνη χρυσόκερως, &c. pag. 469.

Luna vide, vosq; o radiantis noctis ocelli
Astra, sub Oceani sueta subire sinum.

Discessit

Discessit, meque hic fugitiua reliquit Ariste
Improba, post sextum non mihi visa diem.
Vestigare tamen certum est, immittere odores
Cypridis, argenti grande numisma canes.

ANTIPATRI THESSALONICENSIS.

Epigr. Ὀρθρὸς ἔβη χρύσιλλα, &c. pag. 480.

Lucescit, Chrysilla, vigil iam gallus acuto
Infensum nobis prouocat ore diem.
Alituum pereas infortunissime, qui me
Visurum æquales exigis inde domos.
Fis, Tithone, senex. Nam cur tam mane fugasti
Auroram a tepido, lente marite, thoro?

INCERTI AVTORIS.

Epigr. Νῦν μοι χαῖρε λέγεις, &c. pag. 483.

Nunc mihi dicis, haue, postquam tuus ille nitore
Marmoreo vultus purior obsoluit.
Nunc mihi subrides, postquam tibi tempus ademit
Ceruici solitas inuolitare comas.
Hinc apage a nobis, nobis occurrere noli,
Non mihi pro tenera, spina legenda, rosa est.

INCERTI AVTORIS.

Epigr. Εἴμοι τίς μέμψοιτο, &c. pag. 483.

Si vitio mihi quis vertit, quod seruus amoris
Erro, quod omne oculis aucupor alitibus.
Ille Iouem sciat, ac ditem, Dominumque profundi,
Serua Cupidineo colla dedisse iugo.
Si tale atque homini genus est imitabile Diuum.
Post Diuos, quodnam crimen amare meum est.

THEOGNIDIS.

I.

Vinosum non est fas siccos inter adesse:
Siccum vinosos inter adesse nefas.

II.

Qui vini excessisse modum se postulat: impos
Est animi, linguæ est impos & ille suæ.
Atq; oggannit inepta, & quæ turpissima siccis,
Nil & inexpertum, dum madet ipse, sinit.
Mente prius compos, tunc infans. Ergo memento
Intra legitimum sumere vina modum.
Surge prius quam mens vino deponitur: & ne,
Ut merce de mercas, ventre trahare, vide.

III.

Mensuræ oblitor vini vis sumta, modestum
Et stultum, vacuos mentis utrosque facit.
Argentum aurumque explorant igne periti:
At hominum nudat mentis operta merum
Quamuis prudentum, vitium q; examinat omne, &
Vel cautis rubeant ora pudore, facit.
Vina caput mihi concutiunt, Onomacrite: agit me
Vinum: nec mentis sat bene compos ego.
Tota domus circum quatitur. Sed surge age, sodes
Experiere, vini vis habeatne pedes.
Atque animi mentem, me tuo male ne quid ineptū
Ebrius & maledus, neue pudenda geram.
Temeto nimio si plus utare, nocebit:
Si modico, haud noceat, proderit imo magis.

ERA-

ERATHOSTENIS.

Viribus æquiparat flammæ simul insinuauit
Vinum hominem, qualis sa sa profunda maris,
Aut Aquilo, aut vis Austri exercet, operta resignat
Funditus, atque hominum pectora tota quatit.

HESIODI.

Qualia dona dedit Liber, vitæque beatæ,
Materiamque odii, præter ius vina bibenti.
Et linguam cæcis, mentemq; pedesq; manusq;
Vinclis stringit: at is declinat lumina somno.

E Græco, ex tempore.

Hunc immortali florentem Amaranthon honore,
Lilia non tactas hæc imitata niues,
Nos tibi, sancta Venus, geminorũ mater amorum,
Ponimus, vnanimi pectora iuncta fide.
Tu contra fac noster amor celebretur in omni
Immortalis, vt hic, purus, vt illa, loco.
Cordaque amicitia coeant sic monstra duorum
Vt iuncti flores hi coiere simul.

Versus Laberii ex Macrobio a Iosc Scaligero Græce versi.

Ὅρμη μ' ἀνάγκης, ἧς δρόμον πλαγίᾳ φορεῖν
Πολλοῖς μὲν οὐκ τὸν ἐκφυγεῖν, παύεσις δ' ἔνι,
Πῇ μ' ἐξέωσεν ἐκ φρενῶν ἄκρων χεδόν,
Οὐ τέρβω, οὐ βία τις, οὔτις ἀξία
Ἧς δένει σφειγῶντ' ἀνέσης ἐξ ἔδρας,
Ἰδ' ὡς γέρον τα νῶι ἀνώχλισ' ἐυπετῶς
Ὁρμῶν ἀπ' ἀνδρὸς ἐξόχω πρώων φρενῶν.
Μῦθος πεσσηνὴς, μετρίως ὑποσαλεύς.
Ὢ Ζεῦ δύναντα μηδὲν ἀρνεῖσθαι θεοί,
Ἀνδρωπον ὄντα πῶς ἐμ' ἀρνεῖσθαι θέμις;
Ἐγὼ βίος ἄμωμ' ἐξήκοντ' ἔτη,
Ῥωμαῖ' ἱππεὺς ἐξελήλυθώς δόμων,
Ἀπεστρέφω δὴ μῖμ'. ἡμέρην μίαν
Ἔζησα ταύτῃ πλεῖον, ἢ ζῆσαί μ' ἐχρῆν.
Δαίμων ἄμετρ' ἐν καιρῷ τε κἀγαθῷ,
Εἴ σοι δέδοκτο γραμμάτων ἐγκωμίους
Ἄνδρας κόρυμβον κλῆν ἐμῆς εὐδοξίας,
Τί μ' ὤχ' ὅτ' ἤκμασ' εὐθαλῆ τ' ἔχον μέλη,
Τοίωδέ τ' ἀνδρὶ τοῖς τ' ὄχλοις ἤρεσκον ἄν,
Ἐκαμψας ἴχρι', ὥσε μ' εὐχερῶς δρέπειν:
Πῇ μ' ἂν καθῆκας; τί δ' ἐπὶ τῷ σκηνῷ φέρως;
Κάλλος ἴυγγ', ἢ εὐπρέπειαν σώματ':
Νῦ δριμύτητ', ἢ λαμπρότητ' εὐφωνίας:
Πρεσβλακεὶς ὡς δέγδεκα κιοὸς, ὁ χρόν'
Πολλαῖς ἐτῶν πλοκαῖσιν ἄλγος μ' ὑδιεῖν
Τάφους ὁμοίως, φλιῷ ὅπ' ἀραφῆς, φέρω.

PLVTARCHVS LIBRO DE CONSERVANDA VALETVDINE.

Ὅθεν ἄριστα λέλεκται, τροφῆς ἀκορίην, καὶ πόνων ἀοκνίην
καὶ σπέρματος οὐσίης συντήρησιν; ὑγιεινότατα τρία.

Quod in veteri lapide inuento in vrbe Sancti
Ægidii apud Tectosages, ita Latine redditum.

VESCI CITRA SATVRITATEM,
IMPIGRVM ESSE AD LABOREM,
VITALE SEMEN CONSERVARE,
TRIA SALVBERRIMA.

IOS. SCALIGER

His tribus versibus Græcis, hæc complexus est.

Τρί' ἐστὶ τῆς ἀνουσίης τηρητικά,
Τροφῆς ἀκορίη, καὶ πόνων ἀοκνίη,
Καὶ σπερματώδους οὐσίης κατάσχεσις.

EX ITALICO PETRARCHÆ.

Lux aderat qua Sol ferrugine conditus atra
Testatus Domini est funera acerba sui:
Qua perii; neque sub casses dilapsus, Aella,
Sensi, luminibus captus, Aella, tuis.
Nec mentem adieci bello, securus abibam:
Illa elementa mei prima fuere mali.
Cum mihi pacifico sæuissimus hostis, inermi
Armiger, imbelli bellicus instat Amor.
Perque oculos cordi insinuat grassator apertos;
Qui modo sunt lacrymis ianua trita meis.
O male victorem! quod nos adgressus inermes,
Quod tua non arcu reppulit arma suo.

EPICEDION HENRICI CASTANEI LVDOVICI F.

Quicunq; immenſos moliris mente triumphos
Abſiſte inſanis (vana eſt fiducia) cœptis.
Quiſque ſuas vrgemus opes: ſpe maxima facta
Præcipitamus; Mors atra nigris circumuolat alis,
Et curſu in medio vota imperfecta moratur.
En modo, quem ſublimis apex, quem clara manebat
Gloria, qui geſtis modo rebus, & indole prima
Cunctorum ſtudia & ſpes incendebat, inanes
Exſequias fertur iuuenis, lacrymasq; ſuorum,
Et fati inuidiam ſecum trahit. aſpice quanto
Defertur comitum gemitu, quanto agmine pompa.
Heu bello properatus honos, & puberis æui
Triſtes primitiæ. nimis infelicis ephebi
Viſa potens virtus, vitam ſi fata dediſſent
Nunc quem ſera ſenem debebat laurea cœlo,
Abſtulit ante diem, nec longo tempore ſortem
Paſſa frui iuuenem, quos ſpe præſumſerat annos,
Ac generis titulos claris extendere factis,
Si proprium decus hoc voluiſſent eſſe ſeuera,
Quæ fuſis hominum diſpenſant fata, Sorores
Omniparens cœlum, cœloq; adſcripta potentum
Fœdera fatorum, iuuenem contingere vitæ
Quas Telemoniades matrumque orbator Achilles
Contigerunt metas, cur inuidiſtis, vt annis
Heroum vitas animis æquaret honores;
Heu miſerande puer, iu nunc primo occidis æuo;

Occi-

Occidis; & iuuenile decus Mars impius hausit:
Qualia prima nouo canentia flore liguſtra
Decutit afflatu, qui decutit omnia, ventus.
Ah qualem luctum linquis matrique patrique
Atque tuis? matri imprimis, quæ vota precesque
Conduplicans ſublimem in equo & fulgentib. armis
Miſerat in bellum, nec talem mœſta recepit;
Sed gelidos artus, ſed onus fatale feretri.
Parte alia nullis nouitatum exercita monſtris
Simplex nobilitas, & neſcia fraudis fides,
Exſtinctum lugent. verſiſque inſignibus omnes
Funeream ducunt pompam, & funguntur inani
Officio, tu non gemitu reuocabilis vllo
Conciliis Heroum & cœtibus interes illis,
Quos diſcreta tuentur ab omni limina vulgo,
Limina quæ niſi victores inſiſtere fas eſt,
Quoſque triumphali velauit laurea fronde,
Aut quibus illuſtris vmbrauit cimica vultus.
Hic tibi non æquo paſſu templa illa petenti
Obuius occurrens aliquis de gente Deorum
Te cœtus trahit in medios procerum q3 ducum q3,
Francorum procerum atq3 ducum, qui fortibus auſis
Parta reportarunt toties ex hoſte trophæa.
Olli ſidereos vultus, & frontis honeſtæ
Mirantes culmen generoſum & membra decora
Expleri nequeunt animum, memoresq3 iuuentæ
Flent atque exſtinctum fato miſerantur acerbo.
Cum vero palmas numerant, & fortia facta,
Tunc inſtæ credunt numeros expleſſe ſenectæ.
Tunc lætum Pæana canunt; tunc vocibus æther
Feruet, & alterno fremit ingens regia plauſu.
Tu contra (horreſco memorans, heic iura fidemque

Calcata, heic patria conuersum in viscera ferrum,
(Proh pudor) Hispanos dominos in tecta recepios,
Mutatos Gallorum animos & secla nepotum
Degenerasse refers, virtutum oblita parentum:
Ac te felicem, cui contigit, ista priusquam
Longius in miseros serpant contagia Gallos,
Oppetuisse tamen pulcram per vulnera mortem;
Denique & hoc melius, quam si te lurida tabes
Deuotum morbo caput, & sine nomine funus
Absumset: melius, quam si te cespite vili
Suppositum velaret humus peregrina; nec vllus
Exsequiis patria contingeret haustus arena,
Aut tumulus, tumulo & leti superaddita caussa;
Et funus, qui solus honos est lumina cassis.
Tu loqueris: tacitus suspensis auribus illa
Conuentus bibit Heroum; nec iam tua sentis
Vulnera; non gemitus, non hac mortalia curas;
Et qua non curas, nobis deflenda relinquis.
Flebimus, & memori, si quid pia carmina possunt,
Si quis amor veri est, te commendabimus auo.
Dicemus validis defensas viribus arces,
Quam Gardapa rapax, & quā lauit amne Vigēna.
Addentur fusa palantes agmine turma,
Non sine te, & turpi vertentes terga timore.
Ac quamuis titulus plenis tibi fructibus ingens
Armorum merito est; tamē est prior ordine virtus,
Et docta impubes aetas operata Minerua.
Siste parens lacrymis, animi matrona virilis
Si qua fides vatum auguriis, manet vltimus hostem
Exitus. haud humili persoluet vindice pœnas.
Interea has lacrymas, solatia vana doloris
Accipe sare puer, dum paulum cura remissa

Laxet

Laxet iter voci, vt liceat tua dicere facta.
Accipe care puer lacrymas; Saluequę Valeque,

IN EVNDEM.

Cur hoc Henrici sunt condita viscera busto;
Aſt alii ceſſit corpus inane ſolo?
Vno domus totam quam non capit orbe ruinam,
Vno non potuit limite tota capi.

EPICEDION LVDOICI CASTANEI Equitis Torq. Regii.

Triſtes exequias, miſeras ſurgentis ephebi
Spes interceptas in primo flore iuuentæ,
Deſleram, nondum coiit manifeſta cicatrix.
Funeſtos iterum numeros, & triſte doloris
Poſcimur officium. lacrymas impendimus orbo:
Exſtincto demus lacrymas..duriſſima iura
Fatorum, ludo nondum ſatiata cruento,
Eſtne, quod in claras præluſtria culmina ſedes
Non liceat vobis, ſi nec domus vna ſat vno
Fungitur exitio? teſtis natuſque paterque:
Marte prior natus, morbi pater obrutus æſtu,
Ordine turbato nati comes additus vmbris.
Sic tortus rabido ventorum turbine vortex
Arboreos primum ramos, & matris opacæ
Summa petit ſtringens, mox ipſam aſturpibus imis
Euertit, totamque aduoluit montibus ornum.
Quæ prius inſano rumpam conuicia planctu?
Quid querar? vnde meo queſtus ac verba dolori
Sufficiam? ſtupet ecce nouo mens obſita luctu,
Nec, quid promat, habet, dū ſemet in omnia vertit.
Scilicet effabor? tantis ſim luctibus impar.

Vulnera dissimulem; misero, quodcunque tacetur
Acrius insidet: luctuque expressa querela
Infantes promit gemitus, ac murmura trunca.
Ipsaque nostros solita mulcere labores,
Ad quas perfugium duris in rebus habebam,
Præduxere situm squalentem ac nubila mente
Nec mea responsant facilis ad vota Camœna.
Septima iam reficit Lunares orbita cursus,
Cum dira mortis trepidas mihi nuncius aures
Affecit, pigrosque induxit pectore sensus,
Inspirata meis afflans oblivia curis.
Sic tua mors, Lodoice, tuique iniuria fati
Musarum dulces fœtus, & carmina nostro
Obterit ex animo postquam tua funera mœstus
Auribus hausi, nil non mutabile sensi,
Atque idem mihi me, qui te mihi casus adimit.
Hoc solum superest, de te vix dicere posse,
Et tantum meminisse tuis tua fata canentem
Flere, minus muto, sed non meliore canenda
Pectoris affectu si quis tamen hæc quoque si quis
Rumpet frena dolor; non te flos iecte virorum,
Indictum, aut tua facta sinam: tibi pectora plango,
Et tua iam resides animos in funera solvo:
Ecce diu sterilis male conscia lingua silenti
Obsequio tristi vivès, vocemque ministrat
In luctu facunda suos; nec se capit intus,
Quem vis dura mali potuit cohibere dolorem.
Ah quibus incusem probris, qua voce lacessam,
Quæ te non vertit est tanto fraudare ministro
Gallorum Fortuna vices, quas sæpe ruentes
Fulsit, & in tuto rursum tua dextra locavit;
Dum toties vincis, patriæque impendere vitam

Non

Non dubitas, quæ te nuper duce ciuica fregit
Arma, vago fines qua Pictonas amne Vigenna,
Quaque alios fines Lemouix Gardampa pererrat?
Heus vbi nunc virtus, inuictaq; dextera belli?
Heus vbi perfectæ fitiens mens laudis? vbi ingens
Gloria Castanidum? nempe hæc, proh sancta Deorum
Numina, nempe nigri hæc vis abstulit omnia lethi.
O quot funeribus tibi funus constituit vnum,
Quot lacrymas orbæ, quantum tibi, Gallia fati
Mors dedit vna! nouũ neq; enim, neq; nuper oborta
Nobilium de plebe caput, sed sanguine ab alto
Demissum gemis, atque heroæ stirpis alumnum
Vsque ab auis, & auorum atauis, ab origine prima,
Quod genus externum, quæ gens tam dedita nescit
Castanidas proceres, Martis virtute potentes,
Et belli claros studiis, quo tempore finis
Anglus Santonicos dura ditione premebat?
Testa Vultona es, refluaque Carantone lympha,
Cæde Caledonia vitreos infecte liquores.
Hinc sparsum genus est. at eos cœpere propinquis
Pictonis hinc tellus, hinc tellus Turonis oris,
Turonis armipotens Celtarum gentis ocellus,
Ingentis pollens, & diuitis vbere glebæ.
Hæc prima hausisti genitalis lumina cœli,
Qua regnator aquæ presso fluit agmine Crosa.
Et turrita lauat Posæi mœnia Castri.
Hæc tibi felices cecinerunt omnia Parcæ,
Et melior niueos onerauit purpura fusos;
Vt quanto patrias patria hæc supereminet almas,
Tanto tu meritis anteires omnibus omnes.
Ergo lacessenti primus vagitibus auras
Infanti ingenuos instillauere liquores

Castigatorum morum, pro lacte tepenti,
Sancta nutrices, Virtutum exercitus omnis,
Cana Fides, Fideique soror Constantia virgo,
Temperiesque, & iustitia Prudentia custos.
Inde magisteriis ætas formata Dearum
Accepit tales exculti pectoris auctus,
Quale tuis ipse lac immulsere labellis.
Vt, quæ vix fas est partitum singula habere,
In te coniunctim fluerent, vnoque recepta
Pectore virtutum collegia mixta coirent.
Nam quod vulgus iners, & adhuc rationis egenum
Nil putat esse fero blandis cum Marte Camœnis;
Tu cum Marte fero commercia blanda sororum
Inter se placida consanguinitate iugasti.
Musarum, vir magne prior belliue laborum
Laudibus, ambiguum; sed certe magnus vtroque:
Nec te nobilitas custos erroris auiti
Traxit in exemplum, legis quæ vertit in vsum
Nil scire, & rudibus transmittere cultibus ævum.
Quid referam nullis indefessabile corpus
Vlibus, & patiens auræ glacialis, & æstus?
Quid somni immunes oculos? quid membra labore
Campestri durata, nec vni nata palæstræ?
Vtque illæ dotis vincebant cetera, ita vnus
Vicerat has animus generoso incoctus honesto,
Puraque mens nulli vitiorum perua labi,
Et recti retinens, & vindex fraudis auaræ.
Tum pudor, & mores prisci Heroibus æqui,
Et castæ grauitas non affectata loquelæ:
Sobria temperies; frons non elata secundis,
Non derecta malis, mediique in vtroque tenores.
Interea magnæ legatus ponitur Vrbi,

Septem

Septem qua vna sibi gremio complectitur arces.
Quaritur e medio procerum, quæ maxima tanto
Apta foret ceruix oneri. tua cognita virtus
Non est passa diu mentem nutare legentis
Principis, aut procerum felicia vota morari.
Mitteris? & quam certa fides, quam prouida cura,
Aut tua quæ fuerit claros spectata per actus
Sedulitas, sensit Princeps, videre Quirites.
Quin etiam obsequium longa in statione tenerec.
(Tantus amor regni est, tanta est reuerentia Regis)
Emeritum nisi iam, lustrum voluentibus annis,
Roma redonatum patrio to redderet orbi.
Vita bona pacis dulces agitata per vsus,
Militiamque aula potuit tranquilla videri
Hactenus. Hinc crudi studiis exercita Martis
Cetera lorica sub pondere canuit ætas.
Quis memoret curas animi, discrimina vitæ.
Sub Ioue duratas hyberno sidere noctes,
Atque intempestis equitata cacumina nimbis,
Fortibus induto rigidum thoraca lacertis,
Cogenti turmas, implenti munia magni
Militis atque ducis? Lemouix rectore carebat
Limes, Aquitana scindens confinia terra,
Tempore quo Stygio caput extollebat ab antro
Gallorum furians animos ciuilibus iris
Impia Tisiphone flebat Prouincia sola,
Nuda regente suo. qualis bacchantibus Euris,
Fluctibus in mediis amisso cymba magistro.
Cuncta coruscabant trepida formidine mortis,
Pictone si sonipes flammas miscente cucurrit,
Vel quoties acies longe comparuit hostis
Extra vrbem manifestus erat, suspectus in vrbe.

Vique Therapnæos fratres, optabile sidus,
Auxilio implorant deprensi turbine nautæ:
Sic te suspirant fessis solatia rebus
Laturum ciues, neque sat, te poscere votis.
Poscenti & precibus, precibus rex annuit: & mox
Optatus Rector rerum successibus habenis.
Ipse quidem viridi iuuenalis indole vultus
Mutato felix nouitas moderamine sumsit.
At tibi nulla quies, nec blando lumina somno
Declinare datur. coniux a mente remoto
Exsulat, & dulces, carissima nomina, nati:
Publica priuatos affectus cura repellit.
Vnus amor, nullum patriæ præponere amorem.
Nec sua communi subducere membra ruinæ,
Vnum hoc propositum est: hic mihi terminus hæret.
Vix admissus eras trepidæ ad moderamina terræ;
Frugibus infestas populator Pictus cohortes
Parcius immittit campis; neque vt ante solebat,
Cornipedum crebris assultibus arua fatigat,
Sparsurus pauidis incendia dira colonis:
Et vel si quas foras audacia prouehit, hosti
Improuisus adest, vel ab omni parte timendus
Castanides absens animis suspectus inhæret,
Increpitatque metum, sola formidine victor.
Quæ Gordampa duas prætexunt oppida ripas,
Et quæ Crosa tuas, dominis seruire coacta
Hostibus, hostilis nunc sunt prætenta furori,
Nec vota agricolæ, nec spes intercipit anni,
Vel libata Ceres, vel abactus cultor agelli.
Illa, vagis cuius popularibus insula nulla,
Atque omnis fuerat tellus angusta, latronum
Colluuies, furumque nouo ductore maniplus,

Vnius

Vnius vix se defensum mœnibus Vrbis
Continet. illorum nunc præda est obuia, quorum
Prædo fuit. quod non toties, nec tanta per agros,
Perque humiles bacchata casas incendia regnant,
Quod ciuis propriis fruitur, quod pace colonus,
Custanidæ totum meritis debetur, & vni,
Quæ nullis cedit, cui cedunt omnia, dextræ,
Pictonio sua forma, tua virtute venata,
Et priscus patriæ redit vigor artubus agris.
Te duce, mercedem lixæ non pendit arator:
Non pacem donis redimit, non ære quietem.
Namque tui referens, exempla domestica dece
Miles habet, sequiturque tuos, vt classica, mores.
O felix si cui stabiles florentis honoris
Asserunt titulos indelibata voluptas.
Sed neque inoffensi datur cui currere metas,
Continuat syncera tenor neque gaudia nobis.
Namque duo meritas temerarunt omnia lauros,
Quæ transuersa uuis interuenere trophæis:
Filius, heu, pubes indigna morte peremtus,
Atque tuum carcer. sed carcer sanguine multo
Pensatum exegit iusta Rhamnusia pœna:
Vt damnis tua laus crescens pretiosior esset.
Sordescit laus de securo parta. triumphus
Vilis erit, cui non proludunt prælia damna.
Dicat congestis angustus stragis aceruis,
Quem pigra Ligerim propellat mole Vigenna,
Mersa quot arma uiri, quot fortia corpora voluit.
Iam sat finitimis impune illuserat oris,
Turonios prædo faciens equitatibus agros.
Vindictam exsanguis patriæ poscebat imago:
Vindictam lacera poscebat Filius vmbra;

Deuotum funus, ciuilis victima belli.
It campis agmen, telis exercitus ardens
Procedit. iam cuncta sibi cedentia votis
Metitur; quas quisque auida spe douorat vrbes
His seruile iugum intentant, his vincla minantur:
Omnibus exitium. Ne non poscentia pugnam
Agmina Castanides dictis accendite: adesse
Tempus ait, quo felici victoria lauru
Pictonio requiem, decus ipsis sauciat. eia,
Poscimur, en Manors. en Manors; poscimur inquit.
Signa mouent, strictisq; acuunt mucronibus iras.
Quæ fuit illa dies? quam multa cade piatum
Et carcer patris est, & nati funus acerbum?
Hic neque cura subit quæstus, neque parcere victis,
Nec precium captis imponere. corpora quæ non
Optat auaritiæ lucro, rapit vltio cædi.
Vindicti gens tota datur. nam cetera pubes
Ne pereat. perit, & patulas se mittit in vndas.
Atque aliquis prono descendens amne viator
Funera dinumerare velit: sed longa natantum
Obsistit series: numerus cum flumine crescit,
Cum numero Pæan. Ligeri dic, magne Vigenna,
Dic Liger, Oceano, victrici cedere cuncta
Castanidum dextræ; fluuios seruire triumphis.

Non ego cuncta meo complecti carmine possim,
Non Musarum, non patris opus: quas Marte rebelles
Disiecit gentes. placida quas pace ligauit.
Ista Maronei quos afflat spiritus œstri,
Vultus seris miranda nepotibus edent.
Nos humiles anima, queis soluere quæstibus ora
Vix datur, inferias magnæ, quas possumus vmbræ
Libamus, tenues numeros, desectaque verba.

Singul-

Singultu medias interrumpente querelas.
Ergone te, cui tot creperi discrimina Martis
Cesserunt, toties belli fortuna pepercit,
Lecti inuita quies, & segnis inertia morbi
Abstulit? occiduum quamuis tibi vergeret aeuum,
Et quartum ter quinta vrgeret Olympias annum:
Sobria te iuuenem faciebat vita videri:
Nos patria vtilitas annos numerare vetabat.
Quo properas? cur, quæ valide defensa dedisti
Oppida, quas toties seruasti, deseris arces?
Aspice, luctifico miscentur vt omnia planctu,
Omnis vt ora suum desideret orba parentem.
Heu cur te vitiis aui præsentis iniquum
Ocior aura tulit? non te preciosa morantur
Pignora præstantes lecta cum coniuge nati?
Non inculpati connectus strenua membra,
Castrorum comites, per tot discrimina sæua,
Indeserta tuæ fortunæ signa secuti?
At ego, quem suprema tenet iam calce senectus,
Quid steriles annos, quid inutile demoror aeuum,
Si genus Heroas nullo superabile bello
Morbus, & ancipitis rapit inclementia fati?
O patria, o magni dominatrix Galliæ regni;
Si quis amor veri est, si te tua vulnera tangunt,
Pelle situm sentii: nubem eluctare veterni
Antiqui, mersumque graui caput exsere somno.
An nondum clades, nondum tua funera sentis?
Paulatim floremque ducum, bellique ministros
Carperis, hos morbus rapit, hos Mars impius aufert
Funde tuo lacrymas supremum munus alumno.
Stes tumulus. tumulum signet superaddita causa.

Hunc tumulum, & tumuli titulum sua Gallia rapto
Castanidæ, quo mille duces amisit in vno.

PVTEANIS FRATRIBVS CLAVDII filiis, de morte eorum patris.

O lecti iuuenes, virtutis nobile germen
Succrescens patriæ; quid me ad damnata redire
Sacra Camœnarum, & meliores cogitis annos
Respicere, vt Phœbi reuirescat pristinus ardor,
Adflatuque nouo sopitos suscitet ignes?
At quodcunque fuit, si quod fuit, omne dolorit
Sordibus absoluit, neque iam splendescere cultu
Sustinet ingenium, duplici quod funere sensim
Efferri sentimus: hebes nam luctibus hinc est,
Hinc ipsum frangit, quæ frangit cuncta senectus:
Vt quondam senio rimam faciente dehiscit
Iam putris paries; proprio mox pondere tractum
In proclinatas prosternunt flamina partes,
Scilicet exsequias vestro sic ire parenti
Hac ope nitentes, hac cultos mente iubetis?
Namque ex quo tali vos orbos patre reliquit
Nigra dies, turpi macula, quæ secla notare
Non verita est tanto, dum priuat sidere mundum,
Ex hoc nulla mihi diffundunt gaudia vultum:
Et quæ sunt solitæ vulgo lenire dolorem
Vel ratio vel longa dies, harum altera tanta
Incturæ meritum menti obiicit: altera longo
Carnifici curæ vires acquirit ab auo.
Vltima restabant animo solatia victo.
Quas a me exigitis, neque me debere fatebor,
Dulces Pieridis generosæ pabula mentis,
Suauibus in studiis Heliconia sacra colentis:

Qui

Quæ non est animo potior medicina tumenti,
Cum dolor egeritur lacrymis, explendaque fletu
Cura nouis iris omnes effundit habenas.
Sed nos Musarum secretum triste petentes,
Nescio quis prauæ dulcedinis efferat error,
Absentis memores figens in imagine sensus:
Qui dum præteriti conuictus computat ævi,
Atque sibi blandius in omni quærit amicum.
Historia cumulo, heu quoties obiecta figuris
Lusit amabilibus memores insania sensus?
Nam quocunque meos circumfert lectio visus,
Seu quem iustitiæ dotes aut gratia morum,
Aut iuris commendat apex, aut gloria linguæ;
Vnicus occurrit nobis Puteanus in illis
Exemplis decorum: quia quem congesta decebat
Virtutum series, virtutes vindicat omnes.
Sic quæ sunt curis aliorum nata leuandis
Otia Musarum, lacrymis sunt pabula nostris,
Et quæ sunt cunctis medicamen lene laborum
Literula, nobis coeuntia, tempore longo
Vulnera rescindunt; animo quia vana ministrant:
Qualia fallaces frustrantur gaudia somni
Instar ventorum, leuibusque simillima fumis:
Vt, quoties mihi lecta refert, neque præstat amicum
Pagina, detester toties mea numina Musas.
Inde fit, vt si qua manabat largior olim
Castalii laticis, nostris de pectore vena,
Pauperior fluat, & suppresso fonte resistat.
Vnde igitur versus, & rapto carmen amico
Sufficiam, cui nec Phœbus respondet vt ante,
Nec veteris adspirat vegetamen impetus auras,
Parnassum & sacram solitas impellere Currhas?

Quod mihi si nullo squalleret pectora luctu,
Et par ingenium magnis conatibus esset,
Supremi officii præstarem iura sodali.
Sed vigil ad curas, solitisque adsueta querelis
Non venit ad partes tottes mihi Musa citata:
Pro verbis fundens lacrymas pro carmine questus
Ne tamen aut pietas, aut cuius sancta potestas,
Claudicet officium pars vlla nouissima nobis;
Huc ades adiutrix nostri regina laboris,
Et mihi, Melpomene, potiores præcipe cantus,
Fletibus immodicis statuens quis terminus hæret,
Quos desiderio fines, qua tempora pono.
Et cum te in partem lacrymarum sæpe vocarim;
Pone graues gemitus, lamentaque desine mecum
Funereos lacerata sinus, immissa fluentes
Hirta per orta comas, & scisso squallida peplo:
Come serenatam festo diademate frontem,
Induepurpureo radiantes lumine cultus:
Deterfis curis, & pulsa nube doloris
Compositos manes hilari pietate colamus.
Iam laudum, & rerum melior te postulat ordo:
Sic ego: sic Diua hoc sermone silentia rupit.

Principio Natura parens, cum vellet in vna
Congerie decorum commercia multa coire;
Atque hominem exemplum seclis insigne futuris
Parturiens, cuius sub pectore conderet illa,
Hunc humilis vicli cœcis vagire latebris,
Aut ignorata nutriri noluit vrbe,
Sed regni demiræ, quod regnis omnibus orbis,
Omnibus Europæ præcellit vt vrbibus illa:
Vt commune decus, sociaque insignia laudis
Tam locus a nata caperet quam natus ab illo.

Regna-

Regnatrix clara, generosa Lutetia, terra,
Quis memorare tuas sat digno carmine dotes
Aut laudes aquare queat, quæ debita Musis
Tot pleno toties fudisti pignora fœtu?
Tu generas, qui iura regunt, qui legibus vrbes
Et sanctis recti populos moderantur habenis.
Non alia nasci Puteanus debuit vrbe,
Aut potuit, quam quæ propriis virtutibus illum
Excoleret, similemque suis formaret alumnis.
Protinus altrices linquens infantia cunas,
Imbuitur studiis, & primo flore, Minerua
Eductrice, rudes poliuntur cultibus anni.
Excipiunt puerum gremiis florentibus Artes.
Ante omnes teneri moderamen suscipit aui,
Quæ docet, vt primo formetur litera ductu,
Vt commissa suis nectatur syllaba nodis:
Atque per articulos distinctaque membra legendi,
Dædala perpetuam texat structura loquelam:
Vsque suis pedibus gradientia carmina surgant.
Hinc soror exacuens studiis solertia corda,
Et stricto vultum componens pondere vultus,
Succedit Critice, pueri quæ sensibus omne
Cecropiæ & Latiæ reserat penetrale senectæ.
Quicquid apud numeros, numeris aut orsa solutæ
Venturis seclis commendauere papyri.
Non illi prisci certasset norma Cratetis,
Non cuius spurios versus censura notauit,
Et læso a mendis obelos impressit Homero.
Sic furtim ereptos blandis nutricibus annos
Erudiere Deæ, donec vis mentis adultæ
Ad magnos census, grauioraque cœpta vocaret.
Tunc Dea, quam penes est cultæ facundia lingua,

Quæ dotes oris tribuit, regnumque loquendi,
Induit Actæi puerum Demosthenis arma:
Eloquii florentis opes, momentaque fandi
Tradit, & attonitas, artem, quæ præmouet, aures,
Arbitrioque suo moderatur frena coronæ.
His sacris imbutus ait, pete, limina legum,
Quæ tibi recludit nostri fiducia ductus.
Vt rectore carens, & nullo remige tuta
Ludibrium venti puppis iactatur in vndis:
Sic, quicunque subit Themidis sacraria, mystes
Lucis eget nostræ, cunctisque paratibus orbus,
Quos munire solent pueris discentibus Artes;
Exclusus commissa luet, quod mente profana
Iuris inaccesso posuit vestigia luco;
Et nunquam visus adytis immittet opertis.
Exsere viuidulos animi solertis ocellos
Care puer, te iura vocant arcanaque legum.
Te sua votiuum Themis in penetralia mittit,
Quæ te purpureis insertum Patribus olim
Signabit meritis rerumque imponat habenis.
Disce quis officii limes, quæ regula recti,
Quis licito finis, vetitum quæ pœna sequatur:
Qualia bis senis tabulis sanxere Quirites,
Aut Prætoris honos, aut Cæsaris alta potestas.
Artibus excita his homines Astræa reuisit,
Prætulerit quamuis telluri sidera, postquam
Aurea deterius vitiauit secla metallum.
His quoque barbarico squallescere secula ritu
Dediscunt, & qui voluit feritate timeri,
Iura timet. Validum, sæuisque potentius armis,
Vrbibus vt regis, sic regibus imperat Æquum.
Quo magis has, dilecte puer, maturior artes

Præci-

Præcipe corde libens, & totis sensibus hauri.
Tempus erit, quando tua te spectata per illas
Augusto Patrum virtus adiciscet honori,
Dixerat. Obsequiis puerum maioribus aptum
Excipit alma Themis, magnis & destinat actis:
Sacra docet, legum tabulas, & condita iura
Monstrat, & instructo iam ciuica porrigit arma.
Est locus, austrinum qua pronus vergit in axem
Signifer, & noctes Chelæ, cum lucibus æquant:
Hæc sibi, dum prisca exoso relinqueret vrbes,
Conspicuum posuit signu Astræa tribunal,
Vnde sacro totum moderamine temperat orbem,
Et stringit scelerum vindex in crimina numen.
Hæc incisa notis media testudine tecti
Atque ære ex solido legum tabularia pendent.
Atria clara domus dextra læuaque tuentur
Felices animæ, cœlo sacrata virorum
Nomina, purpurei toga quos velauit honoris:
Quorum consiliis tutata est Curia regnum,
Quos non vis odii, non illice gratia fuco,
Incolumem iusti vetuit seruare tenorem.
Hos Dea pro meritis in cœli parte locauit.
Inter quos (celsa Puteanum vt vidit ab æthra)
Præcipua sedis loca diligit: hunc quoque, dixit.
Ista manet sedes, postquam perfecerit omnes,
Quos fatis debet non quos natalibus annos.
Atque vtinam posset contingere longius æuum,
Et tantum vitæ quantum splendoris haberet.
Diis aliter visum, vitiis qui gentis iniqui
Humanæ sanctas animas de corpore soluunt;
Vtque malos mulctent, priuant hos luce bonorum.
Interea dum culmen et sublime paramus,

Lucida qua iustæ fulgent examina libræ,
Et vacat huic sedes, quam designauimus illi,
Hos inter Proceres, sua quos illustribus athra
Cœtibus inseruit pietas, cœloque fruuntur:
Hunc, summos meritum virtutis nomine fasces,
Inter honoratos admittat Curia Patres.
Iuridici cœtus secretis actibus adsit.
In medio faciat facundus verba Senatu.
Nullus occultatur virtus generosa tenebris,
Conspicuum fundens, Pharos vt Nilotica, lumen
Nec Puteanus, opem cum lapsa negotia quærent,
Ignoratus erit: dubiis nam protinus illum
Rebus Aquitanæ gentis adiura reposcent.
Cum lecti proceris augusti membra Senatus
Exciti lacrimis afflictorumque querelis,
Incorrupta dabunt oppressoiura Garumna.
Mollia præstantes securis otia terris.
Aſt hos pacatis repetentes patria rebus
Mœnia ferialis tempestas ciuica belli
Excipiet: quantis iactatos illa procellis
Heroas summos varia in discrimina mittet,
Quorum pars Puteanus erit? quid cetera porro
Persequar? aut potius cur facto fine quiescit?
Plura Deam memorare (etenim memorare libebat)
Et dolor, & taciti vetuit mens conscia fati,
Me quoq;, quã meritũ grãde, & reuerẽtia morum,
Atque vtri virtus huc perduxerit canentem,
Hei mihi, cum morbum supremaque cogito fata,
Hei mihi deficiunt vires. nec plura canuta
Melpomene, lacrymisque genas oppleta tumentes
Hæsit, & effusi contraxit vela doloris.
Cupressum crines iterum pro virgine lauru,

Pro

Prolatis humeri velamina tristia sumunt.
Quo me, Diua, graui perfossum pectora cura
Deseris, infandamque iubes reuocare ruinam,
Cui par non fueram flendæ? quid fulmine tanto
Dignum concipiam, cui singultantia verba
Vix medio gemitu vox intercepta ministrat?
Ignosce o nostri sidus memorabile secli,
Si pro carminibus, truncarum murmura vocum,
Pro cultis elegis, incomtas fundo querelas.
Non mihi sunt, quæ tu quondam laudare solebas,
Et quia laudabas, cunctis placitura putaui,
Carmina: sæpe tuis quibus est audacia verbis
Addita, dum claræ metuunt se credere luci.
Omnia tu mortens hæc tecum rapta tulisti.
Omnia ferali sunt tecum condita busto,
O luces, o quos memini, dum fata sinebant,
Colloquio dulci tecum me condere Soles.
O tritos sermone dies, & seria mixtis
Alternata iocis! o quas mirabar adoraus,
Obstupuique mei mihi me rapuere loquelæ!
Heu vbi conditi placida grauitate lepores,
Atque serenati diuina modestia vultus?
O castigati, charitum sacraria, mores!
O pietas! o cana fides! o mixta bonorum
Temperies! vnus habuit, quæ flemus in vno.
At vos o digni Pylios transcendere fines:
Et tamen ante diem crudeli funere rapti,
Innocui Manes, nostri libamina luctus
Accipite has lacrymas: & quos præstare Camœna
Non potuere mea, pietas compensei, honores.

IN CHRISTOPHORI THVANI. V. C. obitum.

Si quis adhuc hospes nostrum videt ordine longo
Funus. & aratos pectora mœsta Patres:
Ne tantum pompam, nec nos miretur ab illa;
Exsequias meritis æstimet ille meis.
Magnus ego magnis orior: neq; nunc mihi primum
Quæsitas nosci contigit inter opes.
Debeo naturæ quod non casuve, neque vllis
Fortunæ possum clarior esse bonis.
Me sibi iuridicæ toga vindicat vna Minerua,
Et rerum domini gloria prima fori.
Non tamen & temere tantas accingimur artes,
Nec terimus vulgi praua sequentis iter,
Nec vos polluimus sanctæ, mea numina, leges:
Attulimus puras ad sacra vestra manus.
Interdicta viris nisi quos doctrina vocauit,
Irrumpit legum limina sacra puer.
A syrocinio linguæ, primisque magistris
Protinus ancipitis transit ad arma fori.
Hinc fouet infantes prudentia iuris alumnos:
Munia abortiuus summa Senator obit.
Dii melius, nostræ quod non pertæsa iuuenta
Erudiit sensus curia prima meos.
Exactos legum mea mens spectata per vsus,
Emendata bonis cultibus ante fuit.
Quicquid in æternis positum memorabile chartis,
Historiæ veteris copia diues habet,
Quæque per annales priscos aut Græca vetustas,
Magnarum aut rerum conseia Roma notat.

Tum

Tum linguæ studium Varronis sacra diserti,
Romani eloquii quæque tuentur opes:
Cuncta mihi percepta prius, quam audere viderer
Nauta per ignotos velificare lacus.
Nec blandas spreui commercia mollia Musas.
Quin metis spatia hæc prima fuere meis.
Languet in incultis animus prudentia legum:
Sensibus instructis acrior illa subit.
Hinc me Romani deuotum iuris alumnum,
Excipiunt Themidis sacra verenda Deæ.
Vix his egredior, mox me Palatia poscunt.
Conuenio miles ad mea signa frequens.
Fungor honoratis vicibus, celebrisque per omnes
Militiæ exercet me toga docta gradus.
Et, quod nota forent mihi summa negotia, magnis
Principum amicitiis publica cura fui.
Summus apex restabat & ipsis proxima Diuis,
Quæ claro fulget purpura prima loco.
Emendicatæ non hanc suffragia vocis,
Non magnas vincens ambitus acer opes,
Gratia non expressit inaffectata supremus
Virtuti magnæ præmia pendit honos
Non sine Diis probitas grassatur ad ardua rerum:
Non leuis est summi conscia caussa gradus.
Culmen ad hoc patuit via moribus huc mea virtus
Me vehit. hæc rexi signa vocante Deo.
Quemlibet obiciat nobis annosa vetustas,
Cuius adhuc laudet fama tribunal anus,
Et graue iudicium, siue eius, qui mouet vrnam
Quæsitor Minos, Æace siue tuum:
Omnia concedent iuri subsellia nostro.
Iustitiaque erimus lex imitanda noua.

Secula Saturni, priscumque reduximus aurum
Iudicis. Themis est ore locuta meo.
Vos conscriptorum collegia sera Patrum
Testor, & auspiciis Curia recta meis:
Ecquando auditum nostra vel labe, vel vllo
Crimine tot proceres erubuisse nouo?
Quæ mea calcato sententia missa pudore
Imminuit vestræ iura seuera togæ?
Quis nos vindictæ cœcis caluisse notauit
Motibus, obiecto vel tepuisse metu?
Quis lentum vidit? miserorum vota clientum
Euentu dubii pendula sæpe fori
Non fauor eluſit, non improba gratia vicit,
Non fruſtratrices detinuere moræ:
Non mala fraus, & iuris inextricabilis error,
Non legum in dubias compita secta vias.
At longæ ambages lites ex lite propagant,
Et fraus succreſcit fraudibus arte mala.
Ah valeat quæcunque viæ compendia neſcit,
Pragmaticis nullum ponere docta modum.
Sed male iudicium differt, ac ſurda moratur
Non exorata curia clauſa ſera;
Dignior ignaras æqui qua temperet vrbes,
Ponat & in Scythico barbara iura foro.
Sedulitas vna est clementia iudicis æqui.
Sæuitia est quicquid ceſſat ab officio.
Ille moras legum, & iuris retinacula rumpat
Sedulus exemplo qui volet esse meo.
Hactenus excubiæ populi. priuata ſuperſunt
Munia. & inſtructæ ſedula cura domus.
Non mihi conſcius maculam, qua nomen & ipſos
Fama meos mores decolor vlla notet.

Non

Non lucrum velox, quaſcumq; relinquimus, auxit,
Vita ſed exculta ſobria paruſit opes,
Quas pater, & generis ſeries longiſſima priſci
Liquit, & a proauo miſſa potente domus.
Otia Muſarum curas mulſere forenſes:
Perfugium ſtudiis illa fuere meis.
Pura valetudo, nullis pulſata procellis,
Semper inoffenſo functa tenore ſuo eſt.
Curriculo extrema permenſum longa ſenectæ
Occupat optato fine beata quies,
Mors quoq; laudata eſt: gemitu lacrymiſq; Senatûs
Efferor, & populi teſte dolore fruor.
Hæc ſeries vitæ, manibus da lilia plenis
Hoſpes, & exſequiis fauſta precare meis.
At tibi contingat votorum ſumma tuorum.
Si ſic vixiſti, ſic potes ipſe mori.

IN OBITVM IOANNIS Thuani V. C.

Ergo funeſtos, regina Lutetia, cultus
Sumis, & in vultu ſigna dolentis habes.
Occidit ac decus ille tuum, tua cura Thuanus,
Atque eſt quod feretro triſte leuatur onus.
Summus alumnorum, quos ad faſtigia laudum
Virtutis feruens impetus extulerat.
Quid genus, aut præſtãs, iuuenum lectiſſime, vi. tus
Profuit; aut mentis vis generoſa tibi;
Si mors ante diem te funere damnat acerbo.
Iniecere auidas ſi tibi fata manus?
At tibi in auguſto culmen ſublime Senatûs
Firma ſpondebant emina certa fide.

Et tibi ad hoc virtus, & vita exculta per artes,
Famaque ab antiquis missa fauebat auis;
Et genitor, quem si tibi non Natura dedisset,
Is meritis animi tam tuus esse potest.
Te primum sacri Genius Themis alma Senati
Ingenii excepit indole capta tui:
Et legum studiis animum emendare seueris
Dum parat, hæc tacito verba dolore dedit:
O præstans animi, gentis spes summa Thuanæ,
Si qua Fata sinant tu quoque magnus eris.
Sunt quædam leges, & ineluctabile rerum
Fœdus, & ipsi adeo iura tremenda Ioui:
Quæ tibi crescenti cœptisque ingentibus obstant.
Ah sinerent; quæ laus, quanta futurus eras!
Verum primitias nostri nunc illa laboris,
Et messes properant vrere sæua meas.
Interea quodcunque meo de munere restat:
Id, iuuenis, laudi seruiat omne tuæ.
Ingenii dotes, mens consultissima rerum,
Et castigatæ vis rationis erit,
Compositi gestus, & torrens copia fandi,
Et bene pro tepidis lingua diserta reis.
His tu præsidiis quæuis fora tutus obito.
Ipsa patefaciet curia magna fores:
Doctus honorato Pater vt te gaudeat olim,
Et docti Patres maxima castra fori.
Cetera Fatorum fuerint tibi iure negata:
Parcarum inuitis legibus ista feres.
Non tibi plebeiis sordent natalibus ortus,
Nec leuibus titulis est tua fulta domus,
Illa, Parisiacam regerent qui legibus vrbem,
Purpureos peperit pectora docta Patres;

Inde

Inde magistratus, & splendida nomina, honores,
Claraque ab innumero gloria fulget auo.
Quæque venit virtus multo quæsita labore,
Legibus incepit sanguinis esse tua.
Quare age dum famæ plenis potes omine velis
Ingenii magnos explicuisse sinus,
I, iuuenis, tibi prouecto tam laudis in altum
Temperat vt cursus aura secunda tuos:
Teque olim patrii miretur vt ordo Senati
Celtarum magno ponere iura foro.
Nec pressisse tibi sat erit vestigia auorum:
Fac quoque sis tantæ pars imitanda domus.
Nec tantum tibi nobilitatem transferibat honesti
Muneris emerito functus honore pater:
Verum etiam propriis illam virtutibus orna.
Cum patrias illi iunxeris, adde tuas.
Sed frustra precor haec tenues rapiuntur in aurat
Fatorum cæco turbine vota meæ.
Quod solum potui, summis te iuuis & aqui
Artibus, eduxi laudis ad omne genus.
Hæc patefacta via est: sinerent o cetera Diui.
Hactenus auspiciis hoc potes esse meis.
Dixerat, & lacrimæ verba imperfecta secutæ,
Singultu medios eripuere sonos.
Fatalis iuuenis, iustissima cura parentum,
Quæ sat erat morbi mœsta querela tui?
Aspicis? aratro sordet nunc Curia cultu;
Institutumque hodie publicus vrbis amor
Inaixit: tota est vrbs funere funus in vno,
Et putat efferri se quoque morte tua.
Heu quantum est auo crimen facturæ futuro;
Vna nigras tenebras inter habenda, dies,

Quæ mutas leges, sanctique silentia iuris
Cerneret atque orbi frigida regna fori!
Quot dotes animi quam paruo clausit in orbe
Vnus vt occideret, quot periere bona!
Dii, quibus est claræ suspecta potentia gentis,
Quis vestrum tantæ par erit inuidiæ?
I nunc, deplora congestos stragis aceruos,
Plurimaque hostili millia cæsa manu.
Omnia non certent huic vni funera damno:
Iacturas omnes obruit vna dies.
Heu iuuenis miserande: tuo nunc subruta casu
Est domus, & gentis spes labefacta tuæ;
Quam pius ipse parens ex te suspenderat omnem,
Fouerat & tacito credula vota sinu.
Vt posses oneri magnæ succedere parti,
Atque graui rerum fasce leuare senem.
Et tibi non deerant istis satis ampla gerendis
Præsidia, & poterant hæc onus esse tuum.
Nam tibi vis prudens, & rerum maximus vsus,
Et grauibus curis vtile pectus erat.
Quas dotes vno clausit mors nigra feretro,
Ac secum Patris votaque spemque tulit.
At vos, o proceres, cœlo pia turba recepta,
Principibus quibus est curia recta viris.
Alma quibus pietas, & seruantissimus æqui
Semper amor; facilem fecit ad astra viam;
Accipite hanc animam: non est ea conscia culpæ,
Immatura ad vos venerit illa licet.
Accipite, in terris magnum regere illa Senatum
Debuit: in magno vos regat illa polo.

IN OBI-

IN OBITVM IANI Douſæ F.

Sol qui labentes in ſecula digeris annos?
Quis modus exequiis? quem fas cœleſtibus iris,
Aut conclamatis finem ſpectare ruinis?
Vix tua ſidereo relegis veſtigia paſſu,
Clarorum capitum ſemper noua funera cernis,
Et fine morte aliqua nunquam tua ſigna recenſes.
Nec tantum exoriens cœleſtia ſidera condis;
Deficiunt ipſas etiam ſua lumina terras,
Occidua quorum caligant ſecula luce.
Vt quum tu pallens, radios ſubeunte ſorore,
Rebus ademiſti ſubita ſub nocte colorem.
Ergo dum prærepta mihi tot pignora cara
Flentur, & exequias totus diſpenſor in omnes:
Perdiderat iã cura metum, quaſi nuſpiam haberet
In nobis noua plaga locum; ſecura gemebat
Anxietas, dum mens requiem ſibi credula fingit,
Solamenque mali, certos habuiſſe dolores,
Nec ſperare nouos; donec vis inuida fati
Curarum finem cura mihi fecit in una,
Quum lectum iuuenem, vix dum pubentibus annis
Mors rapuit, non illa decus lacrymabilis aui,
Nec culta ſtudiis ſpeciem miſerata iuuentæ.
O ſpes præcipites, o lubrica vota parentum,
Quos tyrocinii pro mille laboribus hauſtis,
O tot mille manent orborum præmia luctus,
Flos iuuenum, quæ ſors humanis rebus iniqua
Te nobis rapuit & tantum decus inuidet orbi?
Quem iam ſublimi Sapientum ſede locarat
Pregreſſum fines rerum, meuſque tenentem,

Quas pauci tenuere senes. qui limina victor
Ardua vix vlli votis adeunda priorum
Contigeras; inde incipiens, quo serior ætas
Desinit: inde vigil discendi exordia prima
Instituens, vbi finis erat. Verum ignea semper
Vis animi hospitium terreni corporis odit.
Angustusque moras virtus perfecta grauatur.
Quod summum est, in præcipiti est. nec tempore finem
Exspectat, primo quod iam maturuit æuo.
Vix tibi prima genas vmbrabat flore iuuenta,
Sextaque supremum claudebat Olympias annum,
Quum, velut ad primos exspirans herba calores,
Deficis, & cœlum præceptaque sidera mente
Festinus repetis. turbas assuetus ab alto
Despicere humanas, proles non vana parentis,
Douiadæ; qui si proprii splendoris egeret,
Splendorem potuit nati vi tute mereri.
Ac quamuis patriæ meritis generisque nitore
Clarus eras: tamen ingenium superemicat omne
Altricis terræ meritum, genus omne vetustum.
Nec patria stirpisve premi grauitate sinebas
Quas complexus eras præstanti corpore dotes.
Quod si quis laudare velit patriamve genusve,
Mouerit ambiguam dubio certamine palmam.
Nam qua diua tuas memorare, Batauia, laudes
Vis humana queat? primordia quærere voci
Conantem in varios sententia distrahet orsus:
Iustitiane prius referat, bellive labores,
Exsilii dulces portus, & mœnia mundi
Hospita, tuta bonis sub legibus omnia magna,
Omnia: sed maius censeri laude virorum,
Quos generas, hominum iustissima mater alumnos.

Inter

Inter quos clari fulgentia sidera lucent,
Dousiadæ, faculas velut inter Luna minores.
Nanque tuum decus omne tui; decus omne tuorum
Dousiadæ semel una alios natalis honorat
Nobilitas. his omniparens natura quotannis
Ingenii clara dat nobilitate renasci.
Hæc quoque venturis quiddam memorabile seclis
Omnibus a numeris & ab omni parte beatum
Parturient; Agedum felix, age nascere, dixit,
Nascere, care puer. Mars vindicat hactenus omnes
Auctores vestri generis. te docta Minerua
Excipiat cum patre sibi. iam perge, tuorum
Qua nullus presso vestigia tramite flexit:
Nec soli vestro descendant stemmate fortes.
Per doctos numerentur aui. non irrita fundo:
Magnus eris, si qua victricia rumpere Fati
Iura potes. te sæcla canent, te, viuida nutrix
Annorum, doctis instaurans tempora chartis,
Posteritas memorabit anus. te dicere nullus
Venturo poterit, nisi qui mirabitur auo.
Dixerat. excepit vocem crudele renidens
Atropos, increpuitque minacibus omina signis.
Ne propria hæc, dilecte puer, tibi dona manerent.
Ergo quod potuit, parco deducere vitam
Stamine præcipitare colus, hoc improba fecit,
Cetera non potuit. nam te circunstetit omnis
Nascentem Charitum plausu florente, chorea:
Et tua tractantes vitreæ cunabula Nymphæ,
Castalio puerum Permessidos imbre rigarunt
Confessæ dominum. Felix natalibus omen
Pierides cecinere tuis, florumque recenti
Et tripa viridis, & Rhenus risit odore.

Ipse fui sacri Genius visurus honores
Aufui, Assyrio destillans tempora nardo;
Festa coronanda testatus gaudia lucis.
Sutilibus sertis, & plena turis acerra.
Et, quem te memorem, dixit, puer, ignea signa
Et subar, & rutili clara argumenta nitoris
Agnosco: sed pone nigra nox obstrepit vmbra.
O si vividior iustos tibi suppetat annos
Spiritus, & quantum satis est mortalibus aui.
Non tibi certabunt Itala telluris ocelli.
Non Gallia non quos aluit Germania vates:
Nec se vllo tantum iactabit Belgica tellus
Ingenio, nec tot miracula cernet in vno.
Ah tibi ne cœptum præcidat Parca tenorem.
Ah tibi ne aduertat sæuos Rhamnusia vultus.
Verum o! sed rigida Fati stant omnia lege.
Hæc vix trunca Deus; singultus cetera præsit.
Plus potuit, quam vota Dei, lacrymabile Fatum:
Nec minus interea sertis halantibus Hora
Infantis cunas cumulant, & pollice presso
Expediunt plexis vaccinia nigra quasillis:
Ne tua mortalis suctus infantia lactis
Duceret, ipsa tibi puerilia labra rigauit
Ambrosia succis redolentibus Attica Pitho.
Quod si vexaret vigiles insomnia curas
Interpestiuis soluens vagitibus ora;
Non te somnifero nutricis nania cantu,
Nec delunifico sopiuit murmure lallus:
Sed de trina Charis, te sedula turba Camœne.
Certantes simul officiis, Sirenque Latina,
Flexanimæ blando Suadæ mulsere susurro,
Carmine placantes pueri quod duceret aures,

Et pue-

Et puerum somnos placide suaderet inire:
Carmine, quod sancto Sapientia protulit ore.
Omnia Socraticæ retegens arcana senectæ,
Imbiberet teneris quod mustea sensibus ætas,
Atque impressa sibi rerum simulacra teneret
Insinuans, vdæque docens inolescere menti,
Seruat ab imposito formas vt cera sigillo.
Inde puer Sophiæ quas nox sopita figuras
Intulerat, vigilans agitabat mente diurna:
Et quod vix senibus duri tribuere labores,
Infanti fuit hoc puerilis ducere lusus.
Vix dum firmabas stabili vestigia gressu;
Ludicra nulla tibi, non vana crepundia cordi,
Non ignaua quies, non desidis otia ludi:
Sed Musæ tenues. Pelignæ gentis alumnæ;
Sed teretes Calabro modulati pectine cantus,
Atque Maroneo gaudentes rure Camœnæ.
Inde vbi succedens annis labentibus ætas
Crescenti geminum properauit claudere lustrum.
Non tibi cessatas traduxit inertia luces.
Sed quæ trina tuas motauit Gratia cunas,
Et tibi culturæ primos afflauit odores,
Hæc te informandum studiis curauit, & ipsa
Tradente, excipiunt insignes arte magistri.
Quos tua mens docilis, ceraque sequacior omni
Præuertens, annos longe post terga reliquit:
Qualis naturaque soli, cœlique fauore,
Enitens alte ramis se subiicit arbos:
Talis adulta tibi maior surgebat in horas
Vis animi, crescens occultis auctibus æui.
Nec mora, fœcundas depromis pectore dotes,
Exactum tenui deducens punice carmen,

Quod non solicito cruciabat lima labore,
Sed quod sponte sua proprios veniebat ad artus.
Forte epos, & molles Elegos, numerosque Catulli,
Et Parios natum sermoni carmen Iambos,
Et momenta lyræ fidibus commissa canoris:
Denique quot rerum diuina Poetica flores
Complexa est, vno pueri se pectore condunt:
Omnia quæ tentata tibi felicibus artis
Mentis inexhaustæ primi lusere calores.
Mox vbi trina tibi quinquennia condidit ætas,
Te maiora vocant; rerum disquirere causas
Fert animus, docti recludere sacra Lycæi,
Et veteris totos Academi pandere census.
Nec vero interdum cœli momenta volantis
Intentata tibi, nec quas Nilotica Memphis
Solis in exacto signauit puluere metas.
Vt per prona ruit niuibus de monte solutis;
Nec iam finit aquas riparum margine torrens:
Per scripti omne genus latis discursibus erras
Ingenii, cui nulla fuit mensura ruenti.
Cuius ad excelsas dum se celer impetus artes
Expedit, & toto Sophiæ se proluit amne;
Extenuant iuuenem vigiliæ, ex ordine noctes;
Tabet ab exhausto corpus miserabile succo.
Nec mora, nec requies studiorum dulcibus amens
Immoritur curis, & vescos carpitur artus,
Abdicet vt vitam vitæ immortalis amore.
Iam collecta cutim macies adducit, hebescunt
Collapsæ vires: de tanto denique Dousa
Nil præter linguam superest. ea sola parentem
Alloquitur, vacuique omnes effundit in illum
Reliquias animi: Non te, dulcissime rerum,

Lucli-

Luctibus obsessum longo sermone morabor.
Non ex præcipiti vitæ mihi tollitur vsus.
Iampridem morbi lenta obsidione peressus
Disco mori per ego teristam, quam desero, lucem,
Quamque tibi acceptam refero, ne confice curis,
Quem patriæ debes animum, desiste dolere,
Quod ferar ante diem, quod funere tollor acerbo.
Vita suas metas actu, non tempore finit
Sat vixit, qui sat patriæ sat profuit orbi.
Non bene de vita queritur brevitate caduca,
Qui bene confecit, patriæ quos debuit annos.
Nos meritum, non ordo, vocat. Iustissima mortis
Caussa est efferri fama rumore secundo.
Viximus, & nostro surgit de funere nomen.
Tu quoq; cara Parens, tumidis iam parce querelis.
Debemus morbo, quod cæca incommoda vitæ,
Quod dubios casus fugimus, quod lubrica rerum.
Nec nunc primum a me nomen tibi contigit orbæ:
Quot grauibus curis dedimus, studiisq; Minerua
Tot tibi deperiere dies, dum viximus, orba
Mater eras. nec nunc rapimur, sed poscimur, olim
Idem me reposcit, qui me tibi trâdidit ante.
Viue, vale: æternus signat mihi lumina somnus.
Talia dum perstat memorans, & vtrique parenti
Morigeri alternum nati partitur amorem.
Plura locuturo tenebris velantur obortis
Hærentes oculi: vox imperfecta reliquit
Affectus dulces, & verba vocantia matrem.
Qua fuit illius funesta noctis imago,
Qua Sol Belgarum pallentibus occidit vmbris,
Exciuit lacrymas permiscuit omnia luctu?
Vnica nec tantum vultum domus induit vnum,

Induit & totus lugubria squalidus orbis.
Et quia non incisa potest adamante severo
Ferrea lanificum peruertere iura Sororum:
Edens indomiti signa haud obscura doloris,
Testatusque tuam, iuuenum doctissime, mortem,
Explicuit claros elementa per omnia questus.
Te Rheni patula viridanti margine ripa;
Te Belgæ fleuere lacus te dulce Lyceum
Lugduni viridi studiorum stemmate comtum.
Omnia luctifici dant argumenta doloris
Coniurata tuis iunctas conferre querelas
Exequiis, iunctisque lacessere planctibus auras.
Inuida mors, rapti probrumque ac crimen ephebi:
Quantum erat, vt nascēs fineres hoc crescere germē?
Quid niuei mores annosque modestia præcox
Anteuolans, quid seria etas maturior æuo,
Aut quid virginei dotes meruere pudoris?
Omnia sunt ingrata, nec vllum gratia morum
Excipit, aut pietas, præceps mexit omnia Fatum.
At te felicem, quod casus fugeris omnes,
Quod non inuidiæ contagia senseris vlla.
Quod cum Fortuna minimum contraxeris; & te
Immunem fati malefidis rebus ademtum
Conditio melior cœlestibus intulit astris.
Sis felix, cœlique micans spectabile sidus.
Scaligeri memor esto tui senioris amici,
Dimidia quem parte sui nunc viuere cogis.

EPICEDIVM IANI Douſæ Patris.

Douſiades Musæ (quid enim niſi flebile reſtat?)
Lætitiæ veſtris demite ſigna comis.

Fron-

Frondentes hederas triſti mutate cupreſſu;
Tundite funeſta pectora nuda manu.
Omnis, quæ Douſæ naſcenti plauſerat olim,
Exſequias Douſæ turba frequenter eat.
Lugduni ſedes, & culti ſacra Lyæi,
Et varia inſignes vrbis ab arte viri,
Adſpirate meis accentibus: omnis acerbi
Vulneris indignas præferat ore notas.
Publicus inceſſat dolor omnibus: occidit ille
Veſter amor, veſtri ſummus honoris apex.
Quæque dies Douſam, mundo quoq; lumen ademit,
Noctibus innumeris nigrius auſa nefas.
Dira dies, non te nitido produxit Olympo
Vecta pruinoſo Memnonis axe parens;
Sed tibi triſte iubar pallentibus extulit vmbris
Tartareo peplo Nox adoperta caput.
Ne foret vlla dies non cui dedit Allia nomen,
Quam deteſtentur publica vota magis.
Quippe quid inter tot ſignantes tempora luces,
Quam dira titulum noctis habere potes?
Quid tibi cum claro radiis Hyperione cincto?
Redde orbi Douſam, Sol erat ille tuus.
Sed quid vana queror, dum mens euicta dolore
Verba iacit ſurdis diripienda Notis?
Quod fleo, non lacrymis, non eſt reuocabile queſtu:
Facturo tantæ non capit ira modum.
Flos hominum quæ te noſtri feralibus auſi
Inſenſum vitiis ocyor aura rapit?
Nec tibi conceſſi, modico quos limite fines
Temporis humani iuſta ſenecta petit.
Sed medius moriens inter iuuenemque ſenemque,
Nec iuueni propior, poſteriorve ſene.

Non exspectata hyemis statione recedis,
Autumno vitæ prætereunte tuæ.
Ah cur non annos totidem tibi sistere possum.
Quot morum merito vivere dignus eras?
Ut saltem humanis non tam cito rebus ademtus
Hospes in Elysiis vallibus umbra fores?
Sed quasi lanificum rigidis verat ordo sororum
Legibus, & duro stant adamante fera.
Quod possum, facio; singultibus aera nudum
Atque interruptis sidera pulso sonis:
Vt si non aliud, verso queratur ordine rerum,
Ante diem vitæ pensa resecta tuæ.
Atq; annos, quoscunq; tibi post terga relinquit,
Non exspectato fine peracta dies.
Adloquor & Superos. tepida sua verba sequuntur
Inque suis lacrymæ quæstibus ora rigant.
Nec flemus surdis: respondent flentibus amnes,
Quos non exiguos terra Batava bibit.
Rhenus, & in Rheni moriturus Mosa lacunis;
Et magni Rheni portio magna Vahal.
Ipse etiam lacrymis nunc auxiliaribus auctus,
Infrenes nullo margine finit aquas.
Priscorumque Larum funus gentile professus,
Insolito ripas Dousius amne premit:
Dousius accepit gens a quo Dousia nomen,
Et gens, & veteris gentis aulta domus.
Cuncta fauent lacrymis socioq; in tristia nostra
Contribuunt fletus fœmina virque suos:
Et quibus exstiteras vultu, vel nomine notus,
Omnibus indignus contrahit ora rigor;
Ille refert multo largas in pectore dotes;
Hunc tangit probitas & sine labe fides.

Exactos

Exactos alius generoso pumice versus;
Alter connectus dulcia verba tui.
Quotque tui meriti partes in mente reuolvit,
Tot iusti causas ille doloris habet.
Ast ego, conuertor facies diuersus in omnes,
Vnde mei dubius carminis orsa petam:
Dum quæ virtutum fuerit tibi copia, promo,
Quot fuerint, in te quæ coiere bona.
Hinc me nobilitas, hinc me tua, summe virorum,
Virtus, & probitas, & pia vita rapit.
Nam tibi quæ sublime genus natura creato,
Hæc eadem mores ingeniumque dedit.
Ast quacumque domus fuerit lux magna beata,
Ingenii dociles non tamen æquat opes.
Est aliquid, fateor, clare quaginitis ab ortu
Missa per innumeros gloria fulget auos,
Et nitidi generis seriem deducere longam
A magnis orta nobilitate viris.
Sed maior laus est, titulis a mente petitis,
Non sinere ingenium stirpis honore premi.
Tu quoque cum posses censeri laude tuorum,
Auctores generis quos tuus ortus habet,
Ne tua per segnem marcerent tempora vitam,
Sacrasti Aoniis otia tuta choris.
Tunc Cyrrhæa suo patuerunt orgia vati,
Et tibi de viridi lecta corona iugo est.
Prima tibi facili ludens Elegia iuuenta
Dictat in alternos verba coacta pedes:
Et tibi subiiciens blandis incendia flammis,
Sæpe Cupidineo ventilat igne faces:
Et quod ames semper, semper quod scribere possis,
Materiam teneri iussor Amoris habes.

Nec tamen exili carmen deducere fila
Est satis, & senis iungere quinque pedes.
Ne regnum Veneris, puerique Cupidinis arcus
Carmen iners Elegis cauſſaque vana foret,
Hiſtoria patriæ monimentis erua priſcis
Clarorum reuocas fortia facta Ducum.
Idque tibi debet, patriæ quod geſta Batauus
Nunc tenet, in patria qui prius hoſpes erat.
Quid referam lyrico modulata poemata plectro,
Nec male tentatum nobile carmen epos?
Nil tibi felicis genii natura negauit,
Vtilis ad nitidi carminis omne genus.
His tibi tranſmiſſa eſt aui pars prima quietis
Paſſibus, & ſtrepitum non faciente gradu.
Et licet ingenui ſeceſſus otia quærens,
Ventoſæ fugitans ambitionis iras;
Te tamen accitum ſanctæ in collegia patrum
Quinque bis annumerat Curia ſumma viris.
Nec minus erronem ciuilia caſtra ſequentem
Aoniæ reuocant ad ſua ſigna Deæ:
Et cum prolatis redeunt diludia rebus,
Quicquid ab innumera lite vacare datur,
Ad Phœbi ſecreta, tui non transfuga morti,
Et veteres cultus, & tua ſacra redis;
Et licet officium rigidos abducit in actus,
Te tamen in medio mens Helicone locat.
Nec piget arguti Epigrammata ludere nugis,
Inter clamoſi prælia dura fori.
Denique cum magnum viuus ſit nomen adeptus,
Maius ab exequiis quale nec vllus habet;
Ac te grandis honos volucri ſuper æthera fama,
Et penna fatum non metuente vehat:

Non

Non minor innocui vitio maculaque carentis,
Quam consummati laus tibi vatis adest.
Adde quod ingenua mentis non vltima mores
Inter syncerospræmia candor habet.
Contra, mordaci quemquam distringere lingua
Est animi nigro felle madentis opus.
Nulla venenatis sælibus tibi pagina tincta est,
Nec dedit infames lingua proterua iocos.
Nec, quæres quo non est incognita nostro,
Strinxisti in celebres impia verba viros.
Iure igitur querimur, te iure dolemus ademtum.
Omnis & in partem turba doloris adest,
Et miscet gemitus, & verba querentia fundit,
Pro tamen erepto non valitura viro.
Hei mihi, quam celeri versat Fors omnia lapsu!
Quam rapido subitas alterat orbe vices!
Nam modo quem validum facies vidistis, amici,
Et cui nec dubius tinxerat ora calor;
Hunc inopina breuis rapit inclementia morbi,
Atque est, quod feretro triste leuatur onus.
O festinatos! o rerum lubricus ordo!
O nimium propero mors celebrata gradu!
Me miserum, quo nos vnquam redituræ relinquis,
Non voto, humana non reuocande prece?
Te retinent ciuem cognoti sidera cœli,
Et non turbandæ pacis amica quies,
Nos habet, in varios rerum districta tumultus,
Inque catenatis vita trahenda malis;
Hæc vbi nec requies, nec quæ sibi quisque precatur,
Sollicitæque leuant otia mentis onus,
Otia Pieridum sacris secessibus apta,
Otia numinibus semper amata tuis.

Pro quibus insano reboant molimine lites,
Et clamor streperi natus ad arma fori;
Qui procul Aonidas hominum de mente fugauit,
Instillans lucri blanda venena sui;
Ingenuisque animis ignauas obiecit artes,
Segne vocans humilis carmina mentis opus.
Hinc spretas suis armata Sophistica nugis,
Incedens longo syrmate verrit humum.
Omnibus hæc studiis, & qui fecere beatos,
Cultibus exclusis, obtinet vna locum.
Ipsæ Pierides turpi suffusa pudore
Pallidulæ salsis imbribus ora lauant.
Ac patrocinio defectæ, nulla queruntur
Pro deploratis artibus arma capi:
Sed stultos homines verborum nectere casses,
Aut dulci linguas prostituisse lucro;
Heroasque sacros, quos Iupiter æquus amauit
Cum studiis propera morte perire suis.
Te quoque barbaries nostri ne stringeret ævi,
Credibile est ipsos consuluisse Deos.
Vtique Astræa omni terris pietate fugata
Vltima de Superum gente reliquit humum:
Sic tibi non vita hæc, non tellus ante relicta est,
Iusta relinquendi quam tibi causa fuit.
Tempestiuus abis, cum nil, quod rebus in istis
Laudares, nil non, quod quereremis, erat.
Ergo neglectæ linquens contagia terræ,
Inter sidereos stella recepta sinus,
Omnia, Lunarem late subiecta sub axem,
Dispectas oculis inferiora tuis,
Non est mortalis (gemitus absistite) Douſa:
Non est mortalis Douſa, facesse dolor.

Ove

O vos qui viuum Dousam fouistis amici:
O vos Dousiaci dulcia membra chori;
Exuite atratos gestamina tristia cultus.
Ista minus misero digna colore domus.
Cum Dousa æterna mutarit funera vita,
Funestam Dousæ non decet esse domum.

EPICEDION IN OBITVM V. C. IVSTI LIPSII.

Quisquis fœcundo studiorum nobile cultu
Louanium, celebres Belgii florentis Athenas,
Ire paras, Lipsii doctos hausture liquores,
Siste gradum, si forte tuas non impulit aures
Rumor ab occasu cœli delatus ad ortum;
Te nescire vetans, claro quod Belgia planctu
Nescire prohibet, nec mox Europa silebit.
Nam veluti magni Titan fax publica mundi
Non se celari patitur, visuque notari
Se docet, infernis vel cum sua lumina terris
Explicat, oppositæ vel cum negat illa sorore:
Sic, qui luce sua magnum complexus Olympum,
In se mirantis visus aduerterat orbis,
Lipsiaden tanto defectæ sole requirunt,
Quas viuus nitido perfudit lumine gentes,
Postquam tale iubar flammis insigne coruscis
Irradians nostrum scriptis illustribus æuum
Mœrenti mundo nox intercepit oborta.
Non sic obscuro confundit lumine vulgus
Incumbens tenebris excluso Delia fratre,
Vt nunc sopitas decorum studiosa iuuentus,
Et velut elatas in Lipsii funere luget

Ingenii veras magnis cum dotibus artes.
Sed sua Sol reparat, reparat dispendia Phœbe,
Illum tuta quies reducem non adsereret orbi.
Sola viri tantum non vna parte superstes
Viuit, & in scriptis absentis spirat imago
Expressam referens speciem, vultique colorem.
Vique patrum similes vultus in prole relucent;
Sic animi nitidos effinxit pagina mores.
Namque torpus inersbustis feralibus infert,
Terrenos oculis tantum mors inuidet artus.
At pars nobilior natis in secula mille
Adseritur libris paruaque in imagine viuit.
Quo magis o Lapsi sibi te non credet ademtum
Posteritas, cum te per tot monimenta virgilem,
Perque tot eloquii fœtus sparsare videbit.
Qui quoniam multos, quos immoderatus adegit
Scribendi feruor, laudisque effusa cupido,
Viribus ingenii superas regnoque loquendi,
Idcirco quadam cœlestis pignora mentis
Nascenti tibi contigerunt vt cessus in arce
Eloquii linguæ proceres fandique peritos
Infra se positos premeres, trans ardua vectum
Te sublime caput vulgi super ora ferentem
A vulgi capitum melior natura redemit.
Flumina tu poteras veterum facunda virorum
Reddere, sermonis genios conuersus in omnes.
Te conante oris dites effundere census
Vis tua Sisyphiden, breuitas superasset Atriden,
Mellitus Pylium vocasset Nestora sermo.
Sed te natura obbentem maxima dona,
Venantemque citos intra tua limina curius,
Regula summouit linguæ de pluribus vnum

Inge-

Ingenus, optandum multis, imitabile nulli:
Quo tibi non alii, deberes orsa loquendi,
In quo Nelides Laerti idesque recessu
Se victos longo, victum se sciret Atrides.
Ore tuo loqueris; nulli sulcata priorum
Æquora peruolitans priua rate carbasa tendis.
Nec tua tot raras habitantis pectora dotes
Vllius virtus effinxerit ignea mentis,
Nec summum eloquii simulatrix lingua colorem,
Non calami mores expresserit æmula dextra.
Sed quicunque volunt illo decurrere campo.
Per quem victrices flexisti solus habenas,
Verberibus surdis seruum pecus, aera cædunt,
Et vanis implent Danaeia dolia lymphis;
Immeritas soliti nugis disperdere chartas:
Ignari quædam, quæ dat natura creatrix,
Admiranda viris sed non imitanda relinqui.
Hactenus has poteras contentus viuere laude:
Non tamen ingenium felix hoc fine quieuit:
Nec prius imponis studiis metamque modumque
Quam mentis vigiles Latiæ per operta senectæ
Immittas oculos, & scrinia præpetis æui
Recludens, Romæ quas nox premit alta ruinas,
In solem exponas & amanti seria rerum
Sancta vetustatis populo miracula pandas,
Quæ nondum præsens in apertum protulit ætas.
Non te præterit quæ munia consulis essent,
Non cum Tarpeii deductus ad edita montis
Limina bis senis aperiret fascibus annum,
Candida delibans conceptis omina votis.
Nec cum signa premens choris, cœlata curulis
Sedatos regeret ponendo lura Quirites.

Non ignato tibi dubii suffragia campi,
Non ciſta, non ſors incerta volubilis vrnæ:
Non inciſa ſuis legum tabularia ſaxis.
Dædala facundo florens tibi pagina textu,
Horrida ſanguineæ diſcrimina pingit arenæ.
Non abſunt illic, agili quos colloce haſta
Venator, Libyci fulua ceruice Leones.
Non quorum gladium confector in ilia condat
Comminus, exſertis metuendi dentibus apri:
Aut matutina, non vltima munera pugnæ,
Hiſpida Ripheus gelida portenta ſub Arcto,
Quæ generat ſaltus, ſpatioſis molibus vrſi.
In quorum mortes veniunt & funus arenæ,
Vel qui compoſito greſſu robuſta tenentes
Intratura feras validò venabula niſu.
Subſiſtunt ipſis, vel qui liberata lacertis
Miſſilia expediunt, tepidum potura cruorem.
Denique non illic, populi quæ gaudia paſcant,
Luxuriaque parent ludum ſpectacula deſunt.
Non quos præpinguis diſtentos mole ſagina
In ſuccum implenit membris aruina toroſis,
Qui caput in cædes & mutua funera vendunt.
Hæc & Mirmillo nixus ſubſidit in armis,
Pendula declinans vibrata retia dextra,
Verberaque a moto timet intentata tridente,
Sollicitis oculis tunicato tutus ab hoſte.
Aut par æquimano pugnans cum Threce ſecutor
Improſpecta cauet falcata vulnera ſica.
Omnia quæ tenebris erepta, ſilentibus Orci,
Miratur veri ſtupefactus imagine lector:
Non tam, quod quædam eſt priſcis ſua gratia rebus,
Quam quod flore tui vernant animata leporis,

Lumi-

Lumine purpureo Tyrias imitantia luces.
Annorum seclique parens longæua vetustas,
Cui Cœli seruit series, cui tempora vasto
Suppeditat natura sinu; quæ sæpe renascens
In tua te reuocas vestigia, teque tibi ipsi
Restituis, volucri relegens exordia cursu;
Omnia veridicæ dictant tibi facta Sorores.
Omne genus rerum tibi scribitur, omne laborum;
Virtutes hominum vitiisque hærentia gesta,
Et res humanas incisas ære perenni
In tua congestis opibus sacraria condis:
Quæ partim æternis signarunt indita fastis,
Singula per varios complexi secula casus,
Diuinis homines accensi pectora curis:
Partim mersa nigris oblimo condidit vmbris.
Et nunc cuncta tuis adytis abstrusa laterent
Irato cœlo, ni vis humana subinde
Eruta de latebris cœli proferret in oras,
Quæ doctis veterum chartis industria solers
Exposuit nondum proprios patefacta per vsus,
Arcanis acuens mortalia pectora curis:
Herbarum vires tacitas, artesque medendi,
Naturæ partus varios, hominumque ministras
Quadrupedes, & tecta suis animalia lustris,
Pennigeras volucres, examina muta natantum,
Membra colubrorum cæcis habitata venenis.
Adde his stelliferi motum comitantia mundi,
Et mundo aduersò nitentia sidera: fratrem
Fulgentem propria, fraterna luce Sororem,
Nimborum casus, elisaque lumina fissis
Nubibus, & trepidas terrentia fulmina mentes.

Quæquis non omni rimatur tempore horas?
Nec iam confertum nascentibus undique libris
Scriptorum turbam grassantum limite trito
Semita pressa capit, populumque in nota ruentem
Ambitio fecit, vel opum vitiosa cupido,
Ne possint vllæ sine bello viuere gentes,
Nec sine militia quæ belli præcipit vsum.
Illa salutarem mortalibus extulit artem,
Quæ docet, indicto vt per fas & iura duello
Res populi repetant, atque armis arma repellant.
Cuius & in paucis nō mentibus illa lateret,
In commune bonum multi præcepta dedere.
Lipsius ante omnes: memori quæ pectore seruet,
Quando viam capit Romanus in agmine miles,
Armorum & rigidi sub iniquo pondere valli.
Aut, ne pigra suis sub pellibus otia ducat,
Quando ciet festis belli simulacra diebus:
Qua loca sit melius præducta claudere fossa,
Vt vallo facto dux aggere castra coronet,
Quæ quadris plateis, & secto calle viarum
Aduersas spectent directo limite portas:
Et responsuris inter se per loca certa
Excubiis peragat vigiles custodia noctes.
Quod si forte iuuat porrecta per æquora campi
Explicuisse acies, hostemque lacessere pugna,
Prorebus seruare modum: quo tendere tractu
Cornua, quo deceat cuneos constringere gyro.
Sin audax vidit robustis mœnibus hostis,
Tormentum murale graues ballista molares
Fulminis in morem contento turbine mittat:
Aut concussa suo labefactet mœnia pulsu
Quod Pœnus Cæsas Byrsæ bellacis alumnus

Libran-

Librandum oscillum malo suspendit ab alto.
Ictibus vt crebris muri compage soluta
Pronam saxa trahant sensim subducta ruinam.
Aut cœcis scrobibus molitus mœnia miles
Vinea quem pluteis, & tecta fronte tuetur,
Effossa postquam lento molimine turrim
Admouet obsessor: venturam desuper vrbi
Vrit defensor saturatis sulfure viuo
Malleolis, piceoque instructis igne manipl'is.
Aut subito emergens portis obsessa iuuentus
Flammiferis facibus dextras armata nocentes,
Per peritura vagam spargit munimina pestem,
In sua frustratos hostes tentoria cogens:
Cetera quid referam, quæ Phœbi numine plenis
Exsequitur velis, quæ manu sura per orbes
Lipsius innumeros, chartisque æterna sacrauit,
Prisca per adsiduos complexus facta labores?
Qui quamquam hoc tanto deuinxit pignore gentes,
Natura tamen adsummos reuocante paratus,
Inseruit cœlo vigilacis lumina mentis,
Scita instaurando neglecta prioribus annis.
Porticus Adæa quondam quæ sanxit in vrbe:
Et veteres Senecæ recolens præcinctis hortos
Excerpsit florum digestos mille colores.
Quo te præteream, Cornelii magne piacli,
Tempora quem nunquã Tacitum vẽtura tacebũt?
Qui modo purpureæ reuocatus membra iuuentæ,
Vt quem cinnameis reparant incendia nido,
Secla decem quoties vixit Phœbeius oscen;
Quidquid es, huic totum debes, cui plurima debet
Mundus, & antiquæ gaudent quo vindice chartæ,
Cura quibus Lipsi fugientes reddidit annos.

Singula sed laxis circumuectatus habenis
Exspatior, celeri raptante per aera curru,
Dum me præcipitem, Lipsi, tua maxima virtus
Ignota regione rapit, neque suppetit ardor
Conanti spatium vasti transmittere campi,
Cui vix emenso de limine carceris, ante
Quam tetigi metas, æger trahit ilia pulsus.
Quod damus, officium satis est, non carmen, amico
Impendi; ne nos succo lolliginis atræ
Suffusos, aut inuidiæ maduisse veneno
Postera vel credat, vel præsens arguat ætas.
Dii prohibete nefas habeant, quos tempore nullo
Laus aliena sinit securos carpere somnos.
Inque aliis odere, sibi quod abesse queruntur;
Non quos ingenuis decorant natalibus artus,
Et quibus incaluit generoso sanguine pectus.
Ventum est ad summum. nihil a liuoris iniqui
Dentibus intactum est scandit iam sidera pestis.
Quocirca mœstæ delectis vultibus Artes
Exsilio voluere nocentes vertere terras,
Exosæ nigros mores & crimina secli.
Iamq; in procinctu steterant, abitumq; parabant,
Cum tibi mors, Lipsi, fessos operiret ocellos.
Inuicta at pietas tantisper stare coegit,
Dum suprema suo soluissent iusta parenti.
Mox te illo, quo tu fugisti, calle sequentur.
Felix o nimium felix! viuentibus olim
Vixisti studiis; moreris, morientibus iisdem.

IN BONEFONII POEMATA.

Prodite aurea scripta Bonnefoni,
Prodi candida Musa Bonnefoni,

Vt do-

Vt doctis etiam Italis pudorem
Imponat, quibus in poetica assis,
Non est Gallia terra: Namque solis
Romuli populare labi Remique
Musarum attribuunt salem atque gustum,
Vel quorum patrios utrinque fines,
Infernas mare cingit aut superras:
Nos vappa sumus, atque Apollinares
Lixæ Musica castra peruagantes,
Quos nec Italis aura vagientes,
Primum adflauerit, aut latina mamma
Lac immulserit humidis labellis.
Tu contra Ausonios pereleganti
Doctos carmine prouocas poetas,
Sic est materies boni poetæ,
Merx est publica quam Dii benigni
Vendunt omnibus improbo labore,
Hanc cui non libet esse negligenti,
Docta Musica in artis officina
Sub incude laboris vsque tundens
Sese fabricat & sui artifex fit:
Nec Romæ satis est fuisse natum.
Nam fit, non modo nascitur Poeta.

PVLEX CATHARINÆ DES ROCHES.

Pulicelle niger, nigelle pulex,
Incitatior hœdulis petulcis,
Delicatior hinnulis tenellis,
Docta passere nequior Catulli,
Stellæ blandior albula columbæ:

Quate prosequar aurea Camœna?
Quote nomine prædicem o beate
Pulex pumile, pumilille Pulex?
An quod cum libet os meæ puellæ
Tuo perpetuo ore suauiaris:
Mihi, cum libet os meæ puellæ
Mio non licet ore suauiari?
An quod cum subiit cibi voluptas,
Non in quadriuiis, neque angiportis
Plebeos auidus cibos liguris,
Sed in lacteolis latens papillis,
Tingens virgineo cruore rostrum,
Plenus nectaris & satur recedis:
Mox circumsiliens modo huc modo illuc,
Meras delicias, meros amores
Ludis ebrius in sinu puellæ?
An me quod veneris satelles audis,
Vindex fa sidica malæque linguæ,
Cum periura Deos puella læsit,
Atque vlciscere saucios amores,
Foris morsibus appetens lacertos?
Illa in insidiis morata, soli
Vindictæ imminet, ac fauens doleri,
Suspensa meditatur vngue mortem,
Tu cessim fugis & fugis recessim,
An subsultibus hinc & hinc citatis
Vibras cruscula, & improbæ puellæ
Eludis digiti impetentis ictum:
Vt campis æqua trima ludit olim
Motis aera calcibus lacessens.
An quod legibus omnibus solutus,
Puellaria membra peruagaris,

Vsque

Vsque Cypridis ad beata regna,
Impune insinuam amoris almi
Secretis adytis, sacrumque lumen
Insistens, quod ab omnibus profanis
Et tangi scelus, & nefas videri?
Heic tu ianitor excubas, & ipsam
Aureæ Veneris tueris aram,
Quam sancte tibi tradidit tuendam
Et ridens Venus, & puer Cupido.
Tene propterea, o venuste Pulex,
Tene prosequar aurea Camœna?
Tene hoc nomine prædicem beatum,
Pulicelle niger, nigelle Pulex?
Non: sed quod nimio tuo lepore
Tot solus facis & paris Poetas
Quorum cantibus, aureæque lingua
Vena diuite, versibus canoris
Immortalis eris diuque viues.
Nam dum pumile, pumilille Pulex,
Hæres pendulus in sinu puellæ
Nouus Pegasus in noua hippocrene,
E morsu tuo, O vngula ex equina,
Fluxerunt latices Poetici dein
Tot sunt carmina nata tot Poetæ.

PAVLO MELISSO.

Paulle, poetarum cui doctis frondibus hærens
Cinxit honoratum, laurea serta caput:
Quid facis, o vates? quibus exigis otia Musis?
Aut quibus in studiis fallitur hora tibi?
Ac, teneras mulcent liquidis accentibus aures,
Musica non vno diuidis o sa tono;

Vt te miretur modulantem lympha Deorum
Rhenus, & exsultans altera nympha Nicer:
Anne Palæstinas numeroso carmine Musas
Soluere Teutonicis ora diserta modis
Instituis! Felix animi, vitæque beatæ,
Si mentem capiunt illa vel illa tuam.
Felix, qui faciles traducis pectore curas;
Otiaque in tenera sancta quiete colis.
Viuacis cui dona indelibata senectæ
Spondet inoffenso tracta tenore salus.
Quem non vlla malo labes tentauit acuto,
Non vlla adflauit vis inimica mali.
At mihi perpetuum mordacibus anxia curis
Nec sine sollicito ducitur hora metu:
Quem monstro prognata lues, quæ limite certo
Quatuor alternos itque reditque dies,
Obsidet, & tacita populatur peste medullas.
Hei mihi, quod loquimur verba minora malo!
Nec possunt: legi viuis proponere pestem
Sensibus altiloquæ res erat ista lyræ.
Sic me iniit victrix; sic me spoliauit inermem:
Sic de me celsis alta triumphat equis.
Nec mihi sufficiunt veteres in corpore vires;
Nec pes munus obit, nec manus vlla suum.
Sed sum, quod ventis debet ludibria, pondus;
Et quod onus primis flatibus aura leuat.
Me non vlla iuuat Cerealis gratia fœtus;
Gnossia nec veteris grata saliua meri.
Omnia Cerbereum spirant mihi noxia virus:
Omnia sunt ori trita venena meo.
Quid ieiuna loquar diluti tædia gustus?
Oraque non vnquam sicca liquore suo?

Quid

Quid matutina fastidia lenta saliua?
Hostibus eueniat ah sapor ille meis! (mur?
Quid stomachũ exesum, stomachq; inamabile mur
Et nunquam adgemitus pectora muta suos?
Cum grauior fundo veniens exæstuat imo
Spiritus; & fauces tussis anhela quatit.
Quid nocturna modis insomnia turbida miris?
Quisq; mihi intentat mortis imago minas?
I nunc, meque iube Musarum expromere fœtus;
Et vacua a nobis exige mentis opus.
Me iuuat exorare malum hoc: quibus illa pianda
Auxiliis: quo fit thure litanda mihi:
Formidandum agris atque implacabile numen;
Una tribus Furiis addita quarta soror.
Post subducta polo cœlestia semina flammæ,
Atque Promithea conscia furta manus,
Prima peregrinis Erebi caput extulit oris,
Insueta & vultu terruit astra suo.
Morborum & traxit ferales prima cohortes;
Seque ducem tussit & sua signa sequi
Inde hominum miseris ceruicibus immineat hostis
Calcat: & imposito subdita colla pede.
O dulces animæ, si quis superestis amici,
Iure sodalitii pectora iuncta mihi:
Accipite has lacrymas, supremi pignora luctus:
Tristiaque atratis carmina picta notis.
Et tibi nec nostri sit funeris vltima cura,
Deuotum Musis, docte Melisse caput.
Sic tibi sint faciles Bœotica Numina Musæ,
Impediatque tuas laurus odora comas.
Atque olim, quandoque mei non inscia fati,
Vertet in auriculas nuncia fama tuas:

Omnibus indicas fac luctum, Paulle poetis:
Et nostri, dices, pars fuit iste chori.
Sic dices, tumulog, dabis tua carmina iunge nostra.
Carminibusque tuis carmina iunge mea:
Heic situs est, qui nec vixit, nec mortuus olim est.
Nam mors viua illi: mortua vita fuit.

IN OLOREM MELISSI.

Quisquis picta mei legis argumenta Melissi,
Ipsa suis etiam discere refferre notis.
Flexanimas voces signat, cantusque poetæ
Blandus Olor, dulci gutture carmen hians.
Item etiam niueis possis argenteus alis
Innocuos mores & sine labe, notat.
Vno argumento, pictura insignis in vna,
Cultura & morum signa, Melisse, geris.

IN EIVSDEM LILIA.

Lilia Francigenæ fuerant insignia gentis,
Cælica cui victus subdita colla dedit.
Nunc ea sed vixdum veteris cognominis hæres
Confusus Francis hibrida Gallus habet.
Et nullo gentis, nullo virtutis honore
Cognatis maculat stemmata prisca notis.
Ast tibi vel duplici sunt debita iure, Melisse.
Quod virtus, & gens illa dedere tibi.

IN IMAGINEM EIVS.

Cetera membra mei spirantiaque ora poetæ
Artificis potuit pingere docta manus.
Sed verum, & viuum vatem, totumque Melissum
Expressum, in nostro pectore sculpsit amor.

IN

IN AQVAS CALIDAS ad Pyrenæos.

Adspice quanta, quibus vitiis, quibus obsita morbis
Turba, diu lenta decolor ora lue,
Per rigidas cautes & inhospita tesqua Pyrenes,
Tesqua vel humano vix adeunda pede:
Paonii laticis vastis obsessa ruinis
Dona petit. tanti posse valere putat;
Ut pene ipsius vitæ discrimine vita,
Utque ipsa constet pene salute salus.
Ergo difficilem quæstum Natura salutis
Non sine difficili Parca labore dedit.
Illa salutiferum thesaurum hoc arcere sepsit,
Carius ut scires esse salute nihil.

EX GRÆCO ANTIPATRI.

Mercurius, pueri, minimo placabilis ille
Lacte, vel agresti melle litatus erit,
Non sic Atrides: aries aut agnus opimus
Poscitur, aut aliquo de grege lecta pecus.
Dicis: at ille lupos, arcet quasi referat, utrum
Custos, anne rapax perdat ovile lupus.

GEMINI IN STATVAM Salmonei.

Salmoneus ego sum, Polycletæ opus: ille ego magnus
Salmoneus, telis qui Jovis obstrepui.
Rursus apud manes vexor; mutamque perosus
Formam, fulmineo cœlitus igne petit.
Parce animis, fulmen preme Jupiter: en ego inane
Signum cum muto bella quid ære geris?

DEMOCRITI IN Venerem

Cum Venus æquor ei spumis salis vda capillos
Edita pu pureis nuda natat et aquis,
Vuidulos roseo crines collegit ab ore,
Et salsas guttas strinxit vtraque manu,
Hactenus exstando qua fas. Si talis in vnda
Visa fuit, Martis pectora turbet amor.

MELEAGRI.

Iam florent violæ, atque imbri narcissus amicus;
Quæque altis gaudent lilia cana iugis.
Et tempestiuis iam florum flosculus annis
Zenophile suadæ floret amœna rosa.
Præta quid o vano florum gaudetis honore?
Suauior est ipsis sancta puella rosis.

INCERTI.

Me niue, me flammis, me fulminis igne lacesse;
Per iuga, per freta me, si lubet, alta trahe,
Non vincar. nam qui rapido torretur amore,
Non queat, infesto cum tonat igne, peti.

PAVLI SILENTIARII.

Illa tui vultus quondam præsentis imago
Quam prius in nostro pectore sculpsit Amor,
Exspuitur tibi, me miseram! verum vna decoris
Corde meo species stat mihi scripta tui
Scilicet hanc Orco, hanc ostendam barbare Soli,
Criminis vt vindex cressa sit vrna tui.

AGA-

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Illa prius fastu turgens, iactare capillos
Sueta prius, pexis illa superba comis,
Sueta meis desiderijs illudere; formam
Perdidit: huic digitos ruga senilis arat.
Ubera subsidunt, cecidit frons, lumina marcent
Annoso titubant balba labella sono.
Canitiem vindex voco numen amoris: & aquum
Judicat; & tumidis strenua pœna venit.

EIVSDEM.

An desiderio mea tangeris ergo Philinna?
Langues exhaustis tabida Luminibus?
An placidos carpis somnos, & nullius amoris
Respectus? cura cura nec ulla mea est?
Exspectant te, sæva, vices: flentemque videbo,
Imbre perindignas usque cadente genas.
In multis Venus est varium & mutabile; solo hoc
Eximia: elatis semper iniqua fuit.

PHILODEMI.

Virginea nec pubis hiat dum flos tibi, nec dum
Autumni luuet primitus uua tui:
Cum tamen acer Amor aceit iam tote sagittas
Lysidice; & tacito ventilat igne faces.
Ah fugite, o miseri, dum non ferit arcus, amantes:
Quam magnos mox est flamma datura rogos.

ANTIPATRI SIDONII.

Longeua sunt busta Maronidis; inque sepulcra
E silice est fabre sculptus abarte calix.

Multibibax & multiloquax anus hæc, neq; nato,
Sed neque natorum paupere patre gemit.
Hoc vnum est quod flet vel basto condita; Baccho
Vas habile hoc, Bacchi quod sit inane, gemit.

DE MIRANDIS BATAVIÆ. ad Dousam.

Ignorata tuæ referam miracula terræ
Dousa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitiem hæc lassat textrina Mineruæ:
Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges.
Non capiunt operas fabriles oppida vestra:
Nulla fabris tamen hæc ligna ministrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt hæc frugis acerui:
Pascuus hic tamen est, non Cerealis ager.
Hæc numerosa meri stipantur dolia cellis:
Quæ vineta colat nulla putator habet.
Hæc nulla, aut certe seges est rarissima lini:
Linificii tamen est copia maior vbi?
Hæc medijs habitamus aquis. quis credere possit?
Et tamen hæc nulla, Dousa, bibuntur aquæ.

AD CHRYSÆVM. DE SCÆuola Sammarthano.

Scæuola si cultis mulcet tibi versibus aures,
Dum tua mens docti pendet ab ore viri.
Si lepidæ blandis inhiant tibi mille puellæ
Eloquijs, animo quæ sitiente bibis.
Cur felix mecum esse cupis, Chryse? quid vltra
Quo cœli tangas sidera summa petis?
Ille tenet cœlum, cui præstant mille puella
Mille Deas; vnus Scæuola mille Deos.

IN

IN POEMATA IAC. Cortinii Ciſſæi.

Iam ſibi decus arrogarat ingens
Tellus Itala literis & armis;
Cum tandem caput efferens tenebris
Illi præripuit decus duelli,
Solas Gallia literas reliquit.
Diu conſtitit hæc utrique palma,
Diu laude ſua, palæſtra,
Suo munere functus eſt uterque,
Gallus maximus hoc, Latinus illo.
Galle fortis eras, Latine doctus;
Galle miles eras, Latine vates:
Donec Gallia terra tempore uno
Plures edidit aureos alumnos,
Doctos Phœbicolas, bonos poetas,
Quam nec Itala ſeculis trecentis:
Et Ciſſæus in his locum tuetur,
Siren Gallica ſeculi eruditi:
Non ſolum patrias colens Camœnas,
Sed Phœbi celeber cliens Pelaſgi:
Et Muſis caput Italis amicum:
Per quem non modo Tibridi vetuſto
Clarum præripuit decus duelli:
Sed nec Gallia literas reliquit.
Salue, Gallia, clarior, Camœnis
Priſco Tibride, clarior duello:
Tanto Gallia clarior Camœnis,
Quanto clarior antea duello.

IN SVETONIVM IS. Casauboni.

Imperii procerum Tranquilli condita libris
Gesta, vetustatis obsoluere situ.
Cæsaribus patriam dederat, nomenque genusque
Tranquillus: Lucem reddidit Isacius.
Tradere res gestas, quo, non vltima laus est:
Cæsaribus lucem reddere, Cæsareum est.

IN AVRIACVM DANIELIS Heinsii.

Melpomene sacrum facit Heinsius, ore canoro,
Dum quatit Æschyleo pulpita picta pede.
Cede Sophoclæi carmen regale cothurni;
Cedite Cecropiis plausa theatra choris.
Principis ille vicem subita, strictumque dolose
Non exspectato fulmen ab hoste, canit;
Et fixum in patria, dum figitur in Duce vulnus.
Hanc tibi nulla dies tollet, Iubere notam.
Gradiloquisq; Heinsii numeris, quæ dedecus vna est
Mors tibi Nassouio. vita perennis erit.

IN INSCRIPTIONES antiquas Iani Gruteri.

Cadmeas iactet cur mendax Graecia turris,
Aut Amphionian saxa secuta lyram?
Aspice, quod surgens non parua mole theatrum
Gruteri struxit Dædala cura mei.
Vsque per errantes terrarum fine penitus,
Cernitur ex omni pluribus orbe lapis.

Ad mo-

Armorum hic titulus, ille est incisus honorum:
Consulis hic fulget laudibus ille Ducis.
Nobilium decorum custos, Grutere, Vetustas
Explicuit census in tua vota suos.
Scripta tot elogiis, tot diffita sedibus olim;
In tutulos laudis nunc coiere tuæ.

IN RELIQVIAS LVCILLII, A FR. DOVSA collectas.

Quod docti laceros Lucilii colligit artus,
Membra suis reddens singula quaque locis:
Quæ Ciceronis erat, iuuenis nunc cuncta Dousa;
Quin maior Dousa, quam Ciceronis, erit.
Eripuit fatibus Catilinæ Tullius vrbem:
Restituit ciues hic tibi, Roma, tuos.

IN IANI DOVSÆ Echo.

In sola Aonidum, blandissima, turba Sororum
Certat ad obsequium, maxime, Dousa, tuum.
Addit se comitem trepidisque superuenit Echo,
Siue hæc ambitio, seu pietatis opus.
Sola tibi taciturque tacet, loquiturque loquenti
Ad Domini vocis promta ministra sui,
Immortale sacris respondens carmen ab antris,
Quacum Pierio struxit Apollo choro.
Quid non diuinum, quid non laudabile dicat,
Versiculis spirans vox animata tuis?
Accepit dos ate, quis redderet illa;
A Phœbo acceptos reddis vt ipse sonos:

IN MARTIANVM CAPELLAM Hug. Grotii.

Hugo soboles Grotius optimi parentis,
Qui lumina nondum tetigit puberis aui,
Sed mente senili teneros praeuenit annos,
Magnum meditans, auspiciis noluit illis
Praeludere, qui vesticipum postulat aetas:
Sed maluit a grandibus incoare coeptis.
Nam qui penus est omnis & arca disciplinae,
Sed quem horridulum iniuria squallore vetustas
Omni studiorum nitido abdicarat vsu,
Illius ab incude profectus, atque ameno
Splendore micans, purpurea veste decorus,
Cultuque nouo pumice Martianus exit.
Cernisne, vt quantem lepido flore iuuenta,
Commendet eum gratia luminis recentis?
Quam siue habuit, restituit Grotius illi:
Seu non habuit, contulit hanc Grotius illi.

IN PROSCRIPTA.

Proscripsit tua, teque, quod citatus
Non responderis, optimus Senatus:
Non assis facis, & grauem tremendi
Legem carminis, ac seuera iussa
Tantum verba putas: notas honoris,
Famae stigmata, nominis lituras,
Speras olim abolere posse: frustra.
Cum vulnus coiit, manet cicatrix:
Vtque infamia vulnus est honoris,
Sic ignominia eius est cicatrix.

Ana-

Anagramma.

MARGVERITE DV VAL.
Rarum, Laude viget.

Gratia Phœbeium commendat nulla decorem.
Vile puellarum vulgus honore caret.
Quod rarum est, hoc laude viget: quã rara venustas
Est tua, tam rara, Margari, laude viges.

EPITHAPHIVM
meretriculæ.

Hic recumbit Saua, mater dulcium Cupidinum:
Sauo nomine, at reapse mitior cuniculo:
Mollior quouis cinædo, plena melle mel merum.
Non iuuenta comis aque, non venustior Venus.
Namque vitam si requiris atque mores noscere,
Donec ætas, & sororum fila passa sunt trium:
Ex Platonis disciplina vixit hoc matrum decus,
Nemini negauit vnquam, si quis argentum daret:
Vel probe paratus esset a rigente fascino.
Scilicet, natam sciebat semet haud sola sibi:
Sed patri sed patriæ, sed omnibus mortalibus,
Quos amica vi trahebat in plagam Cupidinis.
Copias opesque nulli floris inuidens sui.
Quodq; miraculi est ad instar: cũ daret cũctis, tamẽ
Largiendo rem coegit, prodigendo auxit domum.
Vos amatorum manipli, vos fututorum cohors,
Profedarum exercitores, Cypridis nepotuli,
Quos ad vltimam redegit lassitudinem viros
Indomabilis virago: si quis est sensus super,
Si qua cura vos remordet tam valentis fœminæ,
Ne precemini quietem sempiternam mortuæ.

Quippe nil quiete peius odit ætate in sua:
Sed Deos orate motu continente gaudeat:
Quippe cœlum est æmulata: semper in motu fuit.

GENETHLIACVM ÆMIlioli Melissi.

Vnde me bifori sono
Festa lætitiæ comes
Lotos Asia perstrepit
Cui Deorum adolet meus
Thura odora Melissus.
Cur adest genius gerens
Luteolum pede socculum?
Vnde cum patera meri
Liba adorea sustinet
Ara cæspite viuo?
Audiuere Dei preces:
Et locum pietas habet:
Voto Iupiter audiit.
Nempe sunt Superum sacri
Iusta cura Poetæ.
Nam, Melisse, puerperæ
Filium Æmilium tibi
Venter Æmiliæ edidit,
Quam thoro propriam tibi
Sancta Iuno dicauit:
Ne tuum sine liberis
Nomen occiduæ petens
Noctis atra silentia
Lucidæ Stygis oblitum
Obsolesceret vndis
Iam Melissiades tibi

Porri-

Porrigit teneras manus:
Iam nutricia primulum
Matris ubera parvulus
Sugat ore nouello.
Lacteamque papillulam
Rubris pueriliter
Collabellet hiantibus:
Nunc repellat, vt abnuens
Proximasque neganti.
Inde blesula garrulus
Verba semiloquo sono
Tertiata fritinniens,
Det faceta parentibus
Multa millia lusus.
Mox adulta virilibus
Membra roboret artubus,
Qualis innitidum aera
Ramulos virides nouo
Vere subiicit arbos,
Cresce Phœbicola puer,
Vatis aureolum genus.
Cresce mustule pupule,
Æmili, Æmilia puer
Matris aurea proles.
Ecce lilia cum rosis
Bacchicasque ederas tibi
Rupis incola Thespiæ
Suaueque nouo parat
Flore Musa corollas.
Maior at tibi debita est,
Teque nobilior manet
Texta Calliopes manu,

Quæ sacram tibi Laurea
Umbret inclyta frontem:
Cum canes veterum memor
Facta fortia Principum,
Quos Nicrus dominos suos:
Alma quos columen suum
Heidelberga salutat.
Fallor? an nouus emicat
Matris a gremio suæ
Dædalæ fidis arbitro?
Et Meliſſiaden noua
Comit insula vatem?
Prodeas opifex soni
Orpheos liquidos modos,
Atque Arionia lyræ
Plectra flexanimo fidis
Prouocantis honore.
Nec tibi numeris sacer
Certet innumeris olor
Dircæa fidicen Lyra.
Nec tibi Venusi Appuli
Comparetur alumnus.
Cede Graiugenum cohors.
Cede Romulidum manus:
Quotquot Aonia specu
Limpido trepidans pede
Format vnda poetas.
Neſcio quid amabili
Matres Æmiliæ sinu
Maius exoritur fide:
Fama quod stupeat vetus,
Quodque posituma laudet.

Vos

Vos Deum genus, optimo
Iure, plaudite Principes.
Iste sidereus puer
Vestra carmine masculo
Panget inclyta facta.
Vos poetæ hominum decus,
Fausta dicite populo:
Ille prodigus eloqui
Vestra fluminibus sui
Oris ora rigabit.
Omnis ocyus huc sua
Vota contribuat tibi,
Qui tuum thiasum colit,
Qui, Meliſſe, ſititor eſt
Hippocrenidos undæ.
Ambo contribuant suum
Carmen: inque vicem sibi
Serta mutua comparent,
Filio celebris parens,
Filiusque parenti.
Tuque, quæ semel edita
Prole, mater es unius,
Mater alite cum bona
Vatis esto nec unius,
Nec parente minoris.

IAMBI GNOMICI.

I.

Postquam suborta criminum licentia
Labefecit almæ Veritatis mœnia,
Quæ numen ipsum condidit verbo suo:
Pulam imperatus & receptus legibus

Augustus error sanctaque ignorantiæ
Defensa paulatim imprudentiæ ausibus;
Vtì tyranno nacta vim scientiæ
Hominum supinas conscientias ligat
Vocum numellis, casibus sophismatum.
Iniuriosa deinde pietas in Deum,
Quem metuit horrens, & profanans quem colit.
Tum quæ imperitis sola velamenta sunt,
Fasi vetustas, atque culpæ auctoritas,
Lenocinantur mentis ægræ somniis,
Et iam labante pariete inclinant magis,
Stultæ Suadæ splendide fallax amor,
Vanis in animis qui cuniculos agit,
Vt Veritatis subruat constantiam,
Tum fortuita ficta maiestas sacri,
Fraudi colorem castimoniæ illimunt.
Est semper aliquid quod refert mendacii
In claritatem dubia stultorum fides.

II.

Si laudem in animo statuis esse maximam,
Seruire patriæ publicisque commodis,
Siue in Senatu, siue in aula Principis
Te vita semper actuosa exercuit,
Domi beatum, gloriosam publice:
Persona primum quam tibi imposueris,
Ad vltimum vsque perferatur exitum.
Nec in recessu solitudinis fera,
Ad lus honestus squallidis inertiæ
Damna tenebris. Cur relinquens te foris,
Te rursus alibi quæris? Hominum e cœtibus
Exire ineptum est, antequam e vita exeas.

III.

III.

Cultor Camœnis debiti silentii,
Finxere pectus cui politum littera,
Venisti in aulam literatus arbiter
Negotiosæ & inquietæ inertiæ.
O quale debes omnibus Indibrium
Asellus inter simias! Tunc hic, ubi
Unum e tot hominum plebe, vix hominem videsi
Ubi nil tui sit, nullus hic locus tibi est.

IV.

Sunt discolores vestibus plebs, nobiles.
Sed concolores sunt utrique moribus,

V.

Amicus a te si quid ex specta boni,
Id omne debet expeti, non exprimi.
Extorta neminem obligant gratia.
A non volente quod datur, non debet.

VI.

Illiberalis indigentem quam videt,
Occasionem, cur nihil det aucupat.
Quis tu es? quid es mi? proximus sum ego? et mihi
Hoc non habebo; quod dabo. Indigentiam
Contemnit alienam ille, qui suam timet.

VII.

Assuete pauper invidere diviti,
Cui semper eius ex bonis oculi dolent,
Contende captu cum tuo captum illius.
Habentia eius tu æmulator; hoc tua est
Securitatis. Hic veretur perdere,
Tu vis habere. Cogita quanto minor
Habuisse nunquam sit dolor, quam perdere.

VIII.

Auarus atque prodigus, pecuniæ
Sunt ambo egeni. Prodigus pecuniam
Mox non habebit: at auarus nunquam habet.

IX.

Quascunque in arca condit aggestas opes
Auarus, aliis abstulit, negat sibi.
Fraudauit alios, seque fraudat vltimum.

X.

Opum redundans riuus & superfluens
Licente luxu, moribus frugi nocet.
Duris egestas cogit in rebus bonos
Patrare famæ non decora pristinæ.
Viri beati vita castigata sit;
Vi non egena, sic egena proxima.

XI.

Stulta est cupido, quæ dies longos sitit,
Et plurimum aut plurimas vitas putat:
Non sæpe viuere, at mori datum est semel.
Centum senectas mille seclis aggere,
Et mille viue Nestoras: dementia est
Putare multas posse vitas viuere,
Aut viuere vllam, præter hanc quam perdimus;
Aut perdere vllam, præter hanc quam viuimus.

XII.

Formido mortis morte peior: non potes
Vitare mortem, sed potes contemnere.

XIII.

HENRICO RANZOVIO.

Nulla ergo flendi meta tam carum caput?
Nec vlla finis lacrymarum, nec pudor?

Sero

Sero parentem te fuisse cogitas.
Quem non habere sentiebas te prius;
Amissione is carior factus tibi est.
Quod si in dolorem nil amici possumus,
Aut alloquendo, aut increpando; at aureus
Flos liberorum, qui superstes mortuo est,
Quotidianam demat ægrimoniam
Gnatos ademtos qui nimis desiderat;
Iniuriosus in relictos est pater.

XIV.

Quæ non relinquunt corporis vestigia,
Non quæ otiosos culcitæ absorbent ama,
Quos anserina molliter sub stragulis
Medulla condit in sepulcro plumeo
Tun' militanti cui parabilem thorum
Humus ministret, atque ceruical silex:
Quem sustinere sub Ioue ac sub pellibus
Palude cæsa, vel maniplo caricis,
Caput recline coget armorum labor;
Puluilla laxa, molle tomentum premis
Duræ palæstræ dedicatis artubus?
Labor tibi se vindicat; non otium.
Structura lecti est stramen, atque culcita;
Hæc partiantur otium & labor sibi.
Sit hoc laboris, illa cedat otio.

XV.

Marcore segnes atque omnes sarcina
Castigat artus regula & frugalitas.
Male tussientis corticem corpusculi
Diæta inaudax viriumque conscius
Victus tuetur Vitæ inoffensus tenor

Integra membra ducit ad calcem vltimam,
Si nil iuuenta stulta consciuit sibi,
Effœta membra cur senectæ traderet.
Quare lacessis questibus cœlum tuis,
Quod dubia & anceps fluctuat salus tibi,
Quum sanitatis quisque sit faber suæ?

XVI.

Humana vita est alea, in qua vincere
Tam fortuitum, quam necesse perdere.

XVII.

Si cogere vllis interesse cœtibus
Quos in solenni diffluentes otio
Vel rixa, vel vis calida commisit meri
Tumultuosus, vel iocosus garrulæ
Dicacitatis soluit in risum lepos:
Tantisper hæc dum detumescunt friuola,
Præcepta apud te refricans memor mea,
In mente blandum quære secessum tua
Potens sui mens quæque se nunquam fugit,
In plebe media dulce secretum inuenit.

XVIII.

Quo te ambulando cunque vertis gentium,
Vitare non est disputatorum genus,
Pugnax proteruum fastuosum garrulum,
Quo pacis hostes vltima hæc ætas tulit;
Qui nocte lucem, nigra vertunt candidis,
Et quæstionum tristitiæ condiunt
Notas in vsum sobrii risus dapes.
His nec decorum est, nec tuum refellere.
Tali hoste victo qui triumphus te manet?
Luctante eodem pugna gliscit acrior.

Ne

Nec dignitatem fronte ferrea pudor
Expressus auget: claritatem nec dabit
Extorta rixis veritas. In iurgiis
Vicisse nolle, quum queas, victoria est.

XIX.

Non te vetamus omnium per artium
Campos vagari, quatenus mentem tuam
Ad clariora præparant, non occupant.
Vna aucupanda sit tibi scientia
Vitæ magistra, veritatis regula,
Quæ fingit animos cultibus sapientiæ
Qui nescit illam, perperam scit cetera.

XX.

Tibi mali omnes inuident: at non boni.
Et nemini omnes, omnibus nemo inuidet.

XXI.

Ne curiosus quære causas omnium,
Quacunque libris vis Prophetarum indidit
Afflata cœlo, plena veraci Deo.
Nec, operta sacri supparo silentii,
Irrumpere aude: sed pudenter præteri.
Nescire velle, quæ magister maximus
Docere non vult, erudita insscitia est.

XXII.

Si te Tyrannus fusa adegerit loqui;
Nihil indecorum nec bono fuit, nec viro;
Seruilium si verberum inuentat minas;
Si triste letum gratulare tu tibi;
Quod te experiri dira per asperrima,
Quanti æstimares veritatem, contigit:
Constare parvo tanta res debuit.

Pœnarum acerba ridet audax, omnia
Pro veritate qui timet, pro se nihil.

XXIII.

Nos sciscitari, cur Catoni non datum,
Quam cur datum sit præmium, mauult Cato;
Sciscens ab omni parte, virtutem vnicum
Virtutis esse præmium, omne temnere
Paratus vltro si offeratur; Maximum est
Ambire nolle, quum mereri sufficit.
Accipere nolle quam mereri, maius est.

XXIV.

Oblatum honorem reiicis? considera,
Num fastus illud, rusticusve sit pudor.
Aufer cauillum. comiter sic reuice,
Non quasi recusans præmium, sed differens.

XXV.

Natura ab omni comparatum est tempore;
Laudare quem vis vt libenter diligas,
Laudari ab illo velle te, quem diligis.

XXVI.

Quidquid benigne fecimus, perit: nisi id
Bonum admonentes, exprimentes a malo
Recipimus. aurem grata non raro sibi
Velli voluntas patitur, a malo exige
Plus quam satis sit, vt feras, quantum sat est.

XXVII.

Non adficit me, si quid expressit rubor,
Nec qui pudore, sponte, quod non vult, facit.
Sequi trahentem, cui remitti te piget,
Non est voluntas, frontis est infirmitas.

XXVIII.

Qui dat libenter, & statim, bis obligat:
Deliberator quod dat, hoc caput sibi:
Et qui moratur, est neganti proximus.

XXIX.

Si quæ benigne amicus in te fecerit,
Sic gratum eorum te geras interpretem,
Vt dignus aliis, ista dum accipis, fuas.

XXX.

Est quem rogare vetuit infirmus pudor.
Est quem rogare compulit necessitas.
Quid huic, quid illi facere te immunem addecet?
Explendus ille est huic eundum est obuiam.
Veta hunc rubere, precibus illius fave.
In promerenda gratia primus gradus
Est, occupare vocet; proximus sequi.

XXXI.

Hic nempe voti finis; vltra iugera
Fundi paterni summouere limitem.
Sic multa habendo, nil habes; nec interest.
Quam maximum sit, quod tibi est pauxillulum,
Qui sic egendo possidere te putes.
Namque emturire, opinio indigentiæ est,
Et esse emacem, se fateri pauperem.
Fabullus amplis latifundiis Lycum,
Nummis Fabullum fœnerator Bracara,
Et hunc, & illum pisculentis prouocat
Stagnis Alauda. Quantum habes omnis cupit
Habere. sed tu non habes quantum cupis.

XXXII.

Caput tenebris exserentes luteras,
Quas longa curis excolit sensim dies,

Repente dirus mortis & Sophistices
Fugabit æstus, non reuersuras statim.
Morbi ingruentis est medela segnior,
Quam morbus, quo crescit occulto nemus:
Puncto, sequacis ignis afflatu perit.
Vigore lento nostra crescunt corpora;
Statim labascunt. Tarda virtutum agmina
Cito opprimuntur, non reuiuiscunt cito.

XXXIII.

Qui Grammatistas spiritu diffias tuo,
Et summouere fascibus linguæ soles
Criticos clientes literarum inertium:
Cur dignitatis ordinisque negligens
Tui, libellos Grammatistarum legis,
Sophiæ medulla, docta Naturæ schola,
Culti Platonis educatus in sinu?
Ergo libelli, quos teris, te iudice,
Sunt aliquid, a te quum legantur; & magis
Te consitente, quam volente, sunt boni
Doctrina magna est, quæ placet nolentibus.

XXXIV.

Philologomastix, & Sophista barbarus,
Sed iste nullis, ille paucis literis:
Hic veritatis osor, ille iurgii
Captator in nos tela distringunt sua,
Et nostra dictis scripta discerpunt malis.
Sed nos lacessunt plumbeis mucronibus.
Sophista, & is, quem prænotaui, sunt duo
Pari furore, dispari genio canes.
Latrare mos hunc cogit, at feritas eum.

XXXV.

Fama beatus qui superuixit sua,

Illis-

Illisque meruit interesse laudibus.
Quas vita non dat, funus ac cinis darent.
Bonis liceret, si ut ex per malos,
Vitiis negata gloria viuis frui.
Sed si bonorum iudicia de me mei
Tardauit aut liuor ac malignitas;
Meam loquentes gloriam nepotibus,
Horum furorem non tacebunt posteri.

XXXVI.

Quacunque & artes moliuntur, & parit
Natura, mors hac vindicat: stant, vt ruant:
Viuunt, vt obeant. vltimo discrimine
Seruatur orbis. Omnia in mundum cadunt;
Casurum & ipsum, non habentem quo cadat.

XXXVII.

Omnis cupido laudis, omnis ambitus,
Pruritus animi est febrientis. Gloriæ
Contemtor animus, maior omni gloria est.

XXXVIII.

Quacunque luxus artifex super sua
Excogitauit esui atque indutui;
Qua nauta auarus, prodigus vitæ suæ,
Procul petiuit longa per discrimina,
Vitæ parantur omnia, & vitam auferunt.

XXXIX.

Conuiua, fige potui primum modum,
Quod est necesse; proximum, quod est satis,
Nil sat bibaci est, sobrio nil est parum.

XL.

Morum malorum pestilentes spiritus
Siue adsint, auferte; siue stringu, inficit.

Ne forte te vllis allinat contagiis
Pruritus aliquis, tale contubernium
Vitare propera. namque si mores malos
Non oderimus, non amabimus bonos.

XLI.

Commune patrum crimen indulgentia est.
Vultu paternæ caritatis se offerens,
Gnati nepotis non coercere impetus,
Et in ruinam subministrare omnia,
Affabile odium est, & tepens crudelitas.

XLII.

Statim obligatur, qui facit digno bene.
Quidquid merenti das mihi; imputo tibi.

XLIII.

Ædilitatis expeditus ambitu,
In Consulatus fascibus votum impedis.
Omnem relegisti Idibus pecuniam,
Quæris Calendis occupare fœnori.
Abiectu amoris molle declinans latus,
Scorto impudico totus in plagam pates.
Crimen fugasti, victor vltra non times.
Instaurat ecce prælium cupidinum
Æstus rebellans, & refectis viribus
In te imparatum signo cominus mouet.
Non sat domatur: est triumphandum scelus
Laus vna subigi est; altera imponi iugum.
Te vitia vincent, tota si non viceris.

XLIV.

Qui gloriaris esse dominus ciuium,
Seruire seruis quo modo potes tuis,

Qui tot tyrannos quot satellites habes?
Seruire seruis dicitur Princeps suis,
Quod agere per se debuit per hos agens,
Per hos vicarie audiens, per hos loquens.
Auctoritatis seruus immodicæ nota est,
Auctoritatem non habentis Principis.

XLV.

Amor obsequentum & imperantis dignitas,
Regni potentis prima sunt munimina.
Seueritate caritas amittitur.
Sed obsolescit comitate auctoritas.
Horum duorum constet vt salus tibi;
Hoc temperamen est tenendum, vt ne velis
Nimis seuerus esse, nec comis nimis:
Id dignitatem est, hoc amorem perdere.

XLVI.

A plebe amari, non timeri, Rex, stude,
Timor magister infidelis obsequii est;
Et caritatis imbecillum vinculum
Timor facessat. Principis mores boni.
Possunt idem præstare, quod vis imperii.
Multum imperando, plus amando Rex potest.

XLVII.

Fortasse ciues peius angue Principem
Odisse possint, is licet non oderit.
At ipse amari non potest, si non amat.

XLVIII.

Princeps colendus hactenus sit, quatenus
Tibi licere, & expedire scis ei.
Homo secundus a Deo; acceptum ferens
Deo, quod ipse est, vnico minor Deo.

XLIX.

Bona inst. tuta non boni odi Principis,
Non quod bona acta, sed quod auctor dissplicet.
Laudanda Reges sæpe fecerunt mali.
Laudare Regem non potes nisi bonum.

L.

Princeps, tributis atque functionibus
Regni tuetur publicas opes sui,
Bellum administrat, hostilcas frangit minas.
Vectigal omne, & quidquid infertur, bonum est
Commune cunctis; singulis iniuria.

LI.

Terra tyrannus Septimania arduas
Euertit ædes incolarum Circius.
Sed astuosa pestilenti sideris
Idem salubri damna differt spiritu:
Et quos habebat langvor, vno temporis
Damnum & salutem consequuntur impetu.
Princeps, tributi nomine vnctas ciuium
Delibat, idem præstat & tutas opes.

LII.

Si Dux peritus ordinis disponere:
Diurna cast a muniis distinguere:
Nocturna vallo cingere & custodiæ
Cui Fors sit anceps, certa virtus; qui capiat
Occasiones, quique differt impetus.
Pedes sui sit factus ad tussus ducis,
Frequens adire signa, raro excurrere,
Raro experiri fortuita prælia;
Sed se sub ipsis continere sedibus.
Equos parare sit celer victoriam;

Vel

Vel tardus ita sit cedere, vt constantia
Cunctatio sit, & metus velocitas.
Præstent vtrique mutuas vices sibi,
Dux copiarum: copiæ decus ducis.
Sed disciplinæ militaris gloria est:
Quando duci plus fiditur, quam copiis.

LIII.

Qui cernere æquo Marte detrectauerat,
Ignauiane, conscius ve virium:
Angusta rumpens factus est audentior.
Cui per phalanges expeditus exitum
Irata virtus, hic tremendus maxime est:
Quum fecit animos arcta desperatio.
Ad moliendum maxima efficacior,
Necessitatis norma, quam virtutis est.

LIV.

Plures in vrbe si boni sint, quam mali,
Hominum, quibus cum transigas ævum tuum:
Fastidiosa debet esse electio,
Quod si boni sint clariores, quam mali,
Frustra eliguntur. Pro optimo est minus malus.

LV.

Prudens futuri, & imminens periculis,
Momenta lubrica & volubiles vices.
Fortuna inanis pertinere ad se negat:
Et omne, quo plebs semper amisso dolet,
Id commodatum credit, & precarium:
Suamque reddit rem reposcenti Deo,
Nec tergiuersans. Qui potestatem sui
Non fecit vllis casibus, casus potest
Ridere tuto. Sunt enim discrimina

Animis ad omne præparatis irrita,
Securitati sæua. Quod fieri potest,
Spera futurum. nil repentinum ingruet,
Si quidquid alias, posse nunc fieri putes.
Aduersa rerum nil mali exspectantibus,
Nouitate quam vi sæpius nocent sua.
Sese instruenti ad cuncta, si non omnia
Vt voluit, ast vt cogitauit, accidunt.

LVI.

Pars est futuri magna, supplicii timor.
Mens curiosè credula in pœnas suas
Sensum anteuertens obuiam it damno suo,
Malum imminente maius intentans sibi.
Bene præparatus rebus aduersis homo.
Quidquid futurum præstolatur, excipit.

LVII.

Periculosa est omnis excedens modum
Apud tyrannum, par tyranno, gratia:
Terret sequaces aulicorum spes canum
Formidolosus Caprearum carceri
Seianus olim plebi adoratum caput.
Adscendere alta est arduum, vnde postea
Cogaris ante cadere, quam descendere.

LVIII.

Rex, cui relicta vidua, cui suas preces
Pupillus offert; vita adulantes canes,
Feros in omnes, cicures vni tibi.
Cui pro maligno est parce adulans, hostis est,
Qui vera loquitur, ius ad omne is surdus est.
Et blandientium, non suas aures habet.

LIX.

LIX.

Quam turpe, fieri spoliar aulam ciuium;
Si quantum in vsus publicos est conditum,
In aulicorum vulturum voragines
Famemq; inexpletã omne fusum exhaurias.
Larga est in omnes liberalitas Dei.
Cœlo pluente, sugerum vicinia
Rigatur omnis, haud seges tantum mea.
Auara in omnes, inque paucos commoda,
Sinistra Regis est benignitas, opes
Si pluit in homines, non in humanum genus.

LX.

Sophistici astus irritum retunditur
Acumen in se replicatum, quum acrius
Videtur agere, stringi, at non perforat.

LXI.

Sententiarum quum supellex lauta sit,
Sermonis ingens sit politi copia
Penes Latinos, quos vetustas aurea
Catos magistros eloquentiæ extulit,
Quorum e scatebris hauriendum sit tibi
Verborum acumen, differendi amœnitas:
Quid est, loquendi quod nouum modum ac genus
Incude toties fabricas tua tibi?
Rerum magister & tyrannus omnium
Sermonis vsus artifex vernaculi est,
Qui tot loquelæ, quot suas, rotat vices.
At dictionis splendidæ peritiam,
Latiis librorum conditam in sacrariis,
Non sancit vsus, sed vetusta auctoritas
Virum Latinæ principum eloquentiæ.

Sed insolens hunc rancidi situs sapor,
Vtut loquatur, inuidentem intelligi,
Morositasque pascit insani stylo,
Promens abima verba casca origine,
Vix vel Cethegis gnara cinctutis prius,
Diuersus alius huius ab hoc flectens iter;
Inusitata dum timet, sordes amat.
At ille notus pellis & totus macror,
Arena calcem non habens, nugæ merè:
Inanitate plenus, & satur fame,
Ieiuna verba tinnit exili sono.
Pruritus alium tangit vrticæ nouæ,
Licenter audax & procax trálatio.
Teporis ille & lentitudinis metu
Profundit acer enitcato spiritu
Inflata verba rore non Achaico.
Stolide facetus ducit hunc vernilitas,
Linguæ elegantis perperam affectans salem.
Alius loquendi figere ignaris modum
Orationem admittit extra terminos,
Quem non habentis Cereus effusis capit.
Sic incolendi perdit omnem gratiam
In laxitatem ruris excurrens domus.
Offendit alios planitas æquabilis,
Quam Cæsar olim, quam colebat Tullius:
Constricta in arctum quos iuuant anguli,
Quæ per salebras saltitant, non ambulant.
Et dum legentis hæret exspectatio,
Intelligendum, quam legendum, plus ferunt,
Quæ delicata vult morari lumina,
Et tinguere animis, quod reportetur domū
Sui succulenta, non obesa oratio,

Filia-

Illustris apta, nobilis sese efferens
Non mole carnis, sed torosis artubus.
Sermonis ista sanitas, vt corporis,
Non sana tantum membra, verum alacria.
Sit aureorum luce verborum lita,
Sit comta natiua indole, & non squalidæ
Antiquitatis obsoleta sordibus.
Sic cuncta variet, constet vt similis sibi.
Similis sibi sic constet, vt varie iuuet.
Quem pascit auidum masculi succus styli,
Semper recente postulat refici dape.
Et audiendo, vel legendo friuola,
Conuiua tanquam languido stomacho oscitans
Si nil iacentem recreauerit fumem,
Risum in quibusdam, somnum in aliis vix tenet.

PARODIA AD PHASILVM CATVLLI.

Patronus ille, quem videtis hospites
Ait fuisse litigator optimus
Neque vllius minantis impetum fori
Nequisse detinere, siue crastinum
Iuberet ampliari, seu perendinum.
Et hoc negat feracis Aquitaniæ
Negare rura, Vasconumque limites
Cadurca iugera & Rhutena pascua,
Lemouices, trucesque Petragorios;
Vbi iste post patronus antea fuit
In vrbe scriba. Nam forensiũ in grege
Loquente sæpe scriptitauit arbitro.
Amœne Tarmis & Garumna Corniger,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima

Ait patronus: vltima ex origine
Tuis fuisse scriba dicit vrbibus.
Tuis patronus adfuisse ciuibus.
Et inde tot per exsecranda præmia.
Stipem tulisse, læua, siue dextera
Sonaret ære, siue vtranque Iupiter
Simul sonante tangeret petunia:
Neque vlla vota quæstuariis Diis
Sibi esse facta, cum rediret a foro
Lucro grauatus vsque propriam domum.
Sed hæc prius fuere: nunc cibaria
Ligurit vncta, seque consecrat tibi
Culina diues. & culina diuitis.

IN EVNDEM, EODEM argumento.

Nunc ollas tractas tractasti iurgia quondam
Iura idem solutus vendere iura coquis:

IN MON-

IN MONCAVDVM POETAM BVRDIGALENSEM.

Nihil fictum.

SVmmenianis vrbis in sepulcretis
Ad prosedarum non trioboli lustra
Media suburra bustuarias ædes
Moncaudus habitat quis sepulcra vespillo,
Quis anteponat vel Gemonias tortor.
Situs sed illas commmodumque commendat
Patentiore nam fruuntur aspectu,
Nec vlla purum tegula inuidet cœlum:
Patetque totum, quale Termini tectum.
Hoc vnicum est lacunar, vnica hæc illi
Fenestra claro mane lumen admittit.
Hæc pro camini peruio tubo, nigros
Transmittit extra transfugas heri fumos.
Hæc pro perenni fonte, qui procul distat
Laxante totum nimbido Iouem cœlo,
Demittit vrnæ sponte defluos imbres
Tuscanicum illi hoc, hoc cauedium est illi.
Nil exeunti, nil & obstat intranti,
Non tædiosæ pensili mora scalæ
Non cochleæ tot circularis anfractus,
Non eminenti structiles gradus mole.
Est facilis aditus limen, & pedis plani.
Pro marmore albo, emblem itumq; tessellis,
Dorsis iniquis tuber est pauimentum
Quot ter quot annis, aut bis aut semel verrit.
Asaroton illud nomines licet sane.

Intus suppellex excipit domo digna
Hero suppellex digna: debili sponda
Tripes grabatus, scandulis tribus tectus,
Qui claudicante semifultus in scamno
Delambis ac luxatus, integros noctu
Hero periculosius inuider somnos.
Nec ulla restis, aut coloris funis
Plagulas reducunt; annuliue velares,
Sed sola somnus prabitura securos
Aulaa situs araneosius obtendit,
Pro stramine illi culcitaeve tomento
Vel scorteum segestre, vel senex cento
Et pro tapete, proque stragula veste
Et fimbriatis obsoleta frustillis
Annusque lodix, gausapeve detritum,
Substernitur que mille murium praeda
Ac soricinum linteus minutale.
Qui possit esse ruderarium cribrum,
Idemque mensa seruit unus & lecto;
Mantilenidae seruit ac toral mensae,
Ne dormientem laedat aura nocturna,
Quod nil sit illi, qui caput tegat noctu,
Caluarium armat subligaribus braccis.
Hoc inuolucro tectus, hoc & amictu
Subfarcinatus ad meridiem stertit.
Compendiosa sumtibus via parcens:
Quippe una opella prandet & simul coenat,
Et ientat & merendat, atque comissat.
Coena ipsa frugi, Socratisque praescripto.
Vinum asse, panis asse, & asse pulmentum.
Ancilla, qualem non habere Moncaudus
Aueret aliam, vel si aueret, haud posset.

Cada-

Cadauerosa fronte, pendulis labris
Cariosa, casca, Troici memor belli,
Pannuceas in ore præferens rugas.
Euerrias hæc forte (si tamen verrit)
Protuberantis colligit pauimenti,
Scopis solutis aut inutili ramo.
Hæc tergit ollas, implet hydriam: sordes,
Et stercus effert: eluit lauatrinam.
Quotiesque tenti vatis æstuans inguen
Singultientis erigit tumor venæ,
Inemta Venus huic & parabilis præsto est,
Bidens amica, nocte pantices soluens.
At cum coquendæ tempus appetit cœnæ,
Vt exseruatur lignea focus cæde,
Quis ergo damnet te Lycurge! Moncaudus
Excodicari vineam iubet, vites
Cæsas voraci dat benignius flamma,
Et qui suo creuere Libero trunci
Cereri iubet perire Liberi vates,
Non alia mensa, quam vel vnius custos
Pluteus papyri vel duum libellorum
Abax, & idem est pluteus, huic penu longo
Non integrarum fictilis patellarum
Astat supellex: curtus vrceus: peluis
Dimidia: rupto latere fictilis guttus,
Triumque quondam nasiterna nasorum.
Nec non matella cum sorore craterra
(Namque hæc bibenti seruit, illa meienti.)
Huic ansa periit, illa non habet limbum
Aquale fatum; trulla, pollulum labrum,
At in quasillo, qui pependit e tigno,
Semesa perna, caseique buccellæ,

Examinum atra verminantium cella:
Et in tabella, proximoque paxillo,
Fruſtilla pridiana carnis ambeſæ,
Analecta reſa, & olla iuris heſterni,
Lucanicorum circulus botellorum,
Vel lanx omaſi, vel catillus hillarum,
Quæ pridiana cum poeticen Muſæ
Deſtertuit, conuiua ſtrenuus glutti.
Capſella ſubtus. Hæc repoſita ſeruatur
Poeticorum ſyntheſis libellorum
Seruata nec ſeruata quatinus ſemper
Illa inquilini ſcripta permeant mures,
Quibus refert Moncaudus vnus acceptum,
Quod ſcripſit illis illa, non ſibi tantum.
Deinde ploxenum, & forenſium cuſtos
Litiscularum bulga, quas & is raro
Rauiſit opere, muribuſque commendat,
Vt cognitores ſint ſuam vicem illarum.
Iſtum modum Moncaudus, hos habet victus
Moncaudus æſtus. iſta vita Moncaudi
Gens nauitarum vana Luſitanorum
Quid vos parandis opibus inmori cogit?
Moncaudus horum nil paraut, & viuit.

Scriptum Anno CIↃ. IↃ LXIX.
Montalbani.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO DOMINO HENRICO BORBONIO.

Dumbaram Principi.

O quem te dicam, quoniam natalibus audes
Altius eximiis exseruisse caput.
Tu genus Heroum studiis atque artibus olim
Missum per Regis stemma tueris auos.
At quibus illustres ortus natura negauit,
His virtus instar nobilitatis erit.
Et licet ad laudem cuncti grassemur honesto
Consilio, merces non tamen aqua manet.
Nam virtus alios homines Heroibus aequat,
Heroum natos sed iubet esse Deos.

EIDEM.

Francorum nulli Regum pietate secundum
Trans maria euexit religionis amor.
Ille triumphati spoliis Orientis onustus,
Gente ex barbarica parta trophaa tulit.
Huius tu soboles doctas amplecteris artes,
Quas prope depositas vltima fata trahunt;
Cum toto studiis integrorientibus orbe,
Barbaries atris celsa triumphet equis.
Si proauis, HENRICE, tuis gens barbara cessit,
Barbaries debet cedere victa tibi.

EIDEM.

Borboni columen generis, cui Pallas honestas
Artes dat puero, mox dabit arma viro.

Ne mirere, tibi si pro sermone pedestri
Mittimus imparibus verba ligata modis.
Blanda tui faciet hoc, qua nos fouet aura fauoris,
Hanc in mente mea ventulat illa facem.
Nam mihi nescio quis recreans in carmina vires,
Ardor amicitiæ spirat ab igne tuæ:
Ignotoque rudes pratentat Apolline sensus,
Quacunque hæc vis est, quam tuus affiat amor.
Nec vero metuam ne sim sine carmine vates,
Ipsa meum virtus nam tua carmen erit.

IN PVLICEM.

Pulicelle niger, nigelle pulex,
Incitatior hœdulis petulcis,
Delicatior hinnulis tenellis,
Docti passere nequior Catulli,
Stellæ blandior albula columba,
Quæ te prosequar aurea Camœna?
Quo te nomine prædicem, ô beate
Pulex pumile, pumilille pulex?
An quod quum libet, os meæ puellæ
Tuo purpureo ore suauiaris?
Mihi quum libet os meæ puellæ
Meo non licet ore suauiari?
An quod quum subit cibi voluptas,
Non in quadriuiis neque angiportis
Plebeios auidus cibos liguris;
Sed in lacteolis latens papillis,
Tingens virgineo cruore rostrum,
Plenus nectaris, & satur recedis,
Et circumsiliens modo huc, modo illuc,
Meas delicias, meos amores

Ludis

Ludis ebrius in sinu puellæ?
Anne, quod Veneris satelles, audis
Vindex fatidica malæque lingua,
Quum perjura Deos puella lasit,
Atque ulciscere saucios amores
Feris morsibus appetens lacertos?
Illa in insidiis morata, soli
Vindicta imminet, ac fruens dolori
Suspenso meditatur ungue mortem.
Tu cessim fugis, & fugis recessim,
Ac subsultibus hinc & hinc citatis
Vibras cruscula, & improba puellæ
Eludis digiti impetentis ictum:
Ut campis equa trima ludit olim,
Motis aera calcibus lacessens.
An quod legibus omnibus solutus,
Puellaria membra peruagaris
Vsque Cypridis ad beata regna:
Impune insinuans amoris almi
Secretis adytis, sacrumque limen
Insistens, quod ab omnibus profanis
Et tangi scelus, & nefas videri:
Hic tu Ianitor excubas & ipsam
Aurea Veneris tueris aram,
Quam sancte tibi tradidit tuendam
Et ridens Venus, & puer Cupido.
Tene propterea, o venuste pulex,
Tene prosequar aurea Camœna,
Tene hoc nomine prædicem beatum
Pulicelle niger, nigelle pulex?
Non: sed quod numeo tuo lepore
Tot solus facis & paris poetas,

Quorum cantibus aureæque linguæ
Vena diuite, versibus canoris
Immortalis eris, diuque viues:
Nam dum pumile, pumilille pulex
Hæres pendulus in sinu puellæ,
Nouus Pegasus in noua Hippocrene,
E morsu tuo, vt vngula ex equina
Fluxerunt latices poetici: Dein
Tot sunt carmina nata, tot poetæ.

IN TVMVLVM GENEROSISsimi Asseraci.

Hoc ego te modico coniux tua fida sepulcro
Composui Assaracæ flos & ocelle domus.
Nec tantum, mea cura, tuos componimus artus
Tota in morte tua vita sepulta mea est.
Cum prope depositam me ingrata in luce relinquis
Cum lucem, cum tu gaudia nostra rapis.
Namque mihi tu lux, tu gaudia nostra fuisti,
Chare vir, o anima maxima flamma meæ.
Nunc tibi sum quiduis, vel si vis sum tibi coniux
Dum modo tu mihi sis, quod mea vita mihi est.

εἰς τὸν αὐτὸν Ασσήρακον.

Ἃ δ' ἐγὼ αἰνολεχὴς ἁ σὰ δάμαρ ὧδε σ' ἔθαψα
Ὦ θάλος Ασσηράκων καὶ φάος εὐπατρίδαν.
Κ' οὐ μόνον ἁ δύ μέλημα, τὸ σὸν δέμας ἐνθάδ' ἔθαψα
Ἁ ζοὰ ἐν τᾷ σᾷ κῆρι κέκευθεν ἐμά.
Ὅς γα καὶ ἡμιθανῆ καὶ ἀηδόβιόν με λέλοιπας
Ὅς τὸ φάος τά τε μεῦ ὤχεο φίλτατ' ἔχων.
Καὶ γὰρ ἐμὸν σὺ φάος τά τε φίλτατα μῶνος ἔνθα
Ὦ πόσι ἐκμήνας τ' οὐμὸν ἔρωτι κέαρ.

Νῦν

Ναῦ δ' ὃ θέλεις.....ἄνερ ἔσσομαι. ἀντὶ δάμαρτος δ'
Αἴκε θέλεις. σὺ δ' ὅλως ἴσθι μοι ἀντὶ βίου.

ABR. ORTELII EPITAPHIVM.

Quid dignum, Orteli, quid magnũ pectore promam
Quo possim cineri soluere iusta tuo?
Exciturus eram doctas in carmine Diuas,
Carmina sunt meritis inferiora tuis.
Impendendus erat Mundus; sed pectore Mundum
Cœpisti, laudes non capit ille tuas.
Quid faciam, melius cœptis desistere, abunde
Laudatur, cui laus nulla sat esse potest.

ΣΚΑΛΑΝΟΣ ΧΡΙΣΤΙΑΝΩ.

Ὣς ἔκτε τύρβης. ἔκτε κάκκης βορβόρου,
Ἐκ τῶν ὀχῶντ' ἐν συμβολαῖσιν ἀμφόδων
Στεναῖσιν, ἀλλήλοισιν ἐμπεπλεγμένων,
Κἀκ τῶν καπήλων τῶν τε λαχανοπωλίδων
Καὶ τῶν κεκρακτῶν καυσίμοις τῆς καγκάνου
Δέσμαισιν ὕλης νῶτον ἐγκεκυφότων.
Ἐξ ἀκμόνων τε, τῆς τε χειρωναξίας
Χαλκοκτύπου, σφύραισιν ἐξωπλισμένης.
Κἀκ τῶν κακούργων τεκτόνων γείσσων ἄπο
Κεραμίδος ἄκρης λεύσιμῳ πετρώματι
Κάρηνα καιρίαισι θρυπτόντων βολαῖς,
Καὶ κῆρ' ἑτοίμην τῆς ἀπειλούσης δοκοῦ.
Τῶντ' ἐν δρυφάκτοις θηρίων δικηφάγων.
Καὶ τῶν ἀπ' αὐλῆς κνωδάλων δυσωνύμου
Ἀργῶν πιθήκων ὦτα διατετρηίενων
Κρίκοισι καὶ κόμαισιν ἐξησκημένων
Γυναικομίμοις βοστρύχων κηπεύμασιν.

Ὄχλων τε τῶν ἐν ἀσεβῶν ψυχῶν φόνῳ
Σφαγῆσι τ' ἐξάγισα βαφάντων ξίφη
Μάστιξιν ὕς δὴ ποινίμοις οἰστρηλάτει
Ῥαίστειρ ἐεινὺς καὶ δεήλατ' ἴδιπ..
Ὡς ὅιω ἀπ' ἐναγέα ἄστε Παεισίων.
Δυσπεμφέλου δὴ τῆς πάλαι νόσε μόχις
Χειμῶν ἐπηυσώπα μ' ἐξεδέξατο
Τὸ Βινδοκινῶν ἄσυ καὶ φίλαις δοχαῖς
Ἐπεξέίνωσε, πᾶμαλα ποιήσαμ' ἔχων;
Τί πρῶτον ἢ πολίδιον; πάλιν εἰ τὰ σὰ
Φίλτατα γ' ὅπασέλαμ' ἄνδρα πάντων ἐμοί.
Ἔφυς τὸ πρῶτον καὶ τὸ λοίσθιον χρεῶν.
Πρῶτον τὸν οἶκον εἶτα τὴν οἰκουείδα.
Τά τε τέκνα θ' φύσαντ' ὀφθαλμώ δύω.
Ἄ δὴ τὸν οἶκον. τέκνα τὴν οἰκουείδα.
Ἄθῶα πάντα σῶα τ' εὐδύνει θεὸς
Σὺ δ' ᾧ φίλοισιν εὐμενέστατον κάρε
Ἀθῶον εὐθυμοῖσι καὶ σῶον θεὸς.

Vale Vindocini.

Τούτους νοσηλοὺς καὶ πυρέσσοντας ἴσχνους
Πυρετὸν πυρέσσων νυκτὸς ἐξεπονησάμην.

ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ ΣΚΑΛΑΝΩ.

Τὸ Βινδοκινῶν ὦ φίλ' πολίσχιον
Ζηλῶ πρεσπμῶν καὶ μυίσων ἄστεων·
Οὐκ ἐυάγισον ἔνεκα ζεῦ τὰ δάκρυ
Λαχεῖν μυίσεις ἔ βεστῶν φερεσβίᾳ
(τὸ δ' παρόρων καὶ κεκομμένων φρένας
Μέλπω δέρον δ'ξιν) ἀλλ' ὅπ Σκαλανίως
Ψυχῆς ὑγείαν ἐν νοσηλῷ σώματι.

Ἔξεκτο

Ἔδεκτο χαῖρον. οἰκίαν δ' ἐμὴν ἐπεὶ
Ἠθεῖ' ἐπῆλθεν, ἥδομαι καὶ γάννυμαι
Καὶ Χρέμυλος ὥσπερ κωμικὸς πλούτου τυχών,
Καὶ φροιμιάζειν καὶ χορεύειν βούλομαι.
Σὺ γὰρ ἀντίπλουτος, ἐν τόδ' ἠχθέσθην ὅτι
Φίλην δάμαρτα δωμάτων πιστὴν κύνα
Ἔλαθες ἐπηλύς ἀντὶ φιλτάτου παρών.
Οὐδ' ὥσπερ εἰκὸς, ὡς ἐχρῆν, ὡς ἄξιον
Ἐμοὶ τε καὶ σοι, ἐξενώθης τι πάθω;
Τί δ' ἔλαθες αὔτως; ἦρα βακχικὸν πόδον,
Αὐρηλιανῶν σ' ἐκπερήσειν ἤλπισα,
Εὐδαιμονίζω καί σε τῆς ἀφίξεως
Λιπόντα Πάριδος τὴν πόλιν φερώνυμον
Αὐτόντε δύσαριν. φρύγας τε γυναιμανεῖς
Πιθηκομόρφους αὐλικῆς ἀεργίας
Νῦν εἰκότως γε φημί σ' ὄντ' ἐλεύθερον.
Ἐγὼ δὲ δηρὸν ὑστερῶν σοῦ, φαίνομαι
Νῦν ἀντίδουλος, δεσποτῶν ἀβελτέρων
Τριτάλας ἀκούων καὶ δίκαια κἄδικα
Τόπον τρόποντε κάρβανον βία σέβων.
Ὄλοιτο δῆτα τρωϊκῆς ἀπιστίας
Βλάστημα μιαρὸν ἂν δ' ἀχαϊκὸν δόρυ
Γλώσσης θεείζοι φοινίας ἐναγὲς κάρα
Σὺ δ' αὖ βιώης σῶς ἐν εὐεστοῖ φίλος
Θεὸν μὲν αἴτω σῆς ἀπαλλαγὴν νόσου,
Πυρετοῦτε λῆξιν καὶ κακῶν ἀποστροφὴν
Ἔχοις δὲ πλουθυγείαν ἠδ' εὐπραξίαν
Ἥρως τε χαίροι Καστανεὺς Ἀβέννιος
Λῶτος ἄκρος εὐγενείας κελτικῆς.

CATVLLI HENDECASYLLABI DE ACME ET SEPTIMIO, Versibus Elegis.

Acmen Septimius teneros complexus amores,
O Acme mea lux deliciumque meum,
Ni miserete, dixit, amo, ni perdite amare
Discupio vitae tempus in omne meae
Quantum qui potis est capitis discrimen adire
Plurimum, & immanem pernicium oppetere:
Solus apud Libyas vel tostos aestibus Indos
Occurram fuluis obuia praeda feris.
Haec ecfatus vbi, laua de parte secundis
Alitibus dextrum sternuit omen Amor.
Est Acme resupina caput, puerique lacessens
Ebria purpureis lumina suauiolis,
Se, inquit, mea vita, meus lepor, huic Domino vni,
Huic deuoti omni tempore simus, ait.
Vt mihi viuidior molles est flamma medullas,
Acrior & misto gliscit amore furor.
Hoc postquam ecfata est, laua de parte secundis
Alitibus dextrum sternuit omen Amor,
Nunc bono ab auspicio fausti auibusque profecti
Mentibus vnanimis mutua amantur, amant.
Vnam Septimius nunc mauult saucius Acmen
Quam Syrias, aut qua regna Britannus habet.
Vno in Septimo totis nunc sensibus Acme,
Perdita conspirat, deliciaque facit.
Quis par candidius teneorum vidit amantum?
Aut fuit auspicio quae meliore Venus?

CATVL

CATVLLI, PASSER MORTVVS.

Versibus Elegis.

Lugete o quantũ est Venerũ atq; Cupidinũ amantũ
Atq; venustorum quicquid vbiq; hominum est
Lugete, ille meæ lususq; & cura puellæ,
Ah dolor, ille meæ delicium dominæ.
Passer mortuus est, quem serio amauerat illa,
Plusquam se, plusquam vitam, oculosque suos:
Namq; erat & meilitus, & ipsam cognitã habebat,
Tam bene quam matrem, nostra puella, suam.
Et circunsiliens vti ne a gremio illius vnquam
Cederet, ad solum pipilitabat heram.
At nunc it per iter nigrum miser, ah miser, illic
Vnde vnquam reducem nemo pedem retulit.
Ah vobis male sit, male, qui omnia bella voratis,
Orti vobis, ah male sit tenebræ.
Tam bellum nobis rapuistis passerem inique
O male factum, o mi passer atrox facinus.
Ecce tua causa nostræ tumefacta puellæ
Turgescunt salsis lumina lacrymulis.

IN TAXVM,

quem operibus triduo oppugnauimus.

Ex tempore.

Quadrupedem dũ magna operũ vi cingimus, illa
Secretum cæcis callibus egit iter.
Tertia lux agitur, postquam molimine tanto
Inceptum frustrà ludificatur opus,
Sit vobis ex hoste, Viri, victoria capto,
Dum sit ei e lassis gloria parta viris.

EXCV-

EXCVSATIO NOTARVM IN Nouum Teſtamentum, ad V. Ampliſs. I. Aug. Thuanum.

O Muſas & nos æquo complexus amore,
Muſarum, & noſtrum dulce, Thuane, decus:
Pro quo non dubitem totas ex ordine noctes,
Noctibus & totos continuare dies:
Quid me diuini velo ſummota ſilentii
Legis Apoſtolicæ tangere ſacra iubes?
Ecce profanorum maculas abolere parantem
Impatiens veri non tulit inuidia.
Scilicet in vero verum patientur iniquè,
Qui verum in nugis non potuere pati.
Inuidia ſi luce ſua perſtringit ocellos
Sol meus, vret eam Sol meus igne ſuo.

IN NOMEN Quinti Septimii Florentis Chriſtiani.

Ὦ πέμπ' ἀδελφῶν, μηνὸς ἑβδόμου τέκνον,
Τὸν κλῆσιν ἄνθους εὐχλόου καλούμενον
Τῆς εὐαγίζου πίστεως φέρώνυμε.

Ne quis miretur prænomina noſtra, nempe Quintum
Enixa mater, Septimoq; menſe, (eſt
Quòd ſi lingua fuiſſet ter mea Tulliana, poſſem
Tertullianus eſſe Chriſtianus.
Verum ter valeat mihi Tullius atq; Tullianus
Dum Chriſtiani floreant ſtolones.

Fl. Chriſtiani.

EPITA-

EPITAPHIVM
Georgii Buchanani Scoti.

Postquam laude tua patriam, meritisque beasti,
Buchanane, tuis Solis vtrumque latus:
Contemtis opibus, spretis popularibus auris,
Ventosæque fugax ambitionis, obis;
Præmia quinq; quater Piscæ functus oliuæ,
Et linquens animi pignora rara tui:
In quibus haud tibi se anteferent, quos Itala vates
Terra dedit: nec quos Gallia mater alit,
Æquabunt genium felicis carminis, & quæ
Orbis habet fama conscia signa tua.
Namque ad supremum perducta poetica culmen
In te stat, nec quo progrediatur habet.
Imperii fuerat Romani Scotia limes:
Romani eloquii Scotia finis erit.

IN NOVAM EDITIONEM PARAphrasis Buchanani in Psalmos, quam Alex. Morison sororis ipsius filius procurauit.

Ista, Caledonii vertit quæ Musa Poetæ,
Iam prius Hebræa carmina culta lyra,
Typographi primum fœdis damnata lituris
Vati nuper erant inficianda suo.
Excoluit Morison, & doctus auunculus illis
Quod dederat, non est passus abesse decus.
Gaudete, o summi vatis, pia numina, Manes,
Si nostra cognati vos beneficia iuuant.
Nunc opus hoc, Morison quod luminis edit in oras,
Vestrum est, Typographus fecerat ante suum.

AD IO. BOISELIVM I. C.

Cuica sæpe gerens dubiis pro litibus arma
Pictonico obtinuit præmia summa foro,
Et nunc idem alias porro conuersus ad artes
Scribit, quæ passim Gallia tota legat,
At nunquam cessans, & ad omnia magna paratus
Boisselus patriam voce librisque iuuat.
Sed tantum voci præstabunt scripta diserta,
Quantum Pictonico Gallia tota foro.

EIVSDEM EPITAPHIVM.

Quæ, Boiselle, fuit votorum summa tuorum,
En voluenda vltro contulit hora tibi.
Quod non vlterius terris considere velles,
Quam patriæ possis vtilis esse tuæ.
Nam quamuis hausto Phœbæ lucis ademto
Perpetua aniè oculos nox stetit atra tuos:
Indelibata virtus tamen integra mentis,
Et pro sollicitis impigra cura reis,
Semper inexstincti suffecit luminis vsum,
Cuica pro dubiis litibus arma ferens.
Ac suprema licet spatio tibi vita peracto
Stringebat metus interiore rota:
Mansisti, vt posses patriæ componere lites;
Postquam perpetua lite laborat, abis.

PETRO LAVNAEO.

Non igitur natura potest, Launæe, iubere
Sola nouis miram rebus adesse fidem:
Quandoquidem vna nouis aures se tollere lingua
Laudibus, eloqui fida ministra tui.

Quippe

Quippe immensa canens, mirandaq; fœdera rerum
Non potuit tanti parte carere loci.
Quæ si quanta canit, tot habet miracula vocis,
Et tot honorata pignora laude caput:
Cetera quantus honos Naturæ mira parentis
Supra naturæ munera posse loqui?

IN FR. VLMI MEDICI libellum, de Liene.

Οὖλμος ἰδὼν κατὰ θυμὸν ἀμύμονας υἷας ἰητρῶν
Τυφλοσύνῃ πραπίδων, καὶ νοὸς ἀμφασίῃ
Πάντας σπληνιόωντας, ἰήσατο, ῥίμφα δὲ ἰητρῶν
Εν φρεσὶ τὴν χρονίην νοῦσον ἀκεσσάμενος
Ιπποκράτην τὸν θεῖον, ἀμώμητόν τε Γαλήνον,
Τῶν τ' Ἀσκληπιαδὰν φῦλα παλαιγενέων
Ιδμοσύνῃ μάλα πάντας ὑπερβλήδην ἐκέκαστο.
Οὖλμος ἐνίκησεν πάντας ἀκεστορίῃ.
Οἱ μὲν τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἔμμεν ἰητροί
Σκεῦνται, ὁ δ' ἰητρῶν Οὖλμος ἰητρὸς ἔφυ.

Idem Latine.

Perplexos medicos doctissimus Vlmus, vt illis
Cœperat à cœca mente tumere lien,
Aspexit, morbi purgauitque illius. Ergo
Antiqua vt mentis febre leuauit eos,
Hippocratem diuinum, intacta & laude Galenum,
Atque Asclepiadum secla vetusta virum
Arte salutifera victor supereminet omnes,
Omnes & medica præterit Vlmus ope.
Namque aliorum illi sanandis artubus ægris
Sunt Medici. His medicas attulit ipse manus.

AD IO. BONEFONIVM.

Prodite aurea scripta Bonnefoni,
Prodi candida Musa Bonnefoni,
Vt doctis etiam Italis pudorem
Imponas, quibus in poetica affis,
Non est Gallia terra; Namque solis
Romuli popularibus Remique
Musarum attribuunt salem atque gustum,
Vel quorum patrios utrinque fines,
Infernas mare cingit aut supernas:
Nos vappa sumus, atque Apollinares
Laxa Musica castra peruagantes,
Quos nec Italis aura vagientes
Primum adflauerit, aut Latina mamma
Lac immulserit humidis labellis.
Tu contra Ausonios pereleganti
Doctos carmine prouocas poetas,
Si est materies boni poetae,
Merx est publica quam Dii benigni
Vendunt omnibus improbo labore,
Hanc cui non lubet esse negligenti,
Doctae Musicae in artis officina
Sub incude laboris vsque tundens
Sese fabricat & suis artifex fit:
Nec Roma satis est fuisse natum
Nam fit, non modo nascitur Poeta.

In Poemata.

DOMINICI BAVDII.

Si, quos est olim, Baudi, mirata vetustas
Dulcibus implentes docta theatra modis,

Emissi

Emissi tenebris post secula multa poetæ
Eius linquant blanda vireta soli,
Ingeniique tui felicia pignora sumant
Versus, quos hilari non nisi fronte legent,
Hos ratio alterutrum subiget, ut utrumque fateri,
Se didicisse tuos, te docuisse suos.

Præfixum editioni primæ Manilii.

CHRISTIANISSIMO FRANCORUM & Polonorum Regi Henrico III.

VRANIA MVSA.

Princeps sororum, quæ beata secessus
Vireta celebrant inter Aonum montes,
Urania, quamuis me reposta cœlorum
Species moratur, musicique concentus
Mundi volantis, conscias tamen fati
Cœli choreas astricas, & Erronum
Septem reliquas spatia, quos citis bigis
Curricula circi magna semper exercent,
Ut hinc ministrent fata rebus humanis,
Momenta varient, ac reciprocos casus
Voluant revoluant. Nanque me pius mentis
Incessit ardor, magne Rex; ut hunc nostræ
Gentis clientem, quem recenter a nigris
Lethi tenebris imminentis, a dira
Oblivionis vindicauimus fato,
Tuas ad aras, ad tuumque pulvinar
Sublime sistam, si nouis ei possim
Modis honores comparare diuinos,
Quos dia spirat aura numinis vestri,

Solo que fulgens eminente Maiestas.
Sues est, tuo vt fauore fotus, & nido
Tuto receptus nec licentiam indoctæ
Plebis, nec vllum stigma Grammatistarum,
Nec inquinata menda, nec vetustatem
Sentire porro, nec grauem situm possit.
At vniuersi rector orbis Augustus
Præstare non id quiuit, vt suus Vates,
Qui sese in eius tradidit clientelam,
Non vim seueræ mortis experiretur:
Neque ille mendis, atque padagogorum
Contaminatus obsolesceret nugis.
Tu quum e tenebris, e silentio lethi
Ille stre victor efferens caput, sese
Dedat tibi Poeta (Nam tuo nutu
Videre lucem se fatetur) Augustum
Maiore laude vincis, ac suum tandem
Illi auferendo, vindicas tibi, Vatem.
Nam bene mereri Vate de suo, quem nec
Seruare potuit, iure non potest vllo.
Tuus Poeta est igitur optimo iure.
Quid quod vagantum nosse Siderum cursus,
Soles labores, spatia menstruæ Lunæ,
Annumque gressus in suos relabentem,
Indigna non est Rege maximo cura?
Testis Necepsó qui Canopiti regni
Tenens habenas, nobis consulens cœlum,
Quacunque limes astra signifer portat,
Radio notauit, quid vetustus eiusdem
Tyrannus aulæ, terque maximus, Nili
Regnator Hermes, qui logisticis punctis
Collegit astra: cœlici penetralis

Rese-

Reseranit adyta: venit ad Deos ipsos,
Cœlo potitus sic per astra captiuo?
Quid priscus Atlas, rector Africæ qui non
Ceruice, verum mente pertulit cœlum?
Quid ille, canæ quem loquentur ætates,
Astrorum alumnus, pignus aureum cœli,
Castella amœna Rex vetustus Alfonsus,
Aliique, quos nec explicauerim, Reges,
Diuina qui per scripta Regibus magnis,
Magnisque tantam Ducibus asserunt artem?
Ars ista sic, Rex magne, Regibus non est
Indigna, quæ tot vindices habet Reges.
Quod si & clientem hunc recipis, o quater felix,
Quem sic tuentur, seculisque commendant
Regale studium, tuque maximus Regum.

IN SVETONIVM TRANQVILLum, Abl. Casaubono editum.

Imperii procerum Tranquilli condita libris
Gesta vetustatis obsoluere situ.
Cæsaribus patriam dederat nomenque genusque
Tranquillus: lucem reddidit Isacius.
Tradere res gestas æuo, non vltima laus est:
Cæsaribus lucem reddere, Cæsareum est.

DE MIRANDIS BATAVIÆ AD I. DOVSAM.

Ignorata tua referam miracula terra,
Dousa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium hic lassat textrina Minerua.
Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges.
Non capiunt operas fabriles oppida vestra,
Nulla fabris tamen hæc lugna ministrat humus.

Horrea triticea rumpunt hic frugis acervi.
Pascuus hic tamen est, non Cerealis ager.
Hic numerosa meri stipantur dolia cellis.
Quæ vineta colat nulla putator habet.
Hic nulla, aut certe seges est rarissima lini.
Limifici tamen est copia maior ubi?
Hic mediis habitamus aquis quis credere possit?
Et tamen hic nullæ Dousa bibuntur aquæ.

IDEM GRÆCE.

Τμητέρης ἐρέω γη πολυθέα θαύματα γαίης,
Δυσιάδη, δύπτις ἄλλοθι πῖς ἀΐειν
Ἐνταῦθ' ἠχ ἀρχοῦσ' ἐείοις ἰχθῦες Ἀθλίπης
Πῶϋ ὃ φερυδον ἅπαν εἰς ὠκεανὸν ὀΐων.
Ἀστα χειρὸς ἴσης ἠ χωρεῖ τέκτονας ἄνδρας,
Ἐργασίμης δ' ὕλης ἐς' ἀχόρηγον ἔδω.
Σιτοδόκης πυρὸν σωρὸν ῥηγνῦσι καλιὰς.
Βόθοι δ' ἠ χαίη δ' ἠ φιλόπυρ ἔφυ.
Ἁπλετοι ὦδ' ὀίνοιο νεναπμέναι εἰσὶ πιδάχναι.
Οὐδὲ ὸς οἰνοπέδου δ' ὄζι φυτηκομίη.
Οὐδαμὸς ἠ ἀπείρων τῆδε ἀπὸρ ὄζι λινοῖο,
Πῶ ποτὲ δ' εἰσὶ λίνα πλείονες ἐργασίαις;
Οἰκίαις εἰσὶ μέσιπνι ἐν ὕδασιν. τίς κε πίθοιτο;
Τροποτεῖ δ' ὑδὶς ἐν δάδι Δυσιάδη.

PHASELVS CATVLLI.
Iambis puris.

Κέλυς ὀκεῖνος, ὃν θαῦδ' ὁδιπόροι,
Τρέχων νεῶν εὐχυτὸν δοὠτερος,
Σκάφους ὄπισθεν ὑστερεῖν ὑ μηδενὸς
Δρομηλατοῦντος, ἐστέ μιν χρέων ἐλᾶν
Πλάτησιν, εἴτε λαίφεσ' ὀπερωμάοιτο.

Τόδ'

Τόδ' οὔτέ φησιν ἀντερεῖν ἂν Ἀδρίου
Νεώρι' οὔτε Κυκλάδας περιῤῥότους.
Ῥόδον κλυτὴν, δυσήμερόν τε Θρηκίαν,
Προποντίδ' ἀγρίαν τε ποντίαν ἅλα,
Ἰὼ οὗτος ὕστερον κέλης πάροιθεν ἦν
Πίτυς τιναξίφυλλος, ἢ Κυτωρίοις
Πάγοις ἐσύρισ' εὐλάλῳ φόβῃ θαμῶ.
Κύτωρε πυξόδενδρ' Ἀμάστρι ποντικὴ,
Τάδ' εἰδέναι σ' ἅπαντα νῦν τε καὶ πάλαι
Λέγοι κέλης ἄν. εὐθὺς ἐκ γενεθλίων
Τεαῖσί φησιν ἐν νάπαις πεφυκέναι,
Τεοῖσι κλῦσ' ἐν οἴδμασι νέαν πλάτην,
Κλύδωσι δ' ἔνθεν ἐν πολυῤῥόθοις ἑὸν
Πορεῦσ' ἄνακτα, λαιὸς, εἴτε δεξιὸς
Ὄρωρεν οὖρος, εἴτ' ἄημα πόμπιμον
Ἐταινε πλησιλαιφὲς ἀρμένου πόδε.
Ἐπακτίοισι δ' οὔ ποτ' ἐξιτήρια
Θεοῖσιν ἤυξαθ' ὡς ἀπ' ἐσχάτης ἁλός
Ἀφῆκτο τὴν δὲ λιμνίαν ἐς ἠόνα
Τὰ μὲν πάροιθε, νῦν δὲ νηνέμου γέρων
Σχολῆς τέτευχε, σοὶ δὲ κεῖτ' ἀνειμένος
Διός τε κοῦρε, καὶ Διοσκόρου κάσι.

IN OBITVM ELIÆ PVTSCHII.

Ergo tibi, Putschi, magna & præclara minanti
Iniecere auidas inuida fata manus?
Heu vbi sunt fructus, quos me sperare iubebant,
Ah frustrata meam credula vota fidem?
Ille Camœnarum cultis generosus in hortis
Flosculus e tenera surgere iussus humo,
Ortus & oppressus simul est. vna extulit, vna
Abstulit, vt gramen solstitiale, dies

Gloria maturos tibi iam properabat honores:
Ingeniis magnis iam metuendus eras.
Iam tibi discursos spatio vis feruida mentis
Stringebat metas interiore rota.
Iam promittebat facilem Victoria palmam;
Restabant curis præmia danda tuis:
Sed Mors inuidit: ne qui pubentibus annis
Æquasti, posses præteriisse viros.

IN ELEGIAS DAN. HEINSII.

Peste sophistarum, seclique afflata veneno
Pieridum inuisam turba reliquit humum.
Et tibi grata tamen cœptis audacibus Heinsi,
In media surgunt carmina barbaria:
Queis sua postponat quem protulit Vmbria vates;
Et quæ Pelignus dixerit esse suã.
Non secli vitio primos oritura sub ortus,
Sed doctas inter viuere certa manus.
Gratior vt namq; est, quã quas Ver educat almum;
Quæ medio Brumæ sidere nata rosa est:
Sic magis hic fœtus, quam quos vetus edidit ætas,
Virtutum hoc sterili tempore gratus erit.

FINIS.

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI

IVL. CÆS. FIL.

IN Q. ANNÆI SENECÆ TRAGOEDIAS,

Animaduersiones.

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI IVL. CÆS. FIL.

IN SENECÆ TRAGOEDIAS

Animaduersiones.

IN HERCVLEM FVRENTEM.

APVD Euripidem, tragœdia est huic affinis & argumento & nomine; œconomia partim similis, partim dissimilis. Velitatio Amphytrionis cum Lyco apud vtrumque paria facit: sed in decore personæ Amphytrionis longe inferior Seneca; vt in multis aliis. Reliqua studiosi inter se contendere possunt.

Versu 36. patrem probauit] Restituimus ex veteribus libris.

Patrem probaui, gloriæ feci locum;
Quâ Sol relucens, quaque repromens diem,
Binos propinqua tangit Æthiopas pace.

quanto melius quàm vulgati libri?

Vers. 135. Labor exoritur.] pessime vulgo hæc distinguuntur, aliam & meliorem sententiam ita effeceris:

Labor exoritur durus, & omnes
Agitat curas, aperitque domos.
Pastor gelida cana pruina
Grege dimisso pabula carpit.

Clarum enim est quod labor aperiat fores, non pastor.

V. 301. *Sacras Eleusi*] quidam scribit; *Eleusim.* procul dubio, *Eleusin.* ad illustrationem huius loci vide Græcorum Commentarios περὶ δαδουχίας. Item ἴακχε δᾷδα τοῖς μυσταγωγοῖς. hæc omnia ab Epoptis fiebant. In Hippolyto.

Iactare taciti conscias sacris faces.

V. 335. *Iuxta præsides astat Deos*] non bene capitur hic locus vulgo. Præsides Deos vocat, quos aliter præstites, imitatione Græcorum. qui προστατηρίους ab eadem mente vocarunt. Eorum ara iuxta fores posita erat: hæc est de qua intelligit, plura possemus huc congerere, sed studiosi adolescentuli melius hæc meminerint.

V. 711. *Ater quieto*] ita distingue;

Ater quieto similis (hunc iurant Dei)
Tacente fatram deuehens fluuio Styga.

V. 874. *Thebis lata aries abest*] Ab Euripide, vt multa alia: Θήβαις ἰήιον φῶς. Et paulo ante, χορεῖ, χορεῖ δαλίαν μέλουσι Θήβαις. Quod noster: *Solemnes agitent choros.*

V. 1074. *Lenisque fones*] omnino legendum, *fouens.*

V. 1180 *Nunquid infestum Lyci Parentis.*] quidam viri docti emendarunt, *pereuntis*: quod laudamus; sed maxima pars librorum scriptorum habet.

——*nunquid infestum mihi*
Parentis agmen.

Quod cur reiciamus? quis tantam cladem nobis

vobis comparauit? tyrannusne vrbis Argiuæ, an agmen infestum mihi vobis parentis? Id est, Thebarum. Catullus, *Patria o meagenitrix.* In Oetæo.

Rogos in istos terra consurgit parens.

Et, *infestum* propter factionem Lyci: nam seditione vulgi Lycus admissus, nam quare Lycum commemoret, quem iam occiderat? Sed docti iudicent.

V. 1211 *quumque reuocata vice*] velim conuenire conscientiam lectoris, an hæc intelligat: non detinebo eum diutius. vide quam dissimilis hæc sententia:

——quumque reuocata vice
In se coibunt saxa, quæ in cœlum exprimunt.
Aetis vtrinque ruptibus medium mare,
Ego in quieta montium taceam mora,

Symplegades adducuntur a se, & in se rursum coeuntes mare interceptum in cœlum exprimunt. Hercules optat in illa mora, dum coeunt saxa, & mare in cœlum exprimunt, inter illa intercipi, & ita perire in illo quieto momento. nunquid ita sensit Seneca?

IN THYESTEM.

Chorus huius Tragœdiæ constat ex senibus Mycenæis, non ex mulieribus, quod vel ex versu 392. constat. Mycenæos ita intellige, vt etiam Argiui esse possint, quod Poetæ Argos Mycenis confundunt, vt versu 179. Argos nominat. versu 187. Mycenas. Id nos sæpissime notauimus, & iamdudum Strabo monuerat: de tribus

autem Thyestis filiis Plisthenes maximus natu interloquitur: Tantalus autem, & minimus natu inducuntur mutæ personæ.

V. 9. *Semper accrescens iecur*] quomodo hæc lectio defendi possit, & scimus nos quoque, sed quare falsam anteferamus veræ? Eam referunt meliores libri:

Aut pœna Tityi, qui specu vasto patens
Visceribus atras pascit effossis aues,
Et nocte, &c. Vulgaris, & inepta est & non cohæret. Sciolus qui legerat apud Virgilium exporrectum in nouem iugera, putauit non licere Senecæ exporrigere in specu.

V. 134. *Et maior placeat culpa minoribus*] Ridiculum. Seneca scribtum reliquit,

Maiorum & placeat culpa minoribus.

Nimirum obuiam it decreto Megaeræ supra:

Rabies parentum duret, & longum nefas
Erat in nepotes.

Optant igitur senes Argiui ne id accidat.

V. 174. *Altũ de rapido.*] deest finis huic choro.

V. 274. *Animum filio inspira parens.*] Historia aut fabula inexplicabilis.

V. 300. *& faciles capi preces mouebunt*] quis non videt mancam orationem esse? quæ vero inuidia veterem lectionem reponere? *præcommouebunt*, id est, προθεραπεύσουσι. filii mei quos decipiendo patruo delegaui, facile pellicient in sententiam suam patrueles suos, qui deinde patris sui Thyestis animum obstinatum labefactabunt.

V. 387. *Rex est qui metuit nihil*] post hunc versum

versum inserunt quidam veteres codices, *Rex est quique cupit nihil*, est inferiorum temporum, quando *quisque* pro *quisquis* vsurpabatur. itaque non *quique* sed *quisque* scribserat monachus auctor versiculi, nihil verius.

V. 391. *me dulcis saturet quies.*] idem exstitit in Hercule Furente, *me mea tellus.*

Lare secreto, tuoque tegat.

V. 641. *Non thure colimur, nec mea exclusa Ioue ornantur aræ.*] Ad Neronem ne an Domitianum referēda hæc sint, viderit eruditus lector; Certe Romanum Imperatorem hæc spectant non alium.

V. 585. *Regna Laertes.*] Chorus quidē Mycenæorum aut Argiuorum hæc dicit, sed ex persona poetæ: nondū enim Laertes aut notus aut natus erat: sic supra eadē prolepsi dictū accipe.

Nullus nota Quiritibus,

Ætas per tacitum fluat.

V. 600. *Cuius ad nutum*] non dubium ad Neronem referenda. De timore & amore similiū regum externorum erga Neronem, vt propterea fœdus cū eo percusserint, Tiridates etiam diadema ab eo susceperit, habes apud Suetonium & Dionem.

V. 601. *Et Daca Parthis equitem minati*] non plane hæc intelligo; quid est minari equitem? deindē quid Dacis cum Parthis tanto intervallo dissitis?

V. 603. *Cuncta diuitias*] Versus non constat. Vitium igitur in lectione, vt taceam ineptissimam, vel potius nullam sententiam. Recte viri

ſummi Iuſti Lipſii Codex, *Diuinat*, non *diuitias*; confirmatur a vetere codice Colonienſi, vbi *diuinas* legitur. Diuinat caſus mouentes cuncta, & ipſos viciſſim mobiles. Græcus dixiſſet, ὅσα τις τὴν τῶν ἀνθρωπείων παλιμβολίαν. Notum quid Homero, καὶ ὅσα τις. Id eſt, quod hic dicitur, diuinare. Elegantiſſime hoc dictum, vt totus chorus, qui plane diuinus eſt.

V. 643. *habet ſub ictu*] Græcum, ὑπὸ ξυνοῦ ἀκμῆς. In Thebaide 530. *Sceleris ſub ictu.*

V. 648. *Arcano in imo*] interpolatum, reponimus,

Arcana in imo regio ſeceſſus patet.

Tantæ amplitudinis regia, vt in regiones diuiſa. τὸ *patet* ad amplificationem.

V. 693. *accendit ipſe*] repone ex ſcriptis, *Attendit*, in ſacris dicebatur, Hoc AGE, Id eſt, attende. ipſe præcone aut monitore opus non habet. Ipſemet Hoc AGIT.

V. 1083. *Stabant pares Gigantes, hac arma expedi*] male & leguntur & interpunguntur. Scribe,

S. p. Gigantes, hac arma expedi.

Non, *hæc. hac*, ſcilicet dextra.

IN THEBAIDA.

Hæc fabula eſt perpetuum canticum, nullis diuerbiis interruptum, eſt autem totum ſcholaſticum drama, declamatorio charactere, multa putida ſunt & affectata.

V. 12. *qua præruptæ protendit iuga*] poſt hunc verſum reuocandus XXII. qui totam ſententiam ſuſpendit loco alieno poſitus, ita ſcripſit Seneca.

Ibo,

Ibo, ibo, qua prærupta protendit iuga,
Vel qua alta maria vertice immenso premit
Meus Citheron.

scilicet, qua dorsum in lõgum porrigit. *Immenso*, non *immerso*, & sententia postulat, & auctoritas scriptorum codicum comprobat.

V. 65. *Duce e duobus*] inepte, Seneca scripsit,

——quou is vertero.
Duc e duobus, omnis eligitur via.

Elige e duobus, siue in plana, siue in præceps, omnis via mihi eligitur.

V. 128. *Spartamque fratre nobilem gemino colis.*] Castores sunt posteriores Thebanis temporibus. Itaque hic memoriam Senecæ conuenio. Sed quare cum Seneca expostulamus? qui neque huius versiculi, neque antecedentis auctor est, neque sequentis, neque illius, *Serpente notum.* quid est, obsecro vos.

Supplex ad aras quisquis Euroten bibis?

Deinde quis non videt pædagoguli erratum esse, *quicunque Elin, parnason?* vt Seneca ignorauerit primam in *Elin* produci. Denique quis opus Sparta & Elide, vbi tantum de Bœotio, imo de solo Thebano agro mentio est? quis non agnoscit κίβδηλον κόμμα? Seneca profecto ita scriptum reliquit.

——quisquis Assyrio loca
Possessa regi scindis & Bœotios
Colonus agros vberis tondes soli,
Aduerte mentem.

Nam de nemore serpente Cadmi noto, nugæ. Quid est nemus notum serpente Cadmi? an

quia Cadmus in serpẽtem conuersus Hoc contigit in Illyrico, non in Thebano agro. Deinde de Dirce latẽte, fabulæ & somnia. quis vnquam legit Dircen fontem in quodam nemore latuisse, qui fons vsibus vulgi palam expositus erat? nam de quodam fluuio potest dici eius caput latere, fluuium autem ex quodam specu emergere; de fonte non potest, quia paruis terminis circumscribtus. Denique hæc est sententia huius loci. Vos qui colitis Thebanum agrũ, qui vidistis Sphynga, an in illo agro simile mõstro illi vidisse meministis, quod æquet τερατείαν meam? An satis constat de supposititio illo partu quatuor versuum illorum?

V. 178. *Audias verum Oedipum*) alii veteres, *audies verum Oedipum*, alii, *audias verum Oedipe*. Sed sequẽtia satis arguunt γοθεύσεως. Nam acrostichon hoc, versus sequens, & hemistichium sequẽs, sunt infulta, vt vel parum oculato constare posset. ita continuanda erant;

Pressere vultus? nunc manum cerebro indue.

Nobis plane exploratum est & auribus castigatioribus, reliqua aliena esse. Nam quis hæc interpretabitur, Oedipe minus audacter eruisti lumina tua quam præstitisti? quamuis hic multa sunt ex redundãtia declamatoria, tamen hoc superat omnem περιεργίαν scholasticam.

V. 195. *Ipsi, ceu video, nullo est opus*) Hæc etiam quis intelligit? Deinde Seneca non ponit quatuor tempora in quarta sede. scribe, *ipsi ceu Deo, nullo est opus*. Notum μόνος θεὸς ἀνελλιπὴς καὶ καὶ ἀνενδεὴς. Ergo tota sententia ita concipienda.

ipse,

——*ipsi, ceu Deo, nullo est opus.*

Quare ipse mortem cupiat, aut quare petat?

V. 196 *Quare ipse mortem cupiat, aut quare petat?*) interrogatiue legimus. alioqui quis concederet Latine dictum, nullo mihi opus est, quare hoc faciam? nam qui casus omnes proculcando fortunæ nullã sui copiam reliquit, ille tanquam Deus est ἀνενδεής. quare ergo aut cupiat mori, aut mortem sibi consciscat? Vtrumque enim timidi est, vt optime auctor, & cupere mortẽ & mortẽ sibi cõsciscere. Cupere mortem & petere mortẽ, manifesto discrepant, alterũ in fatorum, alterum in nostra potestate situm: tam mehercule differunt, quam votum & potestas. mortem petere est obire: non omnes qui moriuntur optant, aut contra. Virgilius.

——*pulcramq; petunt per vulnera mortem.*

Sed qui mortem petit per impatientiam (hoc Græci dicunt ἀποκαρτερεῖν; cuius prima notio est impatientia) hoc vero ignauiæ est, propter mala mori, quia malis superesse non possit.

V. 230. *Quæ pars meorum*) *qui pars.*

V. 232 *Subinde & aures*) male interpungitur;

——*inhæret ac recrudescit nefas*

subinde, &c.

V. 363 *Felix Agaue*) multa desunt, res ipsa loquitur. porro tertio post anno quã incestum filii agnouit Iocasta, hic vitiu, at in Oedipo agnito facinore statim sibi mortem consciscit.

V. 426. *& inter acies proiciet*) lege, *proiciet*. trisyllabum, vt, *reice capellas*, disyllabum.

V. 456. *Donate matri pacem.*) Ita postulat sen-

tentia: ita habent m ss. Sed lex carminis repugnat. Nam vulgata lectio inepta.

V. 659. *Io. qui vult amari*] inepte hic interiecta Iocastæ persona, quæ pulcerrimam sententiam deformat. Nam omnia ex persona Polynicis ab eo versu 654. *Regnare non vult*, ad illum 660. *præcepta melius*, qui versus est ex persona Iocastæ. quæcunque, inquit, a te dicta sunt, præcepta sunt regni: sed regum est, non tuum, ista edicere. Reges ergo melius præcepta regnandi dabunt quam tu, qui exsul es, ipsi viderint quomodo disponant regna sua, tu quomodo in exsilio degas. Tam tibi præcepta exsilii quam illis imperii opus sunt. Pessime ergo hęc vulgo concipiebantur.

IN HIPPOLYTVM.

V. 4. *quæ saxa solo Carpeneitico*] Ineptissime. repone veterem scribturam: *quæ saxoso loca Parnethi.* Πάρνης Mons Atticæ, vnde merito saxosum vocat Aristophanes νεφέλαις extulit fœminino genere, βλέπε νῦν δεῦρο πρὸς τὴν Πάρνηθα. Sed alibi extulit masculino. ἐς κόρακας ἥξω φέρων τὸ δεῦρο τὸν Πάρνηθ' ὅλον. Scena Athenis: sed apud Euripidem Troezene.

V. 13. *Vbi per glacies leuis Ibissus*] Versus non constat, abest a veteribus libris, & merito, a pædagogulis est. quid est flumen ire per glacies? flumen glaciatum potestne ire?

V. 14. *Vbi Mæander*] quod vllus Mæander fluuius Atticam perfluat, nunquam lego.

V. 28 *Vocat hunc Philipis*] Vox ignota cœlo

Græ-

Græco, proculdubio scribendum *Phibalis*. Aristophanes ἀχαρνεῦσι. ἰσχὰς φιβάλεως. Scholiastes, τόπος μεγάριδος. οἱ δὲ ἀττικῆς. Vnde φιβαλεῖς ἰσχάδες valde commendatæ.

V. 108. *Adiudicatam præsidem*] repone, *adiudicatæ*, ex priscis libris. non enim Minerua terræ adiudicata, sed terra Mineruæ.

V. 119. *Aut quis*] lege *ah quis*.

V. 235. *Resistet ille*] Suspicor legẽdum, *se sistet ille*; neque aliter scripsit Seneca.

V. 260. *Pro castitatis*] qui vel mediocriter Latine sciunt, nunquam hanc lectionem amplectentur: itaque merito doctoribus suspecta fuit: sed male corrigunt, *pro castitate*, quod non magis Latinum est, quam si priore modo legas. Lege bona fide,

Procacitatis vindicem armemus manum.

τῆς ἀσελγείας quid verius?

V. 263. *Haud facile quisquam ad vitam reuocari potest*) quare non viderunt versum πονηροῦ κόμματος? neque ad sententiam facit, neque a bono poeta est. Exsulet igitur;

V. 356. *Altrix profare*) Est chori. Itaque statim poni debet post illud:

Vincit sæuas cura nouercas.

Altrix profare quid feras, quonam in loco est?

Nam Seneca nullas distinctiones actuum reliquit non magis quam Plautus, Terentius, Tragici Græci, Aristophanes. Vides nunc luce tenebras densas discussas. ideo aptissime nutrix respondet choro. *Spes nulla, &c.* Si quis distin-

ctiones istas tam amat, poterit initio scenę chori personam apponere.

Cho. *Altrix p. q. f. q. i. l. e.*

Nv. *Spes. n. t. p. l. m.*

Sed nihil opus, non magis quam fine chori secundi, vbi Senarii vndecim leguntur, qui poterant principio sequentis actus traiici.

V. 361. *Et lapsę genę)* & sententia *lapsę* postulat & attestatur vetus lectio.

V. 437. *Quod te ipse pœnis grauibus infestus grauas)* Versus pædagogicus; vt Seneca pœnam pro labore dixerit? *Infestus grauis grauibus pœnis?* Sat constat inepti hominis esse, qui putauit sententiam suspensam esse; quod etsi prima fronte videtur, nihil tamen eiusmodi.

V. 556. *Taceo nouercas, mitius nil est feris)* Ego hæc non capio. si diceret. mitior mens est feris, melius caperem: aliquid tale poscit sententia.

V. 603. Hip. *animus cupiens)* sequimur meliorum codicum veterum fidem.

Vos testor omnes cœlites, hoc quod volo

Me nolle. Hip. *cupiens aliquid effari nequit.*

Perspicua sententia.

V. 653. *quam placuit hosti)* Antiopæ, ne quid ridiculum imagineris.

V. 801. *Tu licet asperos.)* hæc, & duo sequentes versiculi non sunt Senecæ.

V. 820. *Deformis senii limina transeat)* quid hæc velint viderint acutiores. Ego plane hic Tiresias fum. Clarissimi viri ac nunquam sine laude nominandi Iusti Lipsii liber habet, *deformis senii monstret imaginem:* optime, dixit immensam

mensam formã nunquam impune fuisse, semper enim νεμεσητὸν καὶ θεήλατον sequi. ne hoc Hyppolito accidat, optat ei meliores Deos, & potius vt sibi repræsentet deformis senii imaginem, ne superbiat. quemadmodum in triumphis, ne ex nimia gloria νεμεσητὸν & inuidiosum paterentur, seruus publicus a tergo ad se redire & supra hominem nihil sapere admonebat: ita ergo melior Deus intactum prætereat Hyppolitum, hoc est, ne vlla vindicta aut ira diuina illum perstringat: sed quoties formæ suæ meminerit, toties proponat sibi deformitatem senii, tunc omnem fastum deponet, quia forme bono excitari solet. quam elegantem locum correctores contaminauerunt.

V. 840. *Mersus malorum*) nihil tam auersum a sententia Senecæ, repone scriptam lectionem;

Pars vna vita manfit exstincto mihi,
Sensus malorum: finis Alcides fuit.

Non indiget interprete.

V. 1019. *Latuere nube, numen Epidauri Dei*) lege *nomen*, non *numen*. Petræ nomen Epidauri Dei, ἀρχαϊκῶς, nomine. Virgilius; *nomen Echionius*. item alii poetæ. ἑλληνισμός. Πέτρας τ' ἔνορθε Ἐπιδαύριοι.

V. 1200. *Vltimo quodcumque Proteus aquoris*) Scribe *aquor*.

IN OEDIPVM.

V. 96. *aptaret ales verbera*) quid est *aptare verbera*? scribe, *aptaret alas verbere*. Omnes aues verbere alas aptãt, vt cuiuis notũ, prius enim plau-

dunt alas, antequam eas componant dorso, vt gallus ante cantum. Satis de emendatione constat.

V. 105. *Sceptrum & peremta*) male cum interrogatione vulgo concipitur.

V. 195. *Petitis fontes*) hæc vt pessime distinguũtur, ita pessime cõcipiuntur, legimus ergo, *petit is fontes*. Quorũ, inquit, custos elatus est, qui ægrotorũ effrenos impetus coercebat, eorum alii tanquam libertatem nacti post seruitutem saxa frigida amplectuntur, alius petit fontes: tantus in visceribus, tam in illis; quam in hoc æstuat ardor.

V. 370. *omenta pingues viscerum*) ineptissime, qui scit quid sit omentum, nunquam hoc concederet. repone veterem scribturam, *viscera*. Sane omentum obtendit viscera sinuosam & rugosam pinguedinem suam.

V. 472. *Sensere terræ Zedacum feroces*) nullus est labor diuinare, *sensere terræ te Dacum feroces*. Δᾶκαι & Δάκης dicebant, οἱ Δᾶκες, Δᾶες, Δακᾶι, Δάκοι. tot modis dicebantur.

V. 600. *non tot caducas educat frondes Eryx*) τὸ, *Eryx*, correctorum est. veteres habent, *Oeta*. traiectione igitur restitue.

Non tot caducas Oeta frondes educat.

V. 602. *Quum examen alto nectitur*) βοτρυδὸν Homero. Virgilio, *Uua*.

V. 644. *Et mecum Erinnes.*) Analogia postulat Erinnys ἐερινῦς.

V. 833. *non expedit concutere fælicem statum*) τὸ καλὸν εὖ κεί μενον ἀ κινητέον.

V. 881.

V. 881. *Gratare matri liberis aucta domo*) non est sanus locus. An legendum?

Gratare matri liberis auctæ modo.

IN TROADAS.

Falso Troada vocant hanc fabulam, quum Poeta Troadas inscripserit, exemplo Euripidis, & chorus est Troadum. ineptum est aliter putare.

V. 46. *Aeacidæ armis.*) Seneca scribsit, *Aeacidis armis.* Metaplasmus Latinus, Euripidis, Euclidis, Orestis, Aeacidis. Pro Euripidæ, Euclidæ, Orestæ, Aeacidæ.

V. 50. *Ensis senili tinctus e iugulo redit*) quare hæc lectio suspecta esse debeat, caussa non est. neque enim hoc vult, parum aut multum gladium maduisse sanguine, sed impressum iugulo & e iugulo eductum fuisse, P[illegible]num iugulatum, & nihil aliud loquitur, sequentia adtestantur.

V. 53. *Et quondam sacrum regni iacentis*) interfectus enim ad ipsum sacrum sive sacrarium, id est, aram τῆς ἑστίας, ἤτοι τοῦ κείου διός. infra: *magnoque Iouis victima cæsus.* nam tantum lem est. ad quam inaugurandi reges hinc auspicabantur, vt in Agamemnone;

Hoc est vetustum Pelopeæ limen domus;
Hinc auspicari regium capiti decus
Mos est Pelasgis——

In limine ait auspicari. Si ergo hinc auspicabantur, non obscurum quare vocet sacrum regni. nihil verius.

V. 79. *Miseramque leua Regina manum)* πίτυλον vocat hac in re Euripides: infra: *Vacet ad crebri verbera planctus Furibunda manus.*

V. 98. *coma demisso est libera nodo)* nullus nodus potest dici demissus, sed Seneca scripsit, *demissa*. & hæc est lectio meliorum mss.

V. 191. *non paruo luet iras Achillis Gracia)* repone, *luit*. notum μῆνιν ἀειδε θεὰ, & quam magno illa Græcis constiterit. Hoc vult. sequitur; *At magno luet*, nempe nisi mactetur Polyxena: caueant iterum experiri Achillis iram; interpunge igitur, & ita totum locum lege, pessime vulgo conceptum.

——*non paruo luit*
Iras Achillis Gracia: at magno luet;
Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrrhi m. n. e. t. r.

V. 209. *Triton ab alto)* altum chorum, id est, profundum intelligit Nereidum materterarum Achillis; ab illarum cantibus & choreis cecinisse & ἀντιστρόφους Tritonas vult.

V. 250. *Ætatis alios)* Hæc a Pyrrho dicuntur. *Spiritus quondam truces*, hæc ab Agamemnone.

Py. *Ætatis alios feruor hic primæ rapit,*
Pyrrhum paterna A G. spiritus q. t.

V. 432. *Solisne retro pertum)* vt hæc vulgo distinguuntur, nemo intelligit, personarum vices turbate, ita distinguo.

S E. *solisne retro pertum e. d. t.*
Certe aqua m. e. An *turbat atq; agitat Phrygas.*
Communis t. t.——

V. 473.

V. 473. *sed mei fuit memor*) sum, scilicet, pone τελείαν στιγμὴν.

V. 622. *Reliquit animum.*) malim *deliquit* λιποψυχίαν enim designat.

V. 728. *Hoc fuit illo victore capi*) ineptissima aut nulla sententia. Seneca scripsit. *Profuit illo victore capi.* infra 886. *profuit multis capi.*

V. 743. *Sed nempe tractus ipse*) qui ita conceperant, mentem Senecæ non ceperant. Vide quam differunt.

——*Spiritus genitor facit?*
Sed nempe tractus ipse post Troiam pater
Posuisset animos, magna quos frangunt mala:

Ita sane; Hector qui non est in viuis, quem curru Achilles traxit, ille dat spiritus puero? quod præsidium a mortuo? Sed & ipse Hector si Troiæ superfuisset, posuisset spiritus generosos propter ingentia mala, quæ & superbos quosque animos domare solent.

V. 764. *fletus aerumnas leuat*) succurrunt ex Euripidis Oenomao ista:

Ἀλλ' ὅμως δὲ κἂν κακοῖσιν ἡδονὴ
Θρηνοῖς ὀδύρεσθαι, δακρύων τ' ὄμβρους.
Ἀλγηδόνας γὰρ ταῦτα κουφίζει φρενῶν,
Καὶ καρδίας ἔλυσε τὰς ἄγαν πόνους.

V. 776. *nec festo lustri die*] aut sequenti versu legendum *festis*, aut *ludi*, ne insuauis repetitio male respondet. πενταετηρίδα πανήγυριν quandam designat, qualē omnes gētes Græcæ & Asiaticæ habebant, in eiusmodi pentæteridib. ludi equestres fiebant a iunioribus & pueris, vt Panathenaicis in Attica. Vide Suidam παναθήναια & alios.

V.843. *liberos Troas vide*) ad animum Senecæ melius erat, *vise Troas liberos*. ita maluissem, si auctor fuissem Tragœdiæ.

V.843. *Nunquid Aiacis Salamina veri?*) sine dubio scribendum. *Veram*. Manilius.

Vera Syracusis Salamis non merget Athenas. Lucanus.

Tresq; petunt veram credi Salamina carinæ. Sed quare Salamin dicta vera? quæratur igitur. vide notas in v. Manilii. Deest vero hic saltem versus vnus aut duo. aliter transitus nominatiui ad accusatiuum non cohæret, tale aliquid;

Quoue iactatæ pelago feremur
Exsules ad quæ loca? quas ad vrbes?
Nunquid Aiacis Salamina veram?

V.996. *Dumque ista venient*) neque hunc neque sequentem intelligo, & antecedentes parum cohærent. Sed qui ista alieno loco posuerant, non intelligebant quantum tenebrarum ex luculento loco conciuerint. infra suis sedibus hi versus restituentur. interea ita Seneca hæc continuabat.

Duc, duc, Vlysse, nil moror, dominum sequor.
Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu.

V.1007. *Meæ precabor*) post hunc versum conniciendi erant quinque versus, quos alieno loco positos indicauimus.

——quid preces vobis? precor
His digna sacris æquora. hoc classi accidat,
Meæ precabor, quum vehar quidquid rati.
Me mea sequantur fata, non pelago quies
Tranquilla veniat, sæuiat ventis mare,

Et

Et bella, & ignis & mea & Priami mala.
Dumq; ista veniẽt interim hæc pœna in lucro est;
Sortem occupaui, præmium eripui mihi.

Has imprecationes post illum vltimum versiculum adiiciendas esse, tenor sententiæ docet & claritas verborum reddita. est locus luculentissimus. Tale ille:

Litora litoribus contraria fluctibus vndas
Imprecor.

Interim hæc pœna in loco est) ineptissime. nos scimus ab auctore scriptum, *in lucro est*, quod iam supplicia ante omnes patimur, hoc deputamus in lucro. nobis hoc nouum non est qui iterum miseri esse non possumus.

Sortem occupaui præmium eripuit mihi) legendum *eripui*. ab athletis translatum qui sæpenumero extra sortem victori securo præmium eripiebant, quod ἐξωθεῖν τὴν ἀνήπαλον dicebatur. de pugna extra sortem M. Seneca. *Tertius sine sorte pugnasti, & vtrumque vicisti.* de erepto præmio Pausanias. ὡς γὰρ δὴ πρὸς τὸν καταλειπόμενον ἐπὶ τῶν ἀνταγωνιστῶν ἐμάχετο ὑπὲρ τοῦ κοτίνου, ὁ μὲν προέλαβεν, ὅστις δὴ ὁ ἀνταγωνιζόμενος, καὶ τοῖς ποσὶν Ἀρραχίωνα εἶχεν ἐξωκώς, &c, vnde ἀνέξωστος pro ἀνίκητος. In veteri inscriptione Romana. Nemo miseriis me vincere potest: Ego in hac re palmarium omnibus præripui, qui aliquo in his literis iudicio sunt, ita a Seneca hunc locum relictum non negabunt.

V. 1026. *qui secans fluctum rate singulari*) μονόκωπος ἀνήρ. Euripides Helena.

V. 1041. *Soluet hunc quæstum*) neque hoc

ſatis eleganter. repone ex veteribus *ſoluet hunc coetum.* hanc turbam ſparget tempeſtas huc illuc, & conſequenter lacrimas noſtras.

V. 1075. *Effuſa ducum*] *affuſa*, libri.

V. 1162. *abduxit ſtatim*] quid hic verbum alieno ſenſu? Emenda, *Obduxit*, Obducere eſt vno hauſtu ebibere.

IN MEDEAM.

Scena Corinthi; ideo chorus ciuium Corinthiorum.

V. 106. *Nunc primum ſoceris ſponte volentibus*) malo, *ſponſe volentibus.* Hic & ſuperiore verſu quid ſit prendere, ſcit, qui non ignorat, quid apud Poetas μαστῶν δραγμὸς.

V. 152. *patiente & æquo motus*) omnino legendum, *mutus.* nam illud confirmat; *profeſſa perdunt odia vindictæ locum.*

V. 195. *æquum atque iniquum regis imperium feras*) δοῦλε δεσποτῶν ἄκουε καὶ δίκαια κἄδικα Æſchylus Prometheo.

V. 298 (*Clarus priuſquam Phœbus attollat diē*) ab Euripide εἴσ' ἢ πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ θανῇ.

V. 311. *nondum Pleiades.*) pro Pleiades hibernæ aut aliud epitheton nauium deeſt. Locus ſuſpectus deſignandus aſteriſco.

V. 455. *Per quas reuexi nobiles regum manus*) imo *nobilem regum manum*, Argonautas ſcilicet.

V. 465. *ingratū caput, reuoluat animus*) ex Ennio in Medea;

Non memoro quod draconis ſæui ſopiui impetum,
Nō quod vnos domaui & ſegetis armatæ manus.

quæ fuſius Euripides, vnde acceperat.

V. 477.

V. 477. *alienaque sequens regna*) subaudiendū τὸ *quod*. quod sæpe fecit Manilius antiquior Seneca. Vide notas in Manilium, reuoluat, inquit, animus igneos tauri habitus, & alia beneficia, & denique quod regnum meum deserens alieno me commisi. ita, quod, cui, vt, & similia supprimebantur, ita tamē vt propter vsum nemini obscura esset locutio.

V. 486. *ornamus auro nemora*) quomodo hæc cohærent cum superioribus? error commissus in versiculo antecedente, in veteribus enim libris omnibus legitur, *quasque referta*, non, *referta quasque*, sed τὸ *quasque* potest esse *quasque*. potest etiam, *quas quod*, vt sententia postulat, quam pulcerrimam ita effeceris:

quas quod referta vix domus gazas capit,
ornamus auro nemora ——

Ex superflua gaza & auro, quod domibus plenis capi non potest, ornari nemora dicit.

V. 489. *reddi fugienti sua*) lege Romana, quod culpa Iasonis diuortium interuenerat, non Medeæ.

V. 494. *hoc suades mihi*) male distinguūtur.

——*hoc suades mihi,*
Præstas (creusæ) pellicem inuisam amoues.

V. 496. *Medea amores obicis*) ἐμφατικώτερον, veteres,

Medea amores obicit?

V. 508. *Regina natis*) male in antiquioribus editionibus hæc Iasoni attribuuntur, etiam in ms. Recte in manuscripto Lipsiensi continuantur sub persona Medeæ: Sed neque illa penitus

a malis interpunctionibus sana, ita igitur impotens animus abiurat.

Meis Creusa liberis fratres dabit,
Regina gnatis exsulum, afflictis potens?
Non veniat unquam.

Quasi dicat, liberi matris exsulis seruient reginæ, afflicti beatæ. In Oetæo:

Iole meis captiua germanos dabit
Natis, Iouisque fiet e famula nurus.

Sed contrarium, nam liberi Medeæ e liberis famuli, istius e famula matre liberi. quis hanc lectionem audet improbare? immo inepta erat vulgaris. *Misceat*, dixit,

Phœbi nepotes Sisyphi nepotibus.

Quare non hoc quoque attribuitur personę Iasonis? sine hoc, nec illud quoque.

V. 515. *quid facere possim*] in omnibus his decem tragœdiis non est locus contaminatior, intricatior, obscurior, quē frustra quis ita vt hodie legitur, postulet se intelligere, totum vitium est in interpunctionibus, quas ita restitue.

Ia. *Quid facere possim, eloquere, prome vel scel°.*
Hinc rex & illinc est & his maior metus,
Medea. Me. *nos contigere, certemus, sine;*
Sit pretium Iason.

Primum rogat Iasonem, vt sibi indulgeat eam moram quam iam concessit supplici Creon. Iason negat se posse facere, quo minus is possit, allegat omnia quæ contra illam & pro se faciunt. Primum scelus, hoc est, suspicio sceleris, a quo nunquam eam abstinere posse certum est. deinde duo potentes reges imminentes, Acastus a Thessa-

Thessalis, a Corinthiis Creon, & his omnibus alia magis metuenda quæ dicere compendi facit. Illa; hoc metuis Iason? quietus esto; hoc metu te libero: concede hanc moram, in qua tantisper colligere possim me, vt certemus ego & illi reges. Iason in medio positus pro quo certabitur erit pretium victoriæ. Qui aliquo iudicio sunt, hanc verâ huius loci sententiam esse dicent.

Pro me vel scelus] pro me facit scelus in te suspectum, metus sceleris.

Est & his maior metus Medea] & Medea, quam magis quam ipsos reges timeo, quæ semper regibus suspecta, me quoque metuendum illis faciet. Ita potest intelligi: sed sine dubio *Medea* est vocandi casu. & multa alia, o Medea, quæ plusquam reges timeo, quæcunque illa sint,

Nos conligere] Hic interponenda persona Medeæ: legendum vero vna litera minus, *conligere*. permitte me conligere vires & animum, da spartium conligendi me, vt certemus reges & ego: faciam ne te moræ concessæ pœnitcat. quibus illa congruunt, *His adice Colchos*, &c.

Sit pretium Iason.] vt in medio positus & pro quo susceptum certamen Ouidius:

Quum pretium pugnæ toto nitidissima saltu
Expetitur coniux.

V. 661 *fulmine & Ponto moriens Oileus*] Non Oileus sed Oilei filius fic Virgilius, *Pollucis habenis*, immo Castoris. alia similia apud Poetas. Dione quoties pro Venere?

V. 775. *Vestris istic perfidi sanguis inest*] lege, *sanies; inest*, *Quam Nessius*.

V. 975 *fortis armigeris cohors)* mallem, *armigerum.*

V. 998 *Iusta iam functis habent)* quid est, *habent iusta functis?* nugæ scribæ, *iusta iam funeris*, aut, *iusta funebria*, neque aliter vocantur.

V. 1014. *iam perage)* quis Oedipus hæc interpretabitur; Primum male interrupta sunt hæc, deinde deprauata, legendum enim secundo versu, *supplici dona meis.* Vide igitur quanta lux affulsit.

Scrutabor ense viscera, & ferro extraham.
Iam perage cœptũ facinus. Haud vltra, precor,
Moramq; saltem supplici dona meis.
Perfruere lento scelere, ne propera, dolor,
Meus dies est.

Per omnia hæc optat lentum supplicium suis. o dolor, perage facinus haud vltra, sed intra fines & modum, quantum sat explendæ vindictæ.

IN AGAMEMNONEM.

Scena Argis vel Mycenis, vtrobi nihil refert, vt in Thieste notauimus. Duo chori Achiuarũ & Troadũ, quod minus ab aliis animaduersum.

V. 28. *nec hactenus fortuna maculauit patrem)* ex sequentibus constat legendum, *cortina*, non *fortuna.* nam quæ iussit patrem deuorare natos, eadem iussit vt pater cum filia coiret. infra 38. *fortis incestæ*, id est, oraculi, quod stuprum iussit. Et in hac eadem tragœdia Ægisthus,

——*Auctore Phœbo gignor.*

Quomodo auctore oraculo Thyestes epulatus sit liberos, nusquam lego, quomodo eodem ora-

oraculo Thyestes cum filia concubuerit, exstant vestigia apud Hyginum Fabula XXCVII. Omnino nobis constat, *Cortina*, non *fortuna* scribisse Senecam, quum manifesto Thyestes per eundem casum imperatus epulationem filiorum, per quem etiam postea iussus incestus fuit. atqui per cortinam. ergo & epulatio filiorum per cortinam.

V. 149 *quod meruit auget*) repone ex fide mss. *quod metuit.*

V. 200. *commori cum quo velis*) ἀλλωΐζει. σωθανεῖν ᾧ ἂν θέλοις, Id est, σὺν θανεῖν αὐτῷ, ὃν ἂν θέλοις θανεῖν.

V. 562. *hinc scelere Lemnon nobilem. hinc Chalcida*) Aspiratio hic est vice positionis, vt sæpe apud Prudentium. nam perperam quidam Codices habent *Chalcedona*, quasi Chalcedon aut Aulis vicinæ sint. Hic in Octauia.

Tristes Philippi. hausit & Siculum mare.

V. 573. *postquam lustratum est*) notabis morem vetustissimum, iratum pelagus expiari siue lustrari solitum: habes in historia Ionæ. alii caput radebant, vt apud Petronium, vbi etiam verberibus aliquorum tutela nauis placatur.

V. 600. *Contemtor*) Virgilii & Ouidii tam in operibus Philosophicis quam in istis Tragœdiis & studiosum & imitatorem semper se prodit. hic locus plane est ex illo:

——*strepitumque Acherontis auari*
Subiecit pedibus.

Quam Epicuream sententiam Virgilius a magistro suo Scirone didicerat. Epicuri autem &

Metrodori adeo studiosus fuit Seneca, vt nescio quare Stoicum quidam illũ malint quam Epicureum, quod eius Epistolæ palam clamant. Itaque *leuium Deorum* ex Epicureis hausit.

V. 685. *Pectore rauco.*] Buxum ferire est canere? quis crederet, nisi qui veteris codicis Lipsiani lectionem repudiauerit? *Pectora rauco concita buxo ferit.* ferit pinu pectora incita rauca tibia,

V. 707 *stetere vittæ*] contrarium iam dixerat: *Sed cur sacratas deripis capiti infulas?* an dicemus reposuisse? an μνημονικὸν σφάλμα?

IN OCTAVIAM.

V. 227. *Vidimus cœlo iubar*] Cometes hic accidit Nerone IIII. Cor. Cosso Coss. anno Christi vulgari LX. Ex his plane apparet auctorem tragœdiæ illud sidus vidisse, vt taceam stylum, non Hadriani tempore vt somniant Critici sed eundem cum Senecæ. *Frigido Arctoo*, pro frigore Arctoo satis noue dixit.

V. 237. *templis expulit superos suis*] de eodem in Thyeste,

——*nec meæ excluso Ioue*
Ornantur aræ.——

V. 244. *Vtinam suorũ facinorum*] Hæc omnia dicuntur ex nutricis persona, vtinam, vt optas, fulmine petatur, hoc melius exspectare, & fatis cedere, quam vi experiri.

V. 245. *Nero ipse Diuo*] neque opus erat Neronis nomen repetere, neq; Domitius vnquam Diuus fuit. Omnes scribti codices quibus vsus est

est Hieronymus Commelinus, quem hominem instaurandis literis natum lues in Germania abstulit, habebant, *Nero insidiuo*, quod proculdubio est pro *insitiuo*. Alludit liber Lipsianus qui habet, *Nero nisi duo*, nos non dubitamus veram lectionem esse, *Genere insitiuo*. Quam enim ineptum est Neronis hic nomen repetere, quum de eo sermo sit, vt nemo dubitet de quo agatur?

V. 373. *inter Corsici rupes maris*] vide Epigramma Senecæ ipsius, in Catalectis,

Corsica Phocæo tellus habitata colono.

V. 382. *qui sese nescit*] scribe, *qui si senescit*. qui mundus si, vt quidam volunt, aliquando interiturus est, nunc vero tempus est quo illud euenire oportet.

V. 572. NE. *Exprimere ius est ferro, quod nequeunt preces*] & versus vitiosus & sentētia. scribo, vt scribsit auctor,

Exprimere ius est facere quod nequeunt preces.

Quid faciunt preces? Eblandiuntur. quid ferrum? Exprimit. vis adhibenda, vbi preces locum non habent.

V. 578. *ætasque frangant*] pessime concipiuntur. scribe.

——*merita te Diui patris,*

Ætasque frangat coniugis, probitas, pudor.

V. 784. *aut ara fulgens*] mendose, lege, *aut aere fulgens*.

V. 787. *Membra per partes trahunt diducta laqueis.*] immo, *deducta*, καθαιρεθέντα, ex alto deposita per partes, μελεῖστί.

V. 876. *tu quoque lenis*) falso in vetustioribus editionibus *lenir*.

IN HERCVLEM OETÆVM.

In hac tragœdia duo chori, alter Oechalidum virginum, alter Ætolarum mulierum. Iole & chorus Oechalidum virginum sunt παρατικὰ πρόσωπα Scenæ Trachiniæ, vt apud Sophoclem.

V. 36. *nam quis inuadet mala*) nisi solus Hercules scilicet, ille inuadet omnem pestem primus, non alius hanc laudem occupet, aut præripiat. Sequentia interpretantur. nemo potest hanc laudē inuadere præter Herculem, qui solus Iunonis odio dignus. Quare de tam eleganti loco dubitent quidam, causam non dispicio.

V. 40 *frigidum Scythicæ*) repone, *Scythæ*, vt quidam codices habent. frigidum genus Scythiæ subditum Vrsæ. si: V. 1697 *Vtrumq; Phœbi lutus & Scythæ genus.*

V. 81. *Vna iam tellus erit.*) Certe si Pelorus tangat Italicum latus, vna tellus erit. quid igitur noui miratur? atqui hoc volebat. Iungatur Siculum latus Italico: disiungam. si dixisset, vna iam tellus sit, præstitisset quod vult. Sed ego adhuc quæro huic loco interpretem. pro illo verbo, *erit*, aliud scripserat Seneca.

V. 102. *qua templa tollens ara Cenæi Iouis*) quænam ara potest attollere templum? an templa sunt in aris? Ego puto ita legendum:

Qua templa tollens acra Cenæi Iouis
Austro tumendum spectat Euboicum mare.

Nam

Nam vocatur acra Cenæa, vt acron Cenæon. An non eodem modo dicta *acra Iapygia*. Plinio.

V. 103. *Astro timendum*] ineptissime. recte alii *Austro*. flante Austro. nam nullum astrum potest intelligi κατ' ἐξοχὴν præter Caniculam, idque cum delectu.

V. 107. *quisquis sub pedibus.*] ad verbum ex Virgilio, cuius studiosissimus fuit Seneca.

——*Strepitumque Acherontis auari*
Subiecit pedibus.——

V. 124. *heu locus & siluis dabitur*] docti viderint quomodo hæc legenda sint, si non ita, vt putamus nos,

Stamus, nec patriæ mœnibus heu locus,
At siluis dabitur.

Quæ coniectura ex sequentibus mirifice confirmatur. nos stamus, patriæ mœnia non stant, quibus locus non dabitur, sed siluescet ille locus.

V. 160. *Vicino Nabathæ vulnera dirigit Parthus*] Itane Parthus vicinus Medis & Hyrcanis erit vicinus Nabathæis Arabibus, quorum vrbis Petra? Nugæ. Et male intelligit locum Ouidii:

Eurus in Auroram Nabathæaq; regna recessit.

Nam respectu Italiæ Nabathæi sunt Orientales, non sunt audiendi qui excusant.

V. 168. *supra Thessalios*] subaudiendum τὸ *qui*, vt alibi notauimus.

V. 190. *Thessala Siren*] quare Thessala? Causam quæro.

V. 227. *fugiat vultus fortuna prior*] importuna interpunctio totam sententiam perturbauit

vsque ad ea, *qui tulit* pro quo *pertulit* legendum. Ita loc' luce clarior, fugiat vultus fortuna prior. caue præ te feras eam fuisse quæ antea. fugiat vultus tuos fortuna prior. Dissimula toto vultu & gestu fortunam priorem.

V. 262. *hoc specu immenso exeat*] repone, *hoc sinu*. Ex omnibus scriptis, id est, sinuosus serpens. vel si mauis, intellige sinus terræ, quod ex sequentibus confirmatur.

Quid excutis telluris extrema sinus?

V. 280. *Non flamma*] merito hæc lectorem remorantur, sed pessime concipiuntur. vna τελεία σιγμὴ totum negotium transiget, & miram sententiam reddet.

Non flamma cursus. —— *non* immo potius.

V. 286. *quicquid est victum, ibi*] longe melius veteres.

—— *quicquid inuictum est tibi.*

V. 397. *Præclara totis*] otas gentes noue dixit, pro omnibus. Contra *omne* pro toto vsurpabant. Cæsar, *Omnis Gallia*, πᾶσα γαλατία, Id est, ὅλη.

V. 399. *quo nimis quisquis Deos*] & hæc quis interpretabitur? omnes fere mss. habent, *quia*, Lipsianus *quicquam*, pro *quisquis*. quis dubitauerit hanc esse veram lectionem? quid veram? immo elegantissimam:

Thalamosque nostros inuido fato nurus
Optabat omnis, quia nimis quicquam deos
Orabat vllos ——

Thalamos inuido fato, τοὺς ἐπιφθόνους γάμους. nimis deos orare, est Græcorum τὸ κρεῖττον ἀχῆς.

quæ-

quæcumque immodica vota diis concipiebat, nihil magis optabat quam nubtias nostras: hoc votorum omnium immoderatorum meta.

V. 402. *sub hoc mundo*] mundus pro cœlo, notatum in v. in Manilium. ignoratio huius leuiculæ rei graues errores parit.

V. 406. *leuis est*] ἀλλοπρόσαλλος, *multiuolus*, Catullo. multas amãs, & pristinam gratiam nouo amore mutans. infra ad eam mentem.

——Et coniux leuis
Aliam parenti dederit altisono manum.

V. 463. *nihilq; leges ad meos cantus tenent*] quis te intelligit, o Tragice, si ita scribsisti? nos scimus te ita scribtum reliquisse;

Nihilque leges ac meos cantus tenet.

V. 481. *interim scelus est fides*] τὸ *interim* in ea significatione raro leges. inf. eodẽ modo vsurpat.

V. 928. *interim pœna est mori*, Id est hactenus.

V. 482. *nequis arcana occupet*] scribe *aucupet*. Plautus, *——nunquis nostris auceps verbis?*

V. 531. *hoc nulla lux cospiciat*] ad verbũ a Sophoc.

Μήδ' ὄψεται νιν μήτε φέγγος ἡλίου,
Μήτ' ἕρκος ἱερὸν, μήτ' ἐφέστιον σέλας.

Sed hic a Nesso hæc præcipiuntur Deianiræ: apud Sophoclem Deianira præcipit Lichæ.

V. 545 *quod tuæ nondum manus misere in aliquem*] ἀβλῆτα υἱστὸν ἀβλῆτα, Poetæ.

V. 657. *aurea misces pocula sanguis*] a Poetis Græcis hæc locutio: αἷμα κεράννυται σκύφον.

V. 811. *Hac manu, inquit, hac ferar (o fata) victus*] Hæc est lectio libri Lipsiani, quam sequimur. quis improbare audeat?

V. 885. *Erroris istuc omne quodcumque est nefas*] clarius,

Erroris est hoc omne quodcumque est nefas.

V. 894 *quæcumq; natum sepelit, hæc vixit diu*] ridiculum. Scribe:

Quamcumque natum sepelit, hæc vixit diu.

Sententia aperta.

V. 896. *Scelere te, misera, arguis*] Barbarismus, libri veteres omnes, *sceleris*, non, *scelere*. Sed mutauit locum; restitue:

Si te ipsa damnas, misera sceleris te arguis.

V. 928 *interim pœna est mori*] eatenus est mors, quatenus cupiens mori vetatur: tunc mors quæ concessa beneficii loco est, cadit in pœnam. supra de hac voce, *interim*, monuimus. nam vulgo non capitur. adnotent studiosi.

V. 929. N v. *sed sæpe donum.*] dele personã nutricis: Nam a Deianira continuantur. Sententia plana est & elegãs, ex iis quæ supra exposuimus. pœna est mors, quæ tamẽ sæpe in partem veniæ cõcedit: notum Tiberii mortẽ reo negantis, *rondũ mecũ ingratiã rediit*. Totus hic locus male vulgo, vt mihi videtur, cõcipitur, sed veteres editiones hæc continuant sub persona Deianirę.

V. 1042. *Et silua residens venit*] ineptissime. scribo, ——*Et siluas resides vehit.* resides siluas, vt *flumen liquido amne currit.*

V. 1212. *si tua caussa est miseranda necis*] suspicor scribendum, *si caussa tuæ est miseranda necis.* nam prorsus inepta est vulgata lectio.

V. 1273. *summe protector poli*] Etiamsi non accederet veterum Codicum auctoritas, tamen procli-

procliue est diuinare, *pro rector*, legendum. Sed *summe pro rector*, nunquam recte posse dici concedemus, an legendum *summa?* nihil me vidit flentem, restat vt terræ summa & vltima omnium hoc videat.

V. 1360. *quæ plaga inferni poli*] repone ex scriptis, *igniferi poli*. Egregius locus veteris Astrologiæ, quæ putabat semper diem stare & nũquam currere sub ardenti plaga. Ausonius:

Semper vbi æterna vertigine clara nitet lux.

& Seneca infra V. 1698.

Et omnis ardens ora quam torret dies,

scilicet perpetuus. alioquin vbicunque est dies, ibi essent torridæ plagæ.

V. 1487. *Est clara capitas inter incultas*] *tò incultas*, ferit aures criticas, & merito. Sed doctissimi viri ea commenti sunt, quæ nunquam in mentem poterant venerant? quis non videt ductus literarum retinere vestigia veri, & *Oechalias* legendum? satis veritas seipsam tuetur.

V. 1488. *regumque referens*] repone, *regemque*, longe melius quam doctissimorum commenta. *Genus regemq;* ἓν διὰ δυοῖν, regium genus.

V. 1522. *quique sub plaustro patiuntur vrsa*] *tò patiuntur* repetitum ex antecedente: quod quem locum habere hic possit, viderit Critice. nos scimus auctorem scribsisse, *parturiunt*.

V. 1588. *habeat nec vlla*] nihil mutandum. nam quinque tempora hic sunt, quot requirit sedes versus sic Horatius, *Nec Martiales hœdilia lupos.* est ἰσοχρονία:

V. 1590. *Semper intensum tenuisse ferrũ*] Et hæc

quoque lectio immerito doctis suspecta. quia? inrendere alicui & intetare ferrum negatis Latine dici? quod intensum & intentum ἀδιαφόρως vsurparent, auctores veteres Grammatici.

V. 1609. *qui sub occasu Hercules*] τὸ *ille* quod antecedit, est Hercules, quare statim importune iteratur. lege, *Herculis*. pusilla menda, non parui momenti.

V. 1612. *quod vnum in orbe*] non omnib. hæc obuia. Venire in orbe hic auctor vsurpat, pro, ϕ Græci ὁμόσε χωρεῖν, cominus pugnare, manus conserere. Supra v. 1399. *in orbe mecum veniat*. Hoc genus loquendi nusquam alibi legi, quod equidem meminerim. Vnum, inquit, malum restabat, quod cum Hercule hactenus congressus nunquam fuerat, nempe ignis, ϕ fuit supremum athlorũ Herculis. Quanquam hæc locutio rara, tamen non obscurũ vnde manarit. Metaphora enim a duobus pugilib. qui se circumscribunt orbe aut lineis, quas transire nõ liceat. Huc pertinet prouerbium ὑπὲρ τὰ σκέμματα, & Tertulliani præducere lineas ad dimicandum.

V. 1618. *flexit hinc pinum ferox a. m. & n. d. m. vocat*] hæc prætereuntur tanquam obuia, quibus ne Cimmeriæ quidem tenebræ obscuriores. quid moramur lector? an nõ ita scripsit poeta?

——*Flexit hinc pinu ferox*
Astris minantem nube de media comam.

Id est, flexit, & inclinauit verticem cadendo.

V. 1623. *Vtraq; totos*] melius, *Vtraq; totum*.

V. 1678. *Credo triumphis*] inepte. Scribe, *Credo triumphas*. antecedentia confirmant.

ASI-

ASINII CORNELII GALLI ELEGIA ET EPIGRAMMATA TRIA CVM ANIMADVERSIONIBVS IOSEPHI IVSTI SCALIGERI

IVL. CÆS. FIL.

Ad amplissimum virum

CLAVDIVM PVTEANVM

Consiliarium Regium in suprema Curia Parisiensi.

ASINII CORNELII GALLI ELEGIA ET EPIGRAMMATA.

Elegia.

Non fuit Arsacidum tanti expugnare Seleucen
Italaque victori signa referre Ioui:
Vt desiderio nostri, curaque Lycoris
Heu iaceat mensis pœne sepulta nouem.
Nec tantum morbus, quantum grauat ira parentis:
Sic premitur geminis vna puella malis.
Æquata tamẽ matris causſa est: cupit illa paternam
Impleat vt pulcra filia prole domum.
Quid, quod lena meos auertere tentat amores,
Portat & occulto grandia dona sinu?
Et iuuenem laudat, qui munera miſit, ab alta
Indole .....
Candida quod nulla lanugine veſtiat ora,
Quod fluat ex toto vertice flaua coma,
Quod cithara, cantuſq; ſcuens: deinde horrida bella,
Atque ingrata notat tempora militiæ.
Me quoque iam canis narrat ſplendere capillis,
Et quod..... vulnere tardus eam.
Multa quoq; affingit, mentitur, & omnia, fluxa
Quam vereor ne ſit noſtra puella fide.
Fœmina natura varium & mutabile ſemper:
Diligat, ambiguum est, oderit anne magis.
Nil adeo medium .....
Et tantum conſtans in leuitate ſua.

Filius Europæ Minos, seu poneret arcum,
Siue comam premeret casside, pulcer erat,
Non prius e muris pugnantem regia virgo
Viderat, ac dirus crimina fecit Amor.
Acer Amor Deus est, fetas domat ille Leænas;
Excuset facinus vindice Scylla deo.
Aspius æternam seruet ni Iupiter vrbem,
Scilicet occiderat virginis illa dolo.
Sic pereat, patrias quicumque insanus in arces
Mente ruit, pœnas vt scelerata dedit.
Obruta virgo iacet, seruat quoque nomina turris
Illa, triumphator Iupiter vnde tonat.
Quid loquor ah demens? rosea nec flore iuuenta,
Nec capitur missis lux mea muneribus.
Non patris imperium, matris non aspera iussa
Sollicitant: firmo pectore durat Amor.
Non secus Ægæo moles obiecta fragori,
Illa manet frustra venius & vnda furit:
Nec minus, vt vires paulatim colligit ignis,
Purior accenso fumite flamma micat.
Illa meos reditus spe non præsumit inani,
Et fouet in tacito gaudia certa sinu.
Me vocat absentem, me me suspirat in vnum,
Et de me noctes cogitat, atque dies.
Quin etiam argento, puroque intexitur auro
Altera iam castris parta lacerna meis.
Illic bellantum iuuenum studiosa figuras,
Atque aud ta leui prælia pingit acu.
Pingit & Euphratis currentes mollius vndas,
Victricesque Aquilas sub duce Ventidio,
Quas nunc Crassorum manes, direptaque signa
Vindicat Augusti Cæsaris auspicijs.

Parthe

Parthe tumens animis, & nostra cade superbe,
Hic quoque Romano stratus ab hoste iaces.
At mea cum primis victrix apparet imago,
Exigit hoc pietas & bene fidus amor.
Ipsa quoque exprimitur deiecto pallida vultu,
Stat lacrymans, & me pœne vocare putes.
Quam bene cum ferrum nõdum prodiret in auras,
Omnia pacis erant; & sua cuique satis.
Dives erat, si quis, parui possessor agelli,
Seuerat ille prius, deinde coquebat olus.
Non locus inuidiæ; quamuis vicinus abunde
Et pecus, & messes, mustaque haberet ager.
Liber amor, nulli mulier suspecta marito:
Casta satis, norat si qua negare palam.
Tunc Venus,.... spirabat dulciter ignes,
Spiculaque in siluis tuta vibrabat Amor.
Cur mihi non illis nasci mea vita diebus
Contigit? inuidit quis bona tanta Deus?
O niueas luces, o tempora dulcia; vere
Aurea Saturni secla fuere senis.
Nunc ferrum erupit, rabiesque asperrima ferri:
Nunc furor & cædes.....
Forsan & hic noster tinget cruor hospitis arma,
Aut cadet vnanimis frater ab ense meo.
Quid mihi cum bello? pugnent, quibus inclita regna,
Aut quibus.....Marte petuntur opes.
Non alias pugnas aliis pugnemus in armis:
Iussit Amor lituos, & fera signa canat.
Fortis ad occasum ni pugnem solis ab ortu,
Detrahat ignauo protinus arma Venus.
Sin cadat ex votis, & res bene gesta feratur,
Cesserit emerito cara puella mihi.

Quam.....sinu.cui basia iungam,
Dum lateri vires, nec sit amare pudor.
Tunc me vina iuuent nardo confusa, rosisque,
Sertaque, & vnguentis sordida facta coma.
Nec domina pudeat gremio captare soporem,
Surgere nec media iam veniente die.
Si quis amore vacans irriserit, imprecor illi,
Ardeat, &, quid sit, discat, amare senex.
Seruus & vt nostros in cassum laudet amores,
Et sapit hic, dicat, saucius igne nouo.
Heu male, (credo mihi) si quis sua gaudia differt,
Dum loquimur, nox est, mortis & vmbra venit.

EPIGRAMMATA
sine titulo.

Occurris cum mane mihi, ni purior ipsa
Luce noua exoreris, lux mea, dispeream.
Quod si nocte venis, iam vero ignoscite Diui,
Talis ab occiduis Hesperus exit aquis.

DE DVABVS SORORIBVS MERETRICVLIS

Ex Illyrio, Gentia & Chloe, quæ Romana castra cum matre lena sequerentur.

.....matris amor, deliciumque meum.
Nec vero inter vos odio certate sorores,
Vtrius alba magis, vel minus atra cutis.
Hoc vnum certate, suos magis vrat amores,
Altera nonne oculis, altera nonne comis.
Aine coma ex auro flaua est tibi Gentia? an auri
Ex ipsa magis est bracteo flaua coma?

E Bero-

E Beronicæo detonsum vertice crinem
Retulit esuriens Gracus in astra Conon.
Gentia rapta tibi fiat coma protinus astrum,
Et regat Illyricas certior vrsa rates.
Cum quatit, & caudam Iunonius explicat ales,
Mille oculos, gemmas mille decenter habet.
.....huc illuc fluctat ocellos
Hinc illinc videas currere mille faces.

IN IMAGINEM PVELLÆ.

Sofrides si virgo faces iacularis ocellis,
Et tua nescio quo murmure labra sonant:
Cur non ora mihi iamdudum in verba resoluis?

* * *

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI
IVL. CÆS. FIL.
ANIMADVERSIONES
IN
ASINIVM CORNELIVM GALLVM.

In Elegiam.

ASINII 1. Putat *Asinium* esse prænomen, deceptus corrupta lectione vitæ Virgilii: *Caium Asinium Cornelium Gallum Oratorem clarum & poetam non mediocrem miro amore dilexit.* Distinguet: *Caium Asinium Oratorem clarum, & Cornelium Gallum Poetam non mediocrem.*

Non fuit Arsacidum, &c. Quam fuerit auctor huius carminis rerum veterum imperitus nihil æque probauerit, vt versus primus. Legerat initio Epistolæ cuiusdam M. Cœlii ad M. Ciceronem hæc verba: *Tanti non fuit Arsacen capere, Seleuciam expugnare, vt earum rerum quæ hic gestæ sunt spectaculo careres.* hæc verba quum legisset bellus hic poeta, carmen suum ita est exorsus.

Non fuit Arsacidum tanti expugnare Seleucen. Impudenter sane & ridicule, nam hoc scribit tanquam Cœlius dicat captum Arsacen a Romano exercitu. At qui hoc dicit Cœlius, quia Parthi imminebant finibus prouinciæ Ciceronis, ne si Parthos quidem cum Rege eorum cœ-

pisset, tanti hanc victoriam fore, vt careret spectaculo illo. At Pseudogallus & victum putat, &, quod insaniam auget, non a Cicerone, sed a Ventidio. Deinde Seleuciam Arsacidum vocat. Seleucia erat in finibus imperii Romani neque Parthis parebat.

Arsacidum. Arsacidæ sunt Parthorum Reges: Seleucidæ Macedones, qui Seleuciam condiderunt. confundit Macedones cum Parthis.

Tanti expugnari Seleucen. Niphates a Ventidio quidem vltra Seleuciam fugatus. Virgilius:

——*Pulsumq; Niphaten.* Strabo: sed non propterea Seleucia oppugnata.

Seleucen. σελεύκην pro σελεύκειαν, miro metaplasmo, vt si καισάρην pro καισάρεια, ἀλεξάνδρην pro ἀλεξάνδρεια. barbarismus non ferendus.

Quantum grauat ira parẽtis Cytherida, quam ficto nomine Lycorida vocauit Gallus, iam victo Pompeio in lectica circumferebat Antonius. Cicero x. ad Atticum. quin etiam ante bellum ciuile ea erat in contubernio Volumnii, Cicero Trebatio. Quomodo ergo videtur fuisse sub cura matris, quo tempore Niphates pulsus a Ventidio? hoc est, annis xv. plus minus post ea tempora? Deinde liberta Volumnii fuit. Ergo sub cura matris seruæ esse non potuit.

Impleat vt pulcra filia. Ingenuæ matres filiabus nuptias & conditiones quærant. At mulieri libertinæ qui potuit hoc facere mater sua?

Quid, quod lena meos, &c. Seruiliter hæc ex Tibullo, Propertio, & Ouidio imitata.

Quod lena meos auertere tentat amores. Quomodo

modo lena aggredi munerib. eam potest, quam pœne nouem menses in lecto mortuam facit, aut morbo depositam ex desiderio.

Quod fluat ex toto vertice, &c. Si coma fluit ex vertice, ergo φαλακρῶται. Nam non aliter quam defluuium capillorum intelligas.

Quod citharæ cantusq; sciens. Citharizandi studium ne in muliere quidem laudauit Sallustius. Neque enim eiusmodi artibus exercebat se iuuentus Romana, sed campo aprico, & puluere & sole, vncta palæstra, & illis omnibus, quæ narrat Horatius in oda ad Lydiam.

Splendere capillis. Splendendi verbum non idoneum huic significationi, vt neque Græce dicitur, πολιαῖς στίλβειν. Nam caput caluorum tantum στιλπνὸν.

Fœmina natura, &c. Virgilius.

Et tantum constans, &c. Versus Ouidii de Fortuna.

Non prius e muris, &c. Brennum & Tarpeiam Propertii imitatur. Sed τὴν ποιητικὴν κακουργεῖ, vt quidam olim τὴν λυρικὴν.

Acer amor Deus est. Ineptus versiculus.

Fœtas domat ille leænas. Fetæ leænæ aliud curant quam amorem, satis occupatæ sunt alendis catulis. Omne animal tempus habet finitum huic rei. Non potest dici, quam inepte fetas leænas amore domari dixerit.

Sic pereat patrias, &c. distichon illepidum.

Seruat quoque nomina turris. ineptissime præter veterum consuetudinem arcem Tarpeiam *turrim* vocat, ex idiotismo Italico & Galico.

Rosea nec floreiuncta. *Rosea* epitheton, hic locum non habet.

Matris non aspera iussa. iam diximus matrem illam, quæ seruitutem seruiret non habuisse: ius in filiam, quæ libertinæ conditionis fuerit. Præterea ætas paulo grãdior Cytheridis eam ab hac custodia matris dura satis vindicabat.

Non secus Ægæo, &c. dicendum erat:

Non secus ac molis Ægæo obiecta fragori.

Aliter hiat sententia.

Nec minus vt vires, &c. & hic quoq; decendum erat:

Nec minus ac vires paulatim vt colligit ignis:

Aliter & hic quoque hiulca erat sententia.

Puro intexuit auro. Lacernæ illæ ex mero lanificio sine vlla auri accessione.

Altera iam castris, &c. Propertius. *Tertius hæc castris quarta lacerna tuis.*

Atque audita leui, &c Ex Penelope Ouidiana.

Qui nunc Crassorum manes. Ex Propert o *Qui nunc Æneæ Troiani suscitat arma.*

Direptaque signa. Imo ereptaque signa. Nam *direpta* quis ferat?

Vindicat Augusti Cæsaris auspicijs. Mira imperitia tẽporum. C. Octauianus Augustus appellatus VII. Consulatu suo. Anno Augusti vicesimo. autor Censorinus Corn. autem Gallus mortem sibi cõsciuit anno Augusteo quarto. Vnde igitur diuinare potuerit nomẽ Augusti, q̃ impositum XVI. annis post Calli cædẽ? Error Eusebii, qui putat primo anno Actiaco Augustũ appellatũ. Causſa erroris, quia prim⁹ ann⁹ Actiacus est primus

primus annus Augusteus, Hinc putauit eo anno Augusti nomen datum. At anni Actiaci sero tandem Augustei vocati, & προληπτικῶς hoc factum.

Parthe tumens. Ouidius. *Parthe dabis pœnas.*

At mea cum primis &c. Hæc mirum in modum inepta sunt, & nihil Romanum spirant.

Ipsa quoque exprimitur. Verbnm. *Exprimitur* ineptissime ἀντὶ τοῦ φανταζεται.

Parui possessor agelli. in agello serit olus. At in horto volebat dicere. Nam agellus ad aratorem pertinet.

Quamuis vicinus abunde &c. Ouidius. *Vicinumque pecus grandius vber habet.*

Aut cadet vnanimis frater ab ense meo. Fratrē frater occidit, & hospes hospitem in bellis ciuilibus. At quare hoc metuit, bellum gerens cum Partho? An quia quidam milites Crassi consenuerunt socerorum Medorum in aruis, vt ait Horatius? Nugæ,

Inflet Amor lituos. inflandi verbum magis conuenerit Tibiæ, & calamis, quam tubæ aut lituo. *Inflauit cum pinguis ebur Tyrrenus ad aras. In calamos inflare leues.* Inde φυσηταὶ Tibicines, non autem Tubicines.

Et fera signa canat. Gallus dixisset *canant.*

Fortis ad occasum &c. non possum legere sine risu.

Si quis sua gaudia differt Martialis. *quid gaudia differs? Ipse iubet mortis te meminisse Deus.*

IN EPIGRAMMATA.

Quodsi nocte venis &c, non belle cohærent.

Iam vero ignoscite Diui. Parce mihi liceat cæleste dicere vestra. Mortalis visus pulchrior esse Deo. apud Gellium.

GENTIA περιέργως affectatum nomen exilio veteri Illyrici Regi Gentio.

QVÆ ROMANA CASTRA CVM MATRE LENA SEQVER. Non est Romanum Lenas castra sequi cum mercimonio suo. Nam & Antonio ipsi vitio datum, quod Cytheridem in castra duxisset.

Virius alba magis &c. Tironem esse oportet, qui hæc a veteri Poeta profecta esse credat.

Retulit esuriens Gracus. Iuuenalis est, *Graculus esuriens.*

Mille oculos gestmus &c. Tibullus de Vortumno ad verbum, impudens est fur:

Talis in æthereo felix Vortumnus Olympo.
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

CONFV

CONFVTATIO STVLTISSIMÆ BVRDONVM FABVLAE AVCTORE

I. R. BATAVO.
Iuris Studioso.

NOn noua res est invidia, candide lector, neque nunc primum nata. Omne seculum eam tulit: omne feret. atq; adeo nunq̃ deerunt invidi, quãdiu exsistent, q̃ invidiæ oportuni sint, homines præstantissimi, q̃ quidẽ eã evitare nõ possunt nisi se illis artibus abdicent, propter quas improborũ obtrectationẽ incurrẽrũt, atque, vt vno verbo dicam, eorum odium virtute relicta placent. Quod enim literarum proprium esse oportebat, vt fera ingenia ad mansuetudinem traducerent, eæ hodie nihil aliud iunt. quam feritas quædam animi, & barbara immanitas, quæ dolorem ex inscitia, cuius sibi conscia est, in iis persequitur, quorum virtutibus ideo obtrectat, quia eas assequi nequit, imitari desperat. Ne quis iouge petat tanti odii causas, sciat, hodie magnum crimen esse, te scire, quod nemo aliunde, quam ex te, scire potuerit, aut te esse alicuius præclaræ rei auctorem, quæ alteri in mentem non venerit. Itaque quum

videant, antequam perveniant ad minimam earum virtutum, quibus invident, sibi per multa impedimenta eluctandum esse, desperatione meliorum rerum ad maledicendum sese comparant: & nova vel potius stulta scribendi via ad commendationem nominis sui grassantur, vt se doctos credi posse sperẽt, si alios indoctos probare possint; quasi doctos eruditione superare minor gloria sit, quam de inscitia triumphare; quo si vincere non possint, vnicum subsidium supereſt, vt ad inusitatum & inauditum genus quoddam calumniarum sese conuertant. qua in re ita vires suas, & ingenia subegerunt, vt præcepta criminandi soli edere & docere possint, neque vllus pluris sit, nisi quantum in maledicendo profecerit: neque vendibilior merx vulgo, quam petulans, & protervus liber. Et certe non alii, quam huic seculo, conuenientius erat nefaria scripta nasci, quo bonæ artes incipiunt desinere. Nam non ita pridem quum illæ vigerent, tunc illas discere, quam aliis inuidere malebant. Nunc quia eas discere nolũt, aliis eas invident. Tunc homines propter literas in pretio erant: nunc literæ propter homines sordent. Sed parum erat sordere, nisi etiam propter eos inuisæ essent; quandoquidem nihil tam sanctum est, ad quod profanandum literarum ministerio non abutantur. Et mirabimur, quũ quotannis tot millia librorum, tantæ moles voluminum in lucem prodeant, in illis vix vnum esse, a cuius lectione aliquis melior discedat, imo potius non peior seipso euadat, si cum aliqua

qua voluptate perlegerit? Nam difficile est, vt contagio quædam improbitatis ex eo libro ad eum non perveniat, quem a legendo petulantia calumniarum non deterruerit: quia libenter eorum mores imitamur, quorum ingeniis gaudemus. Itaque ad maledicendum, qui suopte ingenio non incitatur, exemplo aliorum pertrahitur, vt quemadmodum illi, ex ruinis alienæ existimationis sibi gradum ad famam struat. Offendit aliquis in verbulo, in literula? Crimen est, non error. Aliud pro alio dixit? Flagitium est, non hallucinatio. Dissentit a magistellis? Examen crabronum concitauit. Quotus quisque deniq; liber hodie ex tot millibus ortum suum & incrementum non accipit ab occasione maledicēdi? Mutus erit, qui obtrectare nesciet. Lectorem non habebit, qui maledice & contumelioſe non scribet. Et tamen scribendum est. Nam is est pastus hodiernorum ingeniorum. Aliter homines quiescere non possunt. In tanto pruritu scripturientium quid faciendum est, si nihil in vita, & in scribtis aliorū est, quod reprehensioni locum det? Rusticus est qui hic hæret. mentiendum est: scribta excellētia interpretatione extenuanda: vita innocenter acta calumniis longe arcessitis oneranda: claritas generis præconiis obscœnitatis obscuranda. Sterile ingenium hominis maledici esse oportet, qui in tanta mentiendi licentia, in seculo tam feraci contumeliarum, materiam scribendi sibi defore veretur. Latissimum campum habet, in quo ingenii acumē periclitetur, si qui

probi, docti, & nobiles semper sunt habiti, artificio mentiendi eos improbos, indoctos, terræ filios probet. Nihil enim est, quod auidum lectorem magis invitet, quam inopinatum argumentum. Et quod magis inopinatum, quam ex heroibus mancipia concinnare, ex illustribus sartores? quum contra hodie ex subulcis αὐτόματοι facti sint, & plus illustrium vna declaratione nascatur, quam fungorum vna pluvia? An aliud legent, qui in libros quindecim ab hinc annos editos inciderint? Christianissimus Rex omni laude dignus, sed omni maior, quomodo a propudiis & portentis hominum acceptus est editis libellis ante octo plus minus annos? Quid, quod in vilissimum caput dici potest, in tanto rege infamando omissum est, in scriptis, in concionibus, in familiaribus colloquiis? Horrescit animus ad monstra mendaciorum, ad effrenatam impudentiam, ad indomitum furorem auctorum. Sed hic est seculi morbus. neque mirum est mundum in tanto senio delirare. senectus ipsa morbus est: & diu est, quum mundus æger cœpit desipere, & loqui aliena. atque vtinam hactenus deliraſſet. Sed dementia in atram bilem erupit, & vanas imagines accepit: iam vera φρενῖτις facta est. Vnde nō vmbratilibus Criticæ velitationibus, vt antea, sed cruentis præliis decertatur. Nam in illo Amphitheatro turpitudinis, in quo omnes omnium ordinum probi, docti, & summi viri traducuntur, quid reliquum factum est aa

scelus,

fcel', ad impudentiã, ad licentiã mẽtiendi? Vt alia taceã, in illo Iulius Cæsar Scaliger cucullatus producitur, & ꝙ lepidissimũ est, ab iisdẽ excuculatur: vt ex illis non pudor, sed absurditas mendacii illã confessionẽ extorserit, se nõ certo, sed per coniecturã id dixisse, quod alioqui nemini sano persuasissent. Tanta est vis veritatis. Tã festinã calumniæ eiurationẽ non minus mirãtur docti & probi homines, q̃ titulum libelli, quo eam testati sunt: VINDICIÆ PRO IVSTO LIPSIO ADVERSVS IOSEPHVM SCALIGERVM. Iosephus Scaliger epicedio prosecutus est memoriam amici sui Iusti Lipsii. ꝓ ea pietate erga amicum vindiciæ aduersus poetam postulantur Mirum vero M. Antonium ad versus inimicum suum M. Tullium vindicias non postulasse pro Seruio, quem diuina Philippica nono ille mortuũ laudauit. Quis vnquã legit vindicias a Prætore aduersus nullũ laudatorẽ postulari? Paulo ante, ut aiũt, quidã qui otiũ suum cõcoquere nõ poterat, postulauit vindicias ad vers' Iosephũ Scaligerum ꝓ Catulli Ciri. Vtrę vindicię festiuiores sint, nasutis expendendũ relinquimus. Pædagogica sũt hæc, & pædagogis relinquẽda. Si enim tãti essent, dicendũ simul fuisset de loco Tertulliani, quẽ acuti homines in illis Vindiciis tam infeliciter tractarunt, quam inepte Iosephi correctionem calumniati sunt, vt vna opera & suam imperitiam, & pruritum reprehendi testarentur, quum iam pæana antetrium-

phum canerent. Verum admoniti vix tandem silentio fassi sunt, quod voce profiteri erubuissent: Sed redeo ad illud sacrarium Apostolicæ modestiæ & humanitatis: Amphitheatrum dico. In eo divino opere, neminem eorum, qui in eam arenam producuntur, illæ Erinnyes magis infectatę sunt, quam Iosephum Scaligerum. Si causam odii ex illis quęras, advocationem petent, & longa tandem cõsumta deliberatione, nihil aliud respondebunt, quam, *Non amo te Sabidi, nec possum dicere quare*. Sed Iosephus neque mirari debet hoc ab illis fieri, qui nihil sine maledictis scribere solent, neque indignari se socium calumniarum summis viris adiunctum esse. Tantus vero illum infectandi furor fuit, vt ei conficiendo nihil reliquũ esset, præter ficam, aut pulverem tormentarium. Sed quia hæ mortes regiæ sunt, non plebeiæ, felicitate insperata vsus est, quæ illum ab hoc periculo vindicauit, quod Burdo ex Scaligero factus est. Sic eũ præter exspectationem nõ aliena misericordia, sed ignobilitas sua tutata est. Atqui disertissimi homines, tunc quum in illo fœtu parturiendo eis omnes sycophantiæ obstetricarentur nesciebant, vnde iste Burdo, vel Bordonus (in veteribus enim codicibus Iaponensium ante centum milia annorum plus minus scriptis hoc nomen sic varie conceptum est) nesciebant, inquam, vnde tam subito Scaliger in Burdonem mutatus esset, neque quis tam scurrilis commenti auctor fuerit: in quo non feliciores fuerunt, quam in bardocucullo Franciscano Iulii Scaligeri,

geri, qui quidem Burdo in Euganeis natus est, in Seraphicum ordinem in Brabantis cooptatus. Scribit itaque Lilius Gyraldus in libellis de poetis recentioribus, Iulio Cæsari Scaligero prius cognomen Burdoni fuisse. Sabini quod volunt somniant. Postquam ille locus Gyraldi innotuit, nulli Burdones, Bordonii Bordoni, in Italorum scriptis exstant, qui non crediti sint esse is, qui postea Iulius Cæsar Scaliger dictus fuit, homo scilicet tricorpor genere Geryonaceo. Primus aut in primis, qui hoc tam solerter investigauit, is fuit Antonius Riccobonus Rodiginus, professor artis oratoriæ Patauinus, vir, vt amici eius credunt, eruditissimus, vt scripta eius testantur, minorum gentium magistellus: *Rusticus abnormis, pingui crassaq; Minerva.* Reliquas virtutes eius non tangimus, *Dicere nos Latium non decet opprobrium.* & præterea manibus sepultis insultare, quanquam id eius impudentiam merebatur, nō nostrum est, qui amphitheatra non exstruimus. Is, vt amici non semel eum minantem audierunt, iactabat se insitivos Scaligeros ex manipulo expuncturum: atque adeo se iam in mente habere librum de Burdonia stirpe edere. Sed interea mors hominem occupat, & præclari operis incæptum interrumpit, magno non solum reipublicæ litterariæ, sed etiam ipsius damno. Nam qui ex prioribus scriptis nihil præter contemtum meruisset, ex hoc vernili commento saltem a fatuis aliquam gratiam iniuisset: & iam ad id viam sibi muniverat, aliquot ante obitum suum mensibus

bus familiarum suarum spes hoc promisso lactans, quod in animo habebat, sed nondum chartis mandauerat. Quare iam feruebat fabula de Burdone: quam non invitus excepit Melchior Guillandinus, qui natus, altus, educatus in Prussia, Prutenum se negabat, atq; in genere omnes Teutonas bardos, stipites, barbaros, ebriosos vocabat. Amici & admiratores eius, qui de multis hodie non pauci supersunt, sciunt, me vera dicere, & nihil ipsum existimasse magis in contumeliam suam dici potuisse, quã si Prutenus, aut Germanus haberetur. Superbiam, arrogantiam, contemtum omnium narrarem, nisi, qui unice illum admirati sunt, id melius, quam ego, scirent. Is igitur memor verborum, quibus Iosephus Scaliger notis suis in Festum eius protervitatem castigauit, omnes rationes vlciscendi doloris sui quæsiuit, quas quum inire non posset, tandem vel a pecore Rodigino, vel a non meliore Alastore monitus de Bordonio, satis hoc ad vindictam esse putauit, si quemadmodum se ipse ex Germanis, ita Iosephum ex Scaligeris eximeret. Sed quum hac fabula dolorem suum solaretur, priusquã hoc vlli, præterquam paucis, persuadere posset, ad plures penetrauit, in quibus patriam suam invenit, quam viuus in natali solo habere noluit. Quia vero maledicendi multi sunt traduces, & in multorum aures propagantur, tantã fuit illius mendacii gratia, vt illud non paucis persuaserint propudia potius hominum, quã homi-

homines: in quibus Terræ omni parentis alūnus Athamante Tragico demētior, ab vmbratili futilium controuersorū locorū pugna profectus ad manū cū melioribus conferendū nihil inexpertum, nihil intentatū reliquit, quo deploratos & depositos cōtroversos locos ad vitā si qua posset, revocaret, nō rationib⁹, non demonstrationibus, sed, quomodo ignavi canes solent, latratibus & clamoribus procul insectādo. Postquā febriculoso scripto, in quo impudentissime Iosephū nominis Italici obtrectatorem vocat, se nihil aliud consecutū videt, q̄ vt quæ paucis nota erat, omnibus testatior esset eius insciția, tantū dolorē ferre non potuit. Iccirco eadem via, qua Melchior Guillandinus, ignominiā controversorū locorum persequi, atq, vlcisci decreuit. Omnes nominis Scaligeri hostes (sunt autē isti hic non pauci, & quidem quod illorum feritatem arguit, sine vlla caussa) ambire, prensare, literis interpellare non destitit. vt de Burdonibus quæ audiuissent, quæ somniassent, quæ communicarent. Tam iustæ hominis ornatissimi & doctissimi petitioni decesse nefas duxerunt homines illius simillimi. Itaq; cōuectantur moles, iaciuntur fundamēta. instant ardentes Tyrii. pars Burdones, pars Bordonios, alii Bordonos cōferunt. Hi Sartores, illi Miniatores, alii tōsores suppeditant. Hinc Flamines Genealogias verniles, illinc Telchines olētes bardocucullos λοξαυχένον subministrāt. *Feruet opus, spirantq, cauī mēdacia folles.* Hac supellectile instructo circulatori nihil deerat ad

illammercem extrudendam, præter institorem audacem, confidentem, stolidum, omni genere flagitiorum contaminatissimum. Maluit enim homo vaferse eius mimi poetam esse, quam actorem. Non longe petendus fuit, neque enim verendum erat, ne ibi frustra quæreretur, vbi Iosephus tot hostes immerito nactus est. Commodum igitur obtulit sese homo, quo scelestiorem, impuriorem, exsecrabiliorem ne ipsa quidem Tisiphone apud inferos invenire potuisset, pecus ex omnibus criminibus & flagitiis concretum, fur, maledicus, impudens, stercoreus, patre vespillone, matre scorto militari genitus, frater sororis publicarum libidinũ victimæ: quem fames Romam evocauit, fames Roma expulit, Nihil dico, quod non ex Germanis ipsis, quum ist hic essem superiori anno, didicerim, præsertim eius intimis, qui in adolescente semina nequitiæ iam animaduertebãt, quorum incrementa in grandiori ætate nunc detestantur, qui eius vitam, furta, impietatem, dicta nefanda erga Deum, furorem, in vidiam erga doctissimos quosque norunt, genus autem ignorare non possunt, qui patrem, matrẽ, & sororẽ in oppido superioris Palatinatus Neumarchia viderunt, quarũ illæ Vespilloni superstites sunt adhuc in luce hominum, in florentissimo theatro Europæ, vt vno verbo complectar, in Germania. Nam alioquin ipsum scelus ego Romæ vidi, & conveni, & quominus me in eius familiaritatem intromitterem, in caussa fuit capitis discrimen, quod vitare non possunt

possunt probi, qui nimis ei familiares sunt, præsertim Germani & Belgæ, quibus quotidie insidias ea pestis struit, hoc facto aliquam se inituram gratiam ab iis sperans, qui illi negotium dederunt advenarum Teutonum, & aliorum nomina deferendi. Et mihi id periculum imminebat, nisi maturius mihi prospexissem, & a talis portenti congressu me abstinuissem. Quum primum illum conveni, nihil spirabat præter opima sacerdotia, qui tamen in diem vivebat, vel potius esuriebat, bonorum omniū odium in quorum perniciem vnius cœnulæ spe redimi possit. Interea Roma me eduxerunt amici, vt vna Neapolim proficisceremur.

sic me servavit Apollo.

Porro homines alienæ virtutis & nobilitatis obtrectatores, etiamsi totum orbem peragrassent, non poterant magis idoneum furoris, impudentiæ & improbitatis suæ ministrū invenire. Quare quæcunque illi sacer Teriæ omniparentis alumnus, Stygii Telchines, Cercopes, Mazzatdini contribuerunt, ex iis immanis insanus conflatus est liber, vel potius thesaurus mali, cū quo ne ipsum quidem Amphitheatrum pestilentiæ conferendum est, siue proteruitatem maledictorum, siue mendaciorum effusam licētiam spectes. Quum igitur nemo perditis moribus non sibi iniuriam facere videretur, si in illud epulum symbolam suam non daret, non est quod styli varietatem leuitati Furis potius, quam tot nebulonibus adscribamus, qui illi operas suas contulerunt. Quod enim varietates

in illo

in illo peristromate occurrunt, tot acupictores sunt. Ioseph⁹ Scaliger propter sua erga bonas literas beneficia odium & inuidiam sceleſtorũ mancipiorum in se concitauit: propter Ioseph⁹ pater eius Burdo, miniator, tonsor, cænum, piaculum, agyrta cucullatus vocatur. Quæ vos, immanes bestiæ, amentia agitat, vt propter vivorum inuidiam manes sepultorum solicitetis? Quis hoc ius introduxit? *quave hac tam barbara mortem Permittit Patria?* Quis auctor tantæ inhumanitatis? Hoc fortasse posteri imitari poterunt. Certe post hominum memoriam nunquam factum, quum de doctrina, de literis, de virtute certamen esset, vt de statu cõtroversia moueretur. Quid enim tantam in vidiam Ioseph⁹ concilauit, nisi eius virtus, quæ illorum ignauiam, imperitiam, illiberalitatem sollicitam habet? Iulium Cæsarem Scaligerum non sua virtus, non præclara scripta, non splendor generis a contumelia vindicare potuerunt: non diuina illa oratio, quæ non solum in Germanorum, qui in obsidione Viennensi occubuerunt, sed etiam in ipsius Germaniæ laudem conscripta est, impedire potuit, quo minus illa mendaciorum, contumeliarum conviciorum cloacã in vrbe Germaniæ metropoli ederetur, & in ea gente eius nobilitas proscinderetur, quã ille totius Europæ nobilissimam, fortissimam fidissimam dixerit, cuius multis obtrectatoribus Iulius inexpiabile bellum indixerat. Certe aut Germania hac oratione indigna est, aut orationis auctor ea contumelia. Hanc Germani gratiam viro tanto, tam bene de vobis meri-

to rependitis? Hoc ferre potestis? Hoc dissimulatis? Hoc scelus inultum patiemini? Iã habetis causas quibus instructos Fur, vel potius Furia, alienæ impudentiæ nomen, operã, & animũ suum auctorauit, quum putaret se illis gratificari, quorum semesas reliquias, & tepidum ius quotidie liguriebat. Alioqui fame illi pereundum erat, nisi in eum impius esset, a quo nulla iniuria provocatus fuerat. Qui vero illi in tanto scelere præiverunt, quum nihil haberent, quod Iosepho obiicere possent, nisi & illorũ dissimillimus sit, neq; invenirent, quo illius vultũ rubore suffunderent. aut eius vitæ, ac moribus labẽ aspergerent: quod vnicum reliquũ erat, vt eius genus non cuniculis oppugnaret, sed aperte peteret, illi auctores fuerunt. quo nomine ingens drama confectum est, cuius protasis Burdo. & Bordonus, epitasis plaustra conviciorum, catastrophe, amphitheatrales bacchationes. Ad epitasin & catastrophen respondere, non est hominis pudentis & sobrii, sed eius, qui verecũdiæ fines transilierit. Quem enim falsa crimina movent, is ea agnoscere videtur. Qui ad ea respondet, sui oblivisci tur, criminatori honorẽ habet. Quæ vero de genere & luteis Burdonibus dicta sunt, quia ẽt multi ea videri vera volũt, q̃ tamẽ ipsi nõ credũt, ea certe negligi sine ignauiæ suspicione nõ possunt. Nõ enim propter tenebriones, quia ea cõfixerunt, dissimulãda sunt, sed propter cõfutãda, q̃ aut per ignorantiã vera credũt, aut p malitiã credi volũt. Quæ quũ Iosepho exposuissem, eumque monerem permagni interesse tam existimationis eius quam amicorum,

qui ei bene consultum volunt, earum rerum ratonem habere, quæ neglectæ ipsi probrum, confutatæ inimicis infamiam inferunt: non solum magno meo dolore ab ipso repulsus sum, sed etiam idem sæpius frustra tentans offensionem eius incurri; quum ille quid retrimenta hominum de se sentirent, loquerentur, scriberent, ad se pertinere negaret: viros autem quam plurimos summa & dignitate & eruditione auctores sibi esse diceret, ne ita loci sui & existimationis obliviscereturr, vt vel ea quidem legere, nedũ confutare, dignaretur. Iã menses sex amplius fluxerunt, ex quo ego & amici quotidie tam rigidum eius propositum flectere, & hanc, si ita vocanda est, constantiam expugnare conati sumus. quod quum frustra hactenus a nobis tentatum esset, vix tandem hoc ego ab eo expressi, vt saltem se consuli paterretur super iis, quæ nemo, præter illum, nos docere possit. Ea vero sunt, quæ scurrarum otium de Burdonibus lusit. Convitia vero & reliqua probra ad suos auctores redire, & intra Amphitheatrũ suum sese continere, aut in foriis mallei maleficarum latere, aut in controversorum locorum sumeto obsolescere patiemur. Quæ autem de Burdonum stultissimo mendacio cõfutare instituimus, Lectores obtestamur, ne ideo a nobis suscipi putent, vt honestos viros, qui de Iulii Cæsaris Scaligeri genere nunquam dubitarunt, in sententia confirmaremus (frustra enim monentur, qui in proposito perseuerant) sed ut ruborem, si qua possumus, ab ipsis exprima-

exprimamus, qui hanc fabulam flabellis malitiæ suæ ventilarunt, quamuis serio dissimulant, & intra nomen Furis se tuto latere putant, quum tamen nobis verba dare non possint: qui si Furiæ illi nihil contribuissent, nihil ille pater esuritionum habuisset, quod scriberet, saltem quo vnam cœnulã mereret; vt in culinis procerum purpuratorum tridui famem pridianis reliquiis placaret. Hoc vnum duntaxat curæ erit, vt & mendacium ipsum profligemus, & antistitibus mendacii os occludamus, non autem vt canes latrare prohibeamus, aut videamur impuro vespillonis filio respondere. Quæ enim laurea inde exspectari potest, vnde nihil præter dedecus reportatur?

Οὐ γὰρ πρέπει γενναῖον, ὡς ἐγὼ φρονῶ,
Οὔτ' ἄνδρα χρηστὸν νεῖκος αἴρεσθαι κακοῖς:
Τιμὴ γὰρ αὕτη τοῖσιν ἀσθενεστέροις.

Non etenim honestum censeo, & grauem virum
Decere litigare cum deterrimis,
Quod est honori maximo imbecillibus.

IVLIO igitur Burdoni pater fuit Bordonius ciuis Veronẽsis, ludi magister, qui propter egestatem, quod scholæ in vrbe Brenni frigerent, coactus fuit Venetias migrare, & ibi scrutariam facere, hoc est, præfractas strigiles, aut soleas dimidiatas vendere, postea dictus MESSER BENEDETTO DELLA SCALA, a Scalis scilicet Sancti Marci, vbi habitabat, item a Scala, quam pro insigni, vt mos est propolarum, aut opificum, in fronte Tabernæ pinxerat. Non enim

satis fuit a Scalis S. Marci cognomen adipisci, nisi etiam ab alia Scala ipsum duplicaretur.

Non satis vna tenet ceratas anchora puppes.

Sed quum ne sic quidem satis propitio Mercurio vteretur, vt nisi alia via fortunis suis prospiceret, omnino fame sibi pereundum esse existimaret, miniatoriam artē discere instituit (*illuminatoriam* vulgus vocat) Ingeniosa est paupertas, quæ, vt Siculus piscator ait: μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει. Nam quum auerso Mercurio artē quoque illam tractaret, & ne pauxillulam quidem nummorum inde lucrifaceret, quo victum toleraret, primum mappas geographicas miniare, deinde insulas designare didicit. ecquid præterea nō faceret, ὥστε τὴν πενίην πετρῶν ῥίψαι κατ' ἠλιβάτων? Ecce Benedictus Bordonius patria Veronensis, domo Venetiis, scrutarius Venetus ex Ludimagistro Veronensi, ex scrutario miniator, ex miniatore insularū conscribellator. Vna præclara arte reliquis superioribus defungi poterat, hoc est, si illis omnibus omissis, vespillo fuisset, aut vectigalis. Noribergici peculator. Hinc enim est quæstus vberrimus. Sed illi neq; tantum prudentiæ fuit, vt ad illas artes animum adiiceret, aut tantum industriæ, vt eas cōsequeretur. Nunc vero vix tandē animaduertere cœpi, præstare votum S. Marco, quam S. Zenoni facere. siquidem plus lucratur scrutarius Venetus, quam Ludimagister Veronæ. Egregia nutricia sane patriæ suæ rependūt municipes Catulli, siquidē munus, quod vel in obscurissimo vico quæstuosum est, in amplissima & frequentissima

tissima vrbe sua tam sterile esse dicũt, vt miselli magistri abdicata schola, sordidissimis negotiationib. operam dare cogantur, idq; in alia vrbe, eaq; frequẽtissima, in qua homini aduenæ consenescẽdum prius est, quam notitiam industriæ suę dare possit. Iis igitur, qui ita nomini Scaligeró miqui sunt, vt ne mortuis quidem parcant, opponimus hominem eiusdẽ ordinis, doctum probum, optime de patria sua meritũ, Bernardinum Scardeonium Patauinum: cuius de hoc Bordonio Insularii scriptore hæc verba sunt ex x1. classe libri secundi: *Benedictus Bordonius ætate nostra Astrologiæ peritissimus, & admirabili quodam diuinationis munere præditus fuisse perhibẽtur: qui aliquãdo seu natura, aut diuino quodam furore, vel potius felici quodam casu in eare (vt audiui ab his, qui hominem norant) admodum excelluit, vera multa in futurum prædicens. Verum quia hanc iudiciariam diuinationem plerique omnes boni damnant, atque acriter reprehendunt, vti rem Christianis hominibus vetitam, iuxta illud Euangelicum verbum*, Non est nostrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. *Iccirco excellens vir, his studiis inanibus sepositis se totũ ad Geographiæ studium cõtulit: in qua quidẽ re admirãdus plane fuerat. Scripsit enim vulgari lingua de Insulis volumen egregium, vbi & situs, & mores diuersarum gentium, & quicquid vel auditu admirabile vel scitu iucundum nunc in his est, olim ue fuerit, studiose commemorat. Quod opus tam typis impressum magna cum illius laude vbique legitur. Tabellam quoque de scriptionis*

Italiæ additis lõgitudinibus, & altitudinibus, ingenioſe correxit, & multo ſpecioſiorem, ac etiam veriorem eam fecit, quam quæ vnquam antea in lucem prodierit, Franciſco Cornelio, qui poſtea Cardinalis fuit, dicatam. Excelluit quoque pingendi, ſeu miniandi peritia: ꝙ vel ex ſolis libris monachorum D. Iuſtinæ, qui frequenter ab eis euoluuntur, videri certe poteſt. Obiit anno Domini M. D. XXXIX. *Sepultus eſt in Baſilica S Danielis, ante veſtibulum, in ſepulcro ſuorum.* Benedictus Bordonius inquiunt æmuli, erat ciuis Veronenſis. Iſte eſt ciuis Patauinus. Fatuus fuit. hic eſt excellens vir, diuino ingenio. migrauit Venetias. Hic habitauit Patauii in ſuis ædibus. Scrutariam fecit. Hic aſtrologiæ peritus fuit. Propter egeſtatem migrauit. Hic nullam quæſtuariam artem exercuit, & ſuis ſumtib. Patauii vixit. Quis vnquam putaſſet homines cordatos, liberaliter inſtitutos, &, quod caput eſt, Italos tãta cœcitate mentis fuiſſe, vt quum ex hoc loco Scardeonii illum Veronenſem ſcrutarium miniatorẽ fuiſſe probare vellent, reliqua, quæ ibi legũtur, aduerſus propoſitum ſuum facere nõ animaduerterint, aut ſaltem diſſimularint? Quis illis concedat Patauium eſſe Veronam, & Antenorem Brẽnum? Mathematicum miniatorem? Inquilinũ S. Marci, cum, qui & larem auitum Patauii habuerit, & in ſepulcris maiorum conditus fuerit? Viri potius illuſiſtis, o viri ornatiſſimi, veſtræ exiſtimationi, qui tam pugnantia locuti eſtis, an Furis ſtupori, cui hæc perſuaſiſtis, & vt aliis perſuaderet, auctores illi tenebrioni fuiſtis? Ideone locum

cum illum Scardeonii legistis, vt quum extremas lineas ad infamiam Iulii Scaligeri pertinere putaretis, reliquas ad vestram pertinere, non videritis, quum tam stulte de Patauio Veronam faceretis? Miseret me illius vestri Bordonii scalarii Sancti Marci, qui quum tanquam Proteus quidam in tot miracula rerum sese conuertisset, vt famem furcillis ex ædibus suis expelleret, miniaturam postremo didicerit, vti aliquod iucellum, quod a scrutaria frustra sperauerat, a miniatura consequeretur. Atqui Scardeonius perspicue ait hunc Patauium *excelluisse in miniatura, & pingendi peritia, idque videri ex iis libris monachorum S. Iustinæ.* Nisi cœcutimus, aut omnino plumbei sumus, nimirum suos liberos miniauit, & picturis exornauit, qui quidem libri postea in potestatem illius cœnobii peruenerint ex caussa legati fortasse, aut alio casu, non quod operam suam monachis locauerit ad illos libros miniandos, quum eum mercenarium fuisse, aut in diem vixisse nemo sanæ mentis ex verbis Scardeonii colligere possit, aut quosdam libros monachorum, quibus in choro vtūtur, ab ipsis rogatus, miniauit. neq; enim eum inter honestos & doctos, atque ornatissimos viros, qui Etrusce scripserint, posuisset, cuiusmodi omnes sunt, qui in classe illa xv. censentur. Hodie in Gallia aliquot picturæ Renati regis Siciliæ visuntur. Ex iis si quis amphitheatrice ratiocinari vellet, sequeretur regem illum ex pictura quæstum fecisse. Certe, quod pace vestra dictum velim, acetum Italicum vestrum

Insularium suum dedicat Balthasari nepoti suo, id est, filio fratris sui, cui nomen fuerit Bonifacio, & Chirurgicen fecerit. Si Bordonius Insularum scriptor erat Patauinus, fratrem eius quoque Patauinum fuisse necesse est, quod nemo vel quouis vespillone aut peculatore impudentior negare audeat. Ergo videmus hic duo paria fratrum, alterũ Patauinum, alterũ Veronensem, in quibus duo maiores natu Benedicti, minores Bonifacii vocati sunt, ne miremur duos Sosias, & duos Mercurios Plautinos. Sed vnde ille *δοκεῖ μὶς* Bonifacius? quis auctor eum memorat? quid eum commendauit, vt memoriam suam ad posteros transmitteret? Ostendite saltem vnum scriptorem, qui huius Bonifacii meminerit. Sed quia Benedicto Veronensi frater fuit Bonifacius nomine, omnino velit nolit Veritas, & huic Patauino Benedicto, quia eundem cum Veronensi esse voluistis, fratrem Bonifacium fuisse nobis Batauis persuadere voluistis. *Non obtusa adeo gestamus corda Batauis*: quanquam nos piscatores vocat fabulæ vestræ *ὑποκειμὶς*. *Nos hamis pisces, Fur unguibus eruit aurum.* Benedicto igitur Bordonio, si vobis credimus, frater fuit Bonifacius: qui profecto nullus fuisset, si Iulius Scaliger nõ scripsisset patri suo Benedicto Scaligero fratrem aliquem fuisse nomine Bonifacium. Sed vobis ita placuit, quia aliter iste insularum scriptor non potuisset esse is, quem vultis, nisi & eidẽ Bonifacium ex luto figlinæ Promethei vestri adiungeretis. Rursus eidem fratri, quem Bonifacium esse vultis, filius fuit iste

Baltha-

Balthasar, cui patruus librum suum dedicauit. At, o solertissimi viri, Bonifacio Benedicti Scaligeri fratri vnicus tantum filius Michael, vnica filia Camilla fuit. De Camilla exstat ecloga in Nymphis indigenis Iulii sub titulo Oreados. De Michaele patrueli suo ita ipse in Commenmentario IIII. περὶ ζώων ἱστορίας. *Apud Sigismundum Principem in Croatia, picam, quæ loquacitate sua omnes demulceret, vidimus: &, quod rarum est, ea tota alba erat. Ea postea donatus Michael patruelis, puer adhuc, quum lardi frustum ei obtulisset, statim concidit. quo casu motus Benedictus pater mihi, tanquam eius rei auctori, plagas minatus est. Tandem opera Isaaci Iudæi, qui in nostra erat clientela, vino & succo herbarum quarundam in os iniecto pristinæ sanitati restituta probe omnium nostrum nomina enunciabat.* De Iudæis (vt id πάρεργον ὁδοῦ moneam) qui in clientel. Scaligerorum fuerunt, sic meminit ad Cardanum, Exercit. CCLIX. *Puer hoc ego didici ab Hebræis, qui, quod patris mei gratia, qua apud Maximilianum Cæsarem valebat, ab Imperatore certa diplomata impetrassent, clientes familiæ nostræ facti sunt*, &c. Michael igitur, non Balthasar, vocatus fuit patruelis Iulii Cæsaris Scaligeri, natus in finibus Carnorum, susceptus ex baptismo a Michaele Frangipane Christophori viri strenui patre, Scaligerorum affini, cui Michaeli nupsit generosa Catharina, filia Sigismundi Iambrevvych, vidua generosi Prevvorych. Quomodo tam absurdum mendacium de hoc Chirurgo Balthasare, cuius & patrem quoque Chirurgum fuisse

vultis, tueri possitis, vestrum est videre, non Furis, qui vera, an falsa sibi dictaueritis, susque deque habet. Sed longe acutius illud, Bonifacium fuisse Chirurgum, quia eius filius Chirurgus fuerit, quemadmodum in Ægypto olim nulli opifici aliam artem discere, aut exercere licebat, nisi paternam, qui mos hodie apud Sinas est. At in Europa si quis dicat ideo aliquem fuisse chirurgum, quia ipsius filius chirurgus fuerit, & vt γένους, ita ἐπιτηδευμάτων εἶναι τινὰ διαδοχὴν, quid aliud cõsequetur, quam vt ludibrium debeat? vnde scitum vetus est apud Hispanos, *artes inter heredes non diuidi.* quanquam, vt ingenue fatear, in actore vestri Mimi agnosco quandam vt generis, ita artis successionem. Nam pater eius publicam pecuniam fisci Noribergensis, filius priuatos amicorum nummos furatus est. Rursus pater fuit Vespillo. Vespillones autem sunt τυμβωρύχοι. & quoties Vespillonis mentio fiebat, statim furẽ eo nomine intelligebant. Vlpianus L. XXXI. D. De euict. *Si ita quis stipulanti spondeat, sanum esse, furem non esse, Vispellionem non esse.* Vispillo, ne quis erret, & Vispellio, & Bispillo, & Bispillio, vnum idem que nomen est, pro ratione temporum varie enuntiatum. quem Græci Magistri τυμβωρύχον, νεκροθάπτην, κοπιάτην, Libitinarium exponunt. Hoc modo paterni instituti successor fuerit, & soror materni.

Ne non maternos imitetur filia mores,
Hæc viuit matris legibus, illa suis.

Scitum

Scitum vetus est, raram familiam, aut genus esse, in quo non fur, aut meretrix sit. Per hoc Vespillonis genus non stabit, quin proverbio veritas constet. Negamus tamen ideo filium furem esse, quia pater eius peculator fuerit, & quia pecuniam publicam auerterit laqueum collo gestans, vt moris est apud Noribergenses, magistratui se sistere coactus fuerit: vt & negamus ideo sororem fuisse scortum, quia & mater fuerit. Vera quidem illa, & quæ negari non possint, sed non trahunt necessitatem cogendi. Ne quis vero de laqueo nos confinxisse putet, producemus ex epistola Germani cuiusdam ad nos verba, quæ non solum dubium omne tollent, sed etiam dicto maiorem fidem facient. De Fure loquens, post alia: *Domum reuersus est, mortuo patre, nuper ad matrem, & vt hereditatem adiret hic in propinquo Palatinatu, vbi domicilium, & officiolum pater habuerat. Sed hereditas a magistratu arrosa, vt loquuntur, constricta dicitur ob caussam, quod pater clarissimus ille, & fortissimus Præfectus vectigal publicum fraudauit viuens quod de bonis, & de ceruisia inferri ærario solet, cuiusmodi fures Norinbergæ seueriss imis pœnis subiiciuntur. Interea cogitur fur quotannis* FVRIS FLORENVM, *vt vocant, in Curiam adferre, restem collo circumiectam gerens.* Non fingimus hæc, non mentimur. Nullum Tartusium hic est, nulli Sartores, nullus bardocucullus amphitheatricus, omnia vera. Sed ad Burdones redeo. Simile illud quod sequitur, Balthasarem vilem tō sorem

fuisse, quia chirurgus fuerit, idque excellens, vt a patruo vocatur. Dignum sane ἐπιχείρημα illis regionibus, vnde homines Hyperborei redeuntes αὐτοὶ ἑαυτῶν χρείττονες ἐκλαίνουσιν, vt omnis excellens chirurgus sit tonsor. Sed hæc a terræ omnipotentis alumno sunt, & quidem nihili, præ illis, quæ sequuntur, quæ oro lectorem accuratius perpendat. *Verumtamen commendari gratus eius* (Benedicti Bordonii) *in fratris* (Bonifacii) *filium animus meretur. quippe qui non solum omnem pene libri huius* (Insularii) *materiam ipsi subiecerat, sed alterum etiam filiorum eius* (Bonifacii) *Iulium sua cura prius suoque cibo docendum susceperat, comitem in Veneta & Hispana classe secum duxerat, ac posterius eum, quum satis scienter siue strictim, siue per pectinem tondere didicisset, neque pœnitendos in chirurgia progressus fecisse iudicasset, Patauium literarum, imprimisque medicinæ discendæ caussa suis impensis ablegauit.* Ecce *Ablegauit Iulium Patauium.* Quid opus erat homini Patauino, & Patauii habitanti eum Patauium ablegare? *Studiorum caussa.* Hui tam grandem studiorum caussa, postquam tonsoriam didicisset? *Siue strictim, siue per pectinem tondere didicisset, neque pœnitendos in chirurgia progressus fecisset.* Ergo strictim & per pectinem tondere, hoc progressus est facere in chirurgia, & instrumenta vulnerum curandorum, erunt pecten & cultri tonsorii. *medicinæ discendæ caussa.* Scilicet quã discere non poterat, nisi necessario prius strictim & per pectinem tondere didicisset. Hæc sunt ex narthecio controuersorum locorum.

Sed

Sed hæc leuia præmendacio, & hic totã locum occupauit. Portentosum enim. Nã Lauerna vespillonis filius Bonifacio duos filios attribuit, Balthasarem & Iulium, ita vt amboiam non, vt antea, patrueles sint, sed fratres germani, aut saltẽ consanguinei eodẽ patre Bonifacio geniti. Deinde ex tenore verborum sequitur Benedictum Bordonium Insularii auctorem secum comitem ad classem Venetam & Hispanam Iulium assumsisse: quum Lauerna voluerit, aut certe debuerit dicere, Iulium a Balthasare deductum fuisse. Sed manifesto apparet, non prius ad hæc deliria scribenda sese contulisse, quam in œnopolio cum Baronibus Campi Floræ, aut in cella vinaria cum mulione Cardinalis Baronii aliquot trientes vini Vesuuini siccasset. Ideo condonamus hæc illi, vt pote quæ vino, non atramento, scripserit. Balthasar igitur Iulium patruelem in Hispaniam deduxit, atque inter nauigandum tonsoriam eum docuit. Nam in tonstrina eum docere, illi, puto, nõ vacauit, vel, quod verisimilius est, oportuniorem locum huic magisterio eligere non potuit, quam nauem in mari fluctuabundo: vt nunquam tutius genas expingere posse putauerit, quam quum cultri ex agitatione maris huc & illuc in manu tondentis assultantes crebro in os eius incuterentur, qui barbam æquandam illi tradebat, vt aliquot cicatrices in vultu reportaret, quæ testarentur, quantum is gloriari deberet, cuius barba ab eo æquata esset, qui, vt chirurgicen disceret, tantos progressus in arte tonsoria fe-

ciſſet. Sed iſta digna ſunt & peculatoris filio, & monitore Terræ omniparentis alumno. Ludicra, inquam, & iocularia. Hoc vero, quod dicam, calido mendacii iure perfuſum eſt. Nam Venetorum, & Hiſpanorum claſſis illa, de qua hic agitur, non in Hiſpaniam, ſed in Orientem nauigauit. Eius meminit Theodorus Spanduginus Conſtantinopolitanus in ſua hiſtoria Turcica, quam Italice ſcripſit, pagina 64, b: *Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono, Ferdinandus Rex Hiſpaniæ, occupatis in Naupactico bello Venetis, ex lege fœderis ſubſidia miſit duce Conſaluo, quem magnum Capitaneum vocabant. Is adiunctus claſſi Venetæ Cephalleniam inſulam Turcis ereptam occupauit.* Aliquot interiectis: *Aucta quoque tunc Veneta claſſis fuit auxiliaribus nauigiis a confœderato Rege Francorum Ludouico* XII, *ductu Rauiſtani, & Philippi Cluenſis, qui Genuam tunc pro rege adminiſtrabat.* Hæc paucis Spanduginus, quæ fuſe maiore parte libri VIII. hiſtoriæ ſui temporis elegantiſſime & diſertiſſime perſequitur Ludouicus Tubero Abbas Dalmata, vir multarum rerum peritus. Iulius igitur Scaliger mutatus in Bordonium inter nauigandum didicit tonſoriam in claſſe Hiſpanica, & in Hiſpania eam exercuit; quandiu ibi cum patrueli ſuo Balthaſare fuit; ſi ſcurris credimus: quod profecto verum fuerit, ſi Naupactus eſt in Hiſpania, & Iulius in Hiſpania tunc fuit; quum eſſet in Flandria: imo ſi Iulius vnquam pedem poſuit in Hiſpania, qui tempore illius expe-

expeditionis erat annorum xv, quum Maximilianus bello Geldrensi intermisso, exercitum in Heluetios mouit. Tunc enim Iulius vna cum patre suo in Belgio erat eodē anno M.CCCC.XCIX. Audiamus ipsum Iulium ita scribentem de Solea piscie, Commentario in libros Aristotelis περὶ ζώων ἱστορίας. *Soleam Graeci bugloſſum a lingua bubula ſimilitudine. Angustior enim est. Itaque veteres Latini Linguulacam. Hispani nunc Lenguada. Tenia huic per omnia ſimilis ſed aſtrictior. Hiſpani Alzediam. Puto a Flandris, ſi bene memini,* TONGE *dici. Sed puer eram, quum illic agerem, neque memoria eius rei ſatis conſtat.* Quo ſpectant illa Exercit. CCLXVI: *Nomina parium ſyllabarum ab imparibus aiunt ſuperari. Iccirco Hector ab Achille interfectus est. Cur igitur Achilles Paridis cadit manu? Ita in Germania, Friſia, Brabantia prius, mox in Italia non potuerim a paribus ſyllabis ſuperari. Iulius enim vocabar ibi. Hic vincar a triſyllabis, quia* IVLLES *a Gallis decor.* Neq; igitur patruelis Balthasaris Bordonii fuit Iulius Scaliger, neque, si fuisset, eo tempore in classe Venetorum esse potuit, quum illa classis in Orientem, vt diximus, non in Hispaniam, vela fecerit; neque vnquam Iulius in Hispania fuit, neque si aliquando fuisset, eo tempore esse potuit, quum in Belgio ageret. Videtis, acuti homines, in quos laqueos mēdaciorum vos induxeritis, ex quibus nescio quæ Rhetorica amphitheatrica vos expedire poterit: certe veritas nō extricabit. Sed quum Bened. Scaligero quatuor fratres germani fuerint, cur vnū tantū illi

attribuistis Bonifacium Bordonium, qui tamen neque fuit, neque vobis opus fuisset vllo Prometheo, qui istum Bonifacium Bordonium de luto sycophantico fingeret, nisi vobis in mentem veniisset Iulio Cæsari Scaligero patruum nomine Bonifacium fuisse scriptis eius celebratum, sine quibus non potuissetis eius nomen scire: & si non legissetis, proculdubio patrem Balthasaris Bordonii sine nomine reliquissetis; quia fratris sui mentionem nullam facit Bordonius insularii scriptor. Cur igitur omisistis reliquos tres fratres, Hieronymum, Titum, Franciscum? An quia ii nullos filios tonsores, & chirurgos reliquerũt? Pudet me cœcitatis, vanitatis, stultitiæ. Teneo vos. Manifesto eo vos redegistis, vt omnes effugiendi vias vobis præcluseritis. Quo vlteriùs terminos mentiendi promouebitis, eo minus homines, quiquidem aliquo sensu communi præditi sint, vobis fidem & assensionem accommodabunt. Quod nam producam, stupor, an improbitas, an vtrumque dicendum sit, dubito. Profecto vtrumq; quam alterutrum, malim dicere. Non enim mentiremini, nisi improbi essetis, neque in mentiendo tam manifesto pugnantia loqueremini, nisi stupor mentes vestras obruisset. Benedicto Bordonio insularum designatori filius fuit Iulius Bordo. Cedo auctorem, qui hoc dixerit, aut scripserit. Si nullus est, (vt profecto nullus est) scriptor, qui Bordonio insularũ conditori filiũ fuisse Iulium Burdonem perhibuerit, vnde tã subito natus est illi iste Burdo? Quod si fuissent

centum

rectum Burdones, iiq; diuersis locis nati, omnes vnus fuissent ille, quem vos dicitis falso postea Scaligerum sese dici maluisse. Quod si ei vllus filius nomine Iulius fuit, cur potius Burdo quã Iulius Bordonius cognomine patris dictus fuit? Sed ita est: quemadmodum Burdonio insularii auctori Bonifacium fratrem, qui nunquam in rerum natura fuit, ita eidem filiũ Iulium commenti estis, qui fuerit quidem, sed quem eius filium fuisse omnes negare possint, quum neq; id probare possitis, neq; is eodem cognomine, quo Bordonius, fuerit. Exstat, inquitis, epigrãma Iulii Burdonis medici Patauini in librum Antonii de Fantis. Quid audio acutissimi viri? *Iulii Burdonis Patauini?* Atqui Veronensem esse oportebat. In hoc enim totum negotium vestræ ridiculæ & pædagogicæ conspirationis versatur, Benedictum nempe Bordonem ciuẽ Veronensem fuisse. At hic est Patauinus, vt titulus indicat, & si in titulo testatus non fuisset, tamen, quia eum Benedicti Bordonii insularum descriptoris filium esse voluistis, qui Patauinus, non Veronensis fuerit, omnino filium Patauinum esse necesse est. *Filii enim eadem origine censentur, qua patres.* l. 1. D. ad municip. Neq; igitur Veronensis fuit, sed Patauinus, neque binominis, vt præter Iulii, etiam Cæsaris ei nomen fuerit. At ille Iulius, quem & Veronensem ciuem & Burdonem prius cognominatum vultis, scitis non oblitum fuisse nomen alterum Cæsaris in poematio suo, cuius meminit Lilius, & ex quo hæc monstra amphitheatricorũ mendacium

nata sunt, & tot sycophantæ cornua fastulerũt. Atqui Patauii non fuisse Iulium Cæsarem Scaligerum anno M. D. XV. quo illud epigramma editum fuit, testem ipsum Iulium appello, qui libros suos Poetices scribebat anno M. D. LI. quo liberos suos Burdegalam misit, quadriennio ante luem illam immanissimam, quæ vniuersam Aquitaniam meliori parte populi exhausit. Scribit igitur libro 6. Poetices: *Egnatii nihil ad nos peruenit. Memini tamen illum cum Venetis legatis post Helueticum triumphum Regi Opt. Max. Francisco dedisse quædam carmina præsentibus nobis, quæ postea, quum essemus Bononiæ, dus quæsita non sine magno spiritu, magnaque luce Virgiliana facta visa sunt nobis tunc. agitur nunc annus circiter trigesimus sextus.* Deductis igitur annis 36. de anno Christi 1551. remanet annus 1515. qui profecto erat is, quo Francisco Regi victoria de Heluetiis cõtigit, & illud Epigramma editũ fuit, auctore Iulio Burdone medico Patauino, vna cũ libro Antonii de Fantis. Quid negotii erat medico Patauino in castris Frãcisci? quid Iulio Scaligerõ in vrbe Patauina, vt eodẽ tempore & Epigramma ineptissimum Patauii scriberet, & luculẽtum poema in castris Regis Francisci ab Egnatio acciperet? Sed, inquiunt Scurræ, Epigramma illud Iuli esse, qui postea dictus fuit Scaliger, ex stylo cõstat. omnium enim ouo tam simile non est. Quid hoc est, homines acutissimi? ex stylo? Certe si nomen Iulii Burdonis Patauini non præferret, putassem ab auctore controuersorum locorum, aut aliquo

Amphi-

Amphitheatrico scriptum. Par est stultitia, similis barbaries, geminus stupor. Prosato si Iulius Cæsar Scaliger tam inepti, tam insulsi, tã stolidi poematii pater est, oportet cũ, quum illud vomeret, ebrium fuisse, qui tam dissimilia ante, & post illud tempus, poemata scripserit. Nam quid dissimilius? Primum longum Epigramma est, vnde expedire se ille vappa vix potest, quod omnino alienum a breuitate, sobrietate, rotũditate, nitore, soliditate Scaligeri. Deinde triuiale, & stercoreo magistello cõuenientius, quam ei, qui talia scripserit, qualia Iulius Scaliger eodem anno, quum victoriam Regis Francisci longo carmine, Iambis puris cecinit, quos habes initio Archilochi. Comparentur illi Iambi cum latrina illa. Postremo inæquale est, barbarum, obscurum, σκολιόζον. Sed audi beatur examen. Vt alia taceam, quid est illud? *Quicquid in accessa seruatur rupe smaragdi.* Quis Latine sciens dixit, quicquid smaragdi, quicquid gemmæ, quum vellet dicere quicquid smaragdorum, quicquid gemmarum, vel quantum smaragdorum, quantum gemmarum? Potuisset, si genium habuisset, dicere, *Quotquot in accessa seruantur rupe smaragdi.* Quid illud? *Aurea quid Scoti fuerant abstrusa metalla.* Quod genus monstri hoc? Qui hoc mihi interpretabitur, mereat aurea metalla. Neque magis illud capio, *contulit labores ad vota studii sui.* Nam portenta sunt.

——*Eoas natus ad undas,*
Qua Boreas rigido frigore torret humum.

Volebat dicere ad Eoas vndas vsque. Sed vnde didicit Boream ibi esse, vbi Eoæ vndæ? Quis poeta, quum quatuor partes mundi designaret, Boream constituit in ortu? quis quum ortum describeret, frigore concretum esse dixit? Quis non poetica licentia populos Auroræ subiectos a vicinitate Solis vstulatos inducit? Propertius: *Quos Aurora suis rubra colorat equis.* & alii plurimi. Hoc epigramma sesquipedale scripsit Iulius antea ciuis Veronensis, nunc Patauinus: prius Burdonius, nunc Burdo: prius Iulius Cæsar, nunc Iulius sine Cæsare: antea Musarum cliens, nunc locorum controuersorum mediastinus. Sed quomodo de poetis iudicare possunt auersa a Musis pectora, quum magni nominis vir Petrus Victorius de Ouidio non veritus sit dicere, eum vt oratione ac versibus, ita vita & moribus eneruatum? deinde dicit improbe ab illo dictum, munera placare Deos & homines, & tamen a Platone prius dictum. Hoc modo non solum Ouidius, sed & Plato improbus fuerit. Sine contumelia hoc dictum velim Ouidium meliorem poetam, quam ipsum poetarum censorem fuisse. Non longe ab hac temeraria sententia discedit Dionysius Lambinus, qui imperitissime eum maluit Latinitatis auctorem vocat. Quid? Suadæ medulla Troada diuinam Senecæ Tragœdiam triuialis poetæ fœtum dixit, quæ reliquarum Senecæ princeps est, & verus illius fumum scriptoris partus, atque a Prisciano optimo Grammatico ei attribuitur, quam non Troada, sed Ecubam

bam vocat. Certe de poetis iudicare, poetarum est duntaxat, idque non omnium, sed optimorum.

Οὐ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὴν κρίσιν, οὔτε δικαίαν,
Οὔτε καλήν, ὀλίγοις δὲ παρ' ἀνδράσι τοῦτό κεν εὕροις.

vt dicebat Cleanthes. Sed nemo infelicius de poetis iudicauit, quam qui de poetis scripsit, Lilius Gregorius Gyraldus, vir multæ lectionis, & magnæ eruditionis. Iulium igitur Scaligerum tam insipidi, & inficeti poematii auctorem esse persuadeant fatuis Scurræ: nobis Batauis, quos Piscatores vocat vespillonis filius, nō magis persuadebunt, quam Patauium esse Veronam, Veronam Ferrariam, & Bordonium Burdonem, aut, quod addunt, eum anno eodem 1515. medici Doctoris titulo auctum, idque, inquiunt, Diploma Patauinæ Academiæ vociferari. Quare ergo Lauerna peculatoris vespillonis filius Diploma non produxit? Vnde didicit eodem anno, quo epigramma editum fuit, eum medicum factum? An quoties quis Theologus, Iurisconsultus, Medicus aliquod epigramma edet, eum eodem anno Theologi, Iurisconsulti, Medici titulo auctum esse dixeris? Certe non aliter colligunt Scurræ, neque alia mens eorum fuit, cur dicerent anno 1515. Medicum declaratum, nisi quia eodem anno epigramma illud in lucem prodiit. Non pudet scurrilitatis? non mendacii? non stoliditatis? Quid si decem annis antea erat medicus? An editio epigrammatis eum medicum fecit? quid potuit stolidius dici? Ecquid aduersus tantam

confidentiam dicent? quid ad tam manifestum mendacium? quod quam calidum sit, hinc lector iudicet. Epigramma Burdonis medici Patauini emissum est, vt diximus, anno 1515. Diploma autem illud Patauinum datum est anno 1519. quo quidam Iulius Bordonus Benedicti egregii viri ciuis Veronensis filius, non medicus, sed Magister artium declaratur: Itaque duo hic sunt manifesta deliria. Prius, quo annum 1515. cum 1519. confundunt: alterum, quo medicum factum dicunt, qui in magisterium artium duntaxat promouetur, idque, quod felix faustumque sit, quum annum ætatis 36. ageret. Vsque adeo hebeti, tardo, & plumbeo ingenio misellus ille fuit, vt quod adolescentes annorum 18. in omnibus semper Europæ Academiis consecuti sunt, is annos natus 56. vix tandem post tot labores exhaustos adeptus fuerit. Sed præstat ipsius Diplomatis exemplum subiicere, vt habeant lectores simul quod rideant, & quod detestentur, stuporem, & mendacium.

DIPLOMA ACADEMIÆ PATAVINÆ

Pro magisterio artium consequendo.

IN CHRISTI NOMINE. AMEN. *Vniuersis & singulis præsens hoc doctoratus priuilegium inspecturis & legi audituris, Nicolaus Bononia Decretorum Doctor, Canonicus Scordrensis, & Rector parochialis Ecclesiæ Sancti Matthæi de Pa-*

de Padua atque in Ecclesia Paduana per reuerendissimũ in Christo Patrem & D. D. Paulum Zabarella Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopum Parien. sacræ theologiæ Doctorem, & in præfata Ecclesia Paduana Reuerendissimi in Christo Patris & D. D. Marci tituli S. Mariæ in via lata S. R. E. Diaconis Cardinalis Cornelii, & prædicta Paduæ Ecclesiæ perpetui administratoris; Comitisq; Saccens. dignissimi & antiquissimi ac celeberrimi studii Paduani Apostolici Cancellarii meritissimi suffraganeum locum tenentem & vicarium generalem Vicarius substitutus Salutem in eo, qui est omnium vera salus. Studiorum labor meretur, vt his, qui suis quasi a cunabulis vitam suam Scholasticis exhibuere disciplinis, debita virtutũ præmia tribuantur, & post laboris palmam emeriti doctoratus honore, & magisterii dignitate decorentur: vt sic digna & hilari remuneratione gaudentes bene agendi posteris exemplum præbeant & sequelam, fit apud nos ustud, sed cũ grandi seueritate. Nulli quippe hæc dignitas doctoralis cõceditur, nisi prius firmissime certauerit, & velut aurũ in fornace fuerit comprobatus. Significamus itaq; vobis, & harũ serie fidem facimus. Quod die dato præsentium Nos Nicolaus Vicarius antedictus, auctoritate, præfato D. Episcopo Paduano, & suæ pontificali dignitate competente, tã & antiqua & approbata consuetudine studii prælibati, quã vigore priuilegiorum fœlicis recordationis Dominorum Vrbani quarti, Clementis sexti, & Eugenii quarti summorũ Pontificum, qua fungimur, in hac parte, in assistẽtia magnifici Domini Petri de Terno Vniuersitatis Artistarũ Vltramontanorũ, &

Citramontanorum florentissimi studii Paduani Rectoris meritissimi per venerandum collegium Artium & Medicinæ Doctorum eiusdem studii fecimus egregium, ac præstantem virum Dominum IVLIVM CÆSAREM *Bordonum filiũ egregii viri Domini Benedicti ciuis Veronensis, qui in studio Paduano in artium scientia pluribus annis insudauit, atq; ita profecit, vt se dignum laurea corona nobis per infranominatos promotores eius præsentatum in artibus, punctis ei, vt moris est, præassignatis, coram nobis diligenter & rigorose examinari. Et quia in examine huiusmodi sua puncta recitando, & argumenta dubia, & quaslibet oppositiones sibi facta seriatim replicando & clare soluendo tam bene, laudabiliter, & excellenter se habuit, atque gessit, vt ab omnibus Doctoribus prædicti collegii ibi consistentibus vnanimiter, & concorditer, ac eorum nemine penitus discrepante, idoneus & sufficiens in artibus exstiterit iudicatus, sicut ex eorum votis secreto in scrutinio nobis in scriptis porrectis constitit euidenter: Nos præfatam sequentes consuetudinem & formam priuilegiorum studii sepedicti, consideratis scientia, facundia, modo legendi, moribus, & virtutibus, quibus eum Altissimus illustrauit, prout in dicto suo priuato & rigoroso examine in facto visibiliter demonstrauit, de consilio omnium Doctorum prædicti Collegii ibidem existentium & instantium pro tribunali sedentes, Eundem D. Iulium Cæsarem in Dei nomine approbauimus, & licentiauimus, pronuntiantes & declarantes eum esse habilem, idoneum, & sufficientem ad habendum, tractandum, & exercendum officium & honorem Doctoratus*

Horatus in artibus, ipsumque continuo artium Doctorem fecimus solenniter & creauimus, ac facimus ac creamus per præsentes, tribuentes ei tanquam idoneo, sufficienti, & hac promotione dignissime Cathedram ascendēdi magistralem, & insignia Doctoratus in artibus a promotoribus suis petendi, & recipiendi ac isdem promotoribus ea illis impendendi licentiam liberam & facultatem insuper eidem plenam concedentes, potestatem, & authoritatem, vt de cetero libere possit in artium sapientia legere, repetere, docere, disputare, glossare, practicare, interpretari quæstiones, terminare, Scholas regere, omnibusque & singulis gaudere, & vti priuilegiis, prærogatiuis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, fauoribus ac indultis aliis quibuslibet, quocunque nomine censeantur, quibus Rom. Curia Pauiensis, Oxoniens. Bononiens. & Salamantinens. studiorum Doctores, & Magistri ex quibus Apostolicis & Imperialibus seu aliis Ecclesiasticis, vel temporalibus concessionibus aut indultis aliis gaudent, & vtuntur, vti, & gaudere possunt, & poterunt in futurum iuxta continentiam, vim, formam, & tenorem priuilegiorum Apostolicorum à memoratis olim Pontificibus summis præfato studio Patauino concessorum. Et illico excellens artium & medicinæ Doctor D. Nicolaus de Ianua, ciuis Paduæ, promotor eius pro se, ac vice & nominibus excellentissimorum & Med. Doctorum & ciuium Paduæ, scilicet D. Magistri Bernardi Speroni, D. Ludouici Carensis, & D. Hieronymi Bagolini, atque D. Caroli de Ianua promotorum suorum memoratum D. Julium Ca-

sarem petentem & acceptantem consuetis ornamentis Doctoralibus ibidem insignuit solemniter, & decorauit, tribuitque librum Philosophiæ sapientiæ primo clausum, deinde apertum: biretum doctorale capiti eius imposuit, ac ipsum annulo aureo subarrauit, pacisque osculum ei cum benedictione magistrali tribuit. Sic itaque cum summa laude & honore plurimo præfatus Excellentissimus D. Julius Cæsar Bordinus ad apicem doctoratus Philosophiæ sapientiæ ascendit. In quorum fidem & testimonium has nostras patentes priuilegii literas fieri, & præfati Reuerendissimi D. Cardinalis Pontificialis sigilli iussimus appensione communiri. Datum & actum Paduæ in Episcopali palatio in loco solito examinum, præsentibus artium egregiis scholaribus, videlicet D. Iuliano Marostico filio D. Io. Donati ciuis Tarueſini. D. Paulo Carrario L. 4. D. Antonii ciuis Paduæ, D. Michaele Panſerii filio, D. Io. Baptiſtæ ciuis Mantuæ, & D. Angelo Maria de Albertis filio D. Theodori ciuis Venetiarum testibus ad hæc habitis, currente anno Dominicæ natiuitatis 1519. indictione septima, die vero Mercurii 22. mensis Julii.

Pontificatus autem Sanctiſſimi D. N. D. *Leonis* P P. *Christi anno septimo.*

Ego Nicolaus Bononia Decretorum Doctor Canonicus Scodrenſis, & Vicarius, vt ſupra.

Et ego

Et ego Presbyter Iacobus Rotta Notarius & episcopalis Curiæ Paduæ Cancellarius rogatus interfui, & mandato subscripsi.

Capilli isti sunt flaui.

Brachium istud est coloris ferrei.

Duo baculi {Bordones Itali, Hispani, Galli vocant} colore Turquino, hoc est, cyaneo. Spatium est luteum, siue Callainon, aliquantum rubrum supra baculos. Reliquum partim Callainũ, partim cyaneum.

Constat hũc semper morem in Academiis Italiæ fuisse, vt si quis lauream medicinę peteret, & nondum magisterium artium consecutus esset, prius magister artium, deinde in cõtinenti Medicus Doctor eodẽ Diplomate pronũciaretur. Hoc ex infinitis Diplomatis Scholarũ illustriũ, Patauinæ, Bononiensis, Ticinẽsis, Salernitanæ, aliarum, ita notum est, vt confirmatione opus non sit. Visuntur enim quotidie eiusmodi Diplomata, quibus vtraque laurea Artium & Medicinæ simul eodem momento conferuntur.

At in hoc Patauino Diplomate iſte Bordonus pure Magiſter Artium declaratur, quum quadriennio ante Burdo Patauinus iam medicus eſſet. Quod ſi Iulius Burdo Patauinus iam medicus erat, &, vt Scurræ volunt, vnus idemque eſt cum Iulio Burdono Veronenſi: ergo hoc modo neceſſario ſequetur, vt ſolidis omnino quatuor annis ante medicus fuerit, quam Magiſter Artium declararetur. Tam bene conſuluerunt viri acuti exiſtimationi ſuæ, vt non ſolum ridicula, ſed etiam pugnantia loqui maluerint, quam ſe ab iniuria Scaligerorum continere. Modo enim quod volunt faciant, quomodo id faciant, nihil ſua referre putant. Tamen ad calumniam Burdonum ſtabiliendam nullum firmius munimentum ſe habere putarunt, quam Diploma hoc: quod tanti fecerunt, vt in ſanctuariis ſuis, tanquam pretioſiſſimam gemmam, repoſitum cum amicis ægre communicauerint, idque multis pertranſennam. Magni beneficii loco ponunt pauci, quibus deſcribere permiſſum fuit. Nos vero nihil magis eſſe re Scaligerorum arbitramur, quam illud in luce hominum verſari, vt exſtet fatuitatis & malitiæ eorum teſtimonium. In eo igitur excellentiſſimus Iulius Cæſar Bordonus, non Burdo dicitur, filius egregii viri, non autem ſcrutarii, Domini Benedicti ciuis Veronenſis, non Patauini. Quæro ex vobis, viri acutiſſimi, qui fuerit ſcrutarius Venetiis & cœnum hominis, non homo, vt a vobis prædicatur, an is ciuis egregius Veronæ recte vocari poſſit? Deinde quomo-

quomodo Venetiis Veronam reuersus sit. Rursus filius eius Iulius cur ad 36. annum ætatis suæ distulit Magisterium Artium petere? Postremo post annum ætatis suæ 36. quando medicus, & vbi, factus est? cur postquam factus est magister artium in Philosophia Sapientia, vt verbis Diplomatis vtar, Bononiam sese contulit Philosophiæ discendæ caussa? An prius in vrbe Antenoris declarantur artium Magistri, quam artibus & Philosophiæ operam dederint? Qui tot annos, vt testatur Diploma, in vrbe Patauina operam artibus dederit, quare Bononiam petit, earum discendarum caussa? Quid voluntilla, quibus Magistram suam Bononiam ita alloquitur?

Post diras rerum clades, Fatique superba
Imperia, & Martis quæ fera iussa tuli,
Hic primum meq; atq; alios cognoscere cœpi,
Depostq; animi barbara sceptra mali,
Et didici, quam nō fueram, quam deinde futurus,
Quem bona abortiuum sic tuerere parens:
Quæ caussas, quæ cunctarum primordia rerum,
Quæ diuini operis prima elementa doces,
Cœlestesq; plagas, & sancta commoda vitæ,
Et siqua enumeris nata figura latet,

Certe, si quid Latine scimus, melioribus literarum studiis, Philosophiæ, Mathematicæ, Physicæ, Ethicæ operam Bononiæ dedisse intelligimus. quod & in VI. Commentario Poetices testatur: *Qua tempestate melioris vitæ officia Bononiæ auspicatus sum, habui studiorum socium.*

Aquilium ciuem Romanum, qui antea quoq; militiæ fuerat contubernalis. de quo tractu temporis Exercit. 240. *Bononiæ cuniculi domestici clunes a riuali erosas scimus.* De fuo autem in eam vrbem aduentu ita etiam in Apiculis:

Quero vices alias. dirame vbi clade Rauenna
Mutauit re speque omni, tum Felsina libris
Imbuit. Hic ego de sociis bene sedulus vnum
Seruauii incolumem, atq; accepto vulnere. at ille
Cum coniuratis petiit caput ense nefando,
Ne in Marcum potior foret atri caussa Populii.

Quare mirum, quod iam diximus, illum prius medicum factum, quam Magistrum Artium, & prius lauream Artium consecutum, quam eas didicisset. Atqui, nisi Diploma mentitur, *in studio Paduano in artium scientia pluribus annis insudauerat, atque ita profecerat, vt se dignum laurea corona exhiberet.* item: *vt ab omnibus Doctoribus prædicti collegii ibi consistentibus vnanimiter, & concorditer, ac eorum nemine penitus discrepante idoneus & sufficiens in Artibus exstiterit iudicatus.* Ecce in Artibus, non in Medicina Doctor declaratur homo annorum 36. Idem tinniunt illa: *Idoneum & sufficientem ad habēdum, tractandum, & exercendum officium & honorem Doctoratus in Artibus, ipsumque continuo Artium doctorem fecimus solenniter,* &c. Idoneus in Artibus non in medicina pronuntiatur: Magister Artium, non Doctor medicinæ renuntiatur. *Licentiam liberam & facultatem insuper ei plenam concedentes, potestatem, & auctoritatem, vt de cetero libere possit in Artium sapientia legere, repetere, docere, dispu-*

disputare, gloſſare, &c. Scholas regere. Agnoſco Magiſtrum Artium Scholas regẽtem, & vt vno verbo dicam, facultatem cõſecutum Logicam, & Ariſtotelem in ludo literario publice docendi & interpretandi. *Ornamentiſque doctoralibus ibidem inſigniuit ſolemniter, & decorauit, tributiq;. Namque librum Philoſophiæ Sapientia primo clauſum, deinde apertum*, &c. Liber Philoſophiæ, non Hippocritis, non Galeni, non Auiſenæ traditur, quod tamen in Medicinæ laurea impertienda omnino fieri ſolere compertum eſt. Hoc ergo eſt Diploma illud, quod maxime venditarunt homines miſeris nominis Scaligeri reliquiis infeſti: quanquam non pauci aſſerant confictum a Porco Rodigino. Facile enim hæc Diplomata quiuis ementiri poteſt, quum omnium ſtylus idem ſit inſtar formatarum. Itaque homines, qui illo tractu temporis vixerint, quo Diploma datum eſſe fingitur, poſſunt aut ex hiſtoriis ſumi, aut fingi vbi non ſuccurrunt hiſtoriæ, & res mendacio tranſigenda eſt. Itaque nullum negotium eſt vel imperitiſſimo ſcribæ, aut actuario, ſimilia comminiſci. Ego vero aliter iudico: neque puto quicquam efficacius poſſe opponi maleuolis Iulii Cæſaris, & filii eius Ioſephi, ad eorum vanitatem confutandam. Et ſane ſi quis hæc ad viuum reſecare vellet, haberet quo moram lectori potius obiicere, quam fidem ſcripti huius eleuare poſſet. Paulus enim Zabarella ibi Epiſcopus Parienſis, Scardeonio Argoliẽſis dicitur. Archiepiſcopatus quidem Parienſis eſt ad Hel-

lespontum, Episcopatus vero Argolienſis in Achaia. Episcopatus hi titulo tenus a Latinis geruntur, ad quos ne teruncii quidem lucrum peruenire solet. sunt enim ii sub Turca. Quare non Archiepiscopus Parienſis potius, quam Episcopus, vocetur, equidem nescio. Hoc amplius discutiendum. Suspectum enim. Rursus M. Cornelius Cardinalis titulo S. Mariæ ibi ponitur, Onufrio vero Marcus Cornelius Venetus Protonotarius Apostolicus Diaconus Cardinalis S. Mariæ nouæ, post S. Mariæ in porticu, creatus Cardinalis anno M. D. annis XIX. ante illud Diploma. quæ sane magna discrepantia est. Ibi qui Nicol. de Ianua, Scardeonio est Nicol. Passara de Genua. Sed propterea nihil variatur: vt neq; in Bernardo Sperono, qui Scardeonio est Bernardinus. Ludouicus Carensius in Diplomate est, qui Scardeonio Lud. Carresius cognomine Tosettus. Hæc minuta nõ moramur. In duobus hærere possumus. Prius est 22. diem Iulii incidisse in feriam quartam, quæ fuit sexta. Alterum, pro sigillo Academiæ apposita hic esse insignia Illius Bordoni: quod sane insolẽs est. De priore possimus excusare negligentiã Scribæ, qui 22. Iulii, p 22. Iuni posuerit, quæ fuit dies Mercurii eo anno. De altero amplius quę endũ est. Nam de tot millibus Diplomatum nemo, puto, vllũ vidit, in quo insignia sint eius, qui lauream consecutus est. Mihi sane mirum videtur. Omnino interest dignitatis, memoriæ, & gloriæ Iulii Cæsaris Scaligeri illud Diploma & verum esse, & in contumeliam

eorum

eorum, qui illud venditant, exstare, publicari, & omnibus exponi. Sed age, aliquid demus maleuolis. Assentiamur illis. Aliter quomodo eos placemus, nullam rationem inire poterimus. Pater Iosephi fuerit, vt ipsi volunt, Burdo, Bordonius, Bordonius, aut quocunque alio nomine vocandus sit. Iulius Cæsar discessit Bononia anno M. D. XVIII. & apud Scalencos detentus aliquot dies, postea ad Plotiascos desedit eodem anno desinente; donec in Victum nouum Ruuerorum sese recepit: qui tantum abest, vt tunc Patauii fuerit, vt biennio antea in omni ditione Veneta, ad eum diem, quo Bononia discessit, pedem nunquam posuerit. In Polyzelia enim vallegens, quandiu Verona Maximilianus poteretur, aliquando Veronam sese conferebat, propter Corneliam Turriam spectatæ formæ & eruditionis, quam impotenter deperibat. Vide Nymphas indigenas sub titulo Politidos. Verona Venetis a Maximiliano reddita, solū vertere coactus, impatientius tulit amicæ, quam patriæ desiderium. Huius rei fideiussorem dabimus ipsum Epigrammate, quod inter Noua legitur:

Quid merui fugiens Athesis pater? vnde petenti
Indigena dulces abnne negantur aquæ?
Vt ne etiam patriis hostis malus incubet oris?
Vt nostram nostro sanguine pascat humum?

Legantur reliqua. Discessum vero illum, & reliquum vitæ actum vocat exsilium suum. Itaq; circa idem tempus scribens ad senem Marium Æquicolam, quo cum & Matthæo Bandello In-

ſubre Dominicano olim Mantuæ familiaritatem & amicitiam contraxerat, ita caſum ſuum miſeratur.

Quam non fauſta ſacræ huic vixi veſtigia terræ,
Irrita ſic lento me coquit igne mora.

Ille ignis eſt Cornelia Turria.

Exulis hic animum primum detruſit Apollo:
Nec minus hos ideo non probat ille modos.

Verſiculos intelligit, quos de Cornelia luſit qui non exſtant, præter illud ſuperius Epigramma. Deinde repetit altius ruinas domus ſuæ:

Vix dum etiam attigeram maturi luminis oras,
Præludit teneros dum pia barba dies:
Excidimus patris rebus ——

Sed legatur tota Elegia, quæ exſtat inter Lacrymas. Denique annus, quo Iulius in Ligures venit, non poteſt ignorari, quum is fuerit, quo Maximilianus obiit, vt toties Iulium ipſum narrantem & Ligures ipſos, qui Aginni degebant, audiuerunt amici, & liberi eius. Obiit Maximilianus XII. Ianuarii anno M. D. XIX. Iulius autem ineunte Ianuario Taurinum venit. Præterea VII. annos ſolidos ibi deſedit. anno autem M. D. XXVI. profectus eſt in Aquitaniam. Venimus ad portum: Burdones, Bordones, Bordonios profligauimus: vt nihil ex tam impudenti fabula depromi poſſit, quod non potius in æmulorum cõtumeliam vertat, quam vt vel minimum eius impuriſſimi mendacii ad nomen Scaligerum perueniat. Nihil tam facile excogitatur, quam mendacium, nihil tam facile confutatur. Certe nihil calumniati ſumus: nihil re-

fellimus,

fellimus, quod, tametsi non feciſſemus, per ſe ipſum refelli non poſſet. Saltem ſi mētiendum, ſi frōs perfricanda, ſi calumniandum erat, cum aliqua ſpecie veri hoc facerent, non autem Ferrariam cum Verona, Veronam cū Patauio confunderent, hominem morientem inducerent XXVII. annis poſtquā mortuus fuit; māgiſtrum artium declararēt aliquot annis poſtquam medicus Doctor fuiſſet: hominem Patauii conſtituerent, qui biennio ante in omni ditione Venetā pedem nō poſuerat. Nihil reliqui ſibi ad portenta mendaciorum fecerunt. Quid ſupereſt, quā vt turpi fuga in latebras ſeſe abdant, vbi tam inſinuatæ calumniæ pœnas dent innocentiſſimis mānibus Iulii Cæſaris Scaligeri, vt neq; apud bonos eis locꝰ ſit, neq; tam impudēter mentiti ſint: neq; apud malos, neq; tam feliciter rē geſſerint. Horum odium, illorum ludibrium effugere nō poſſunt. Ne erretis, acutiſſimi viri, non ita infeliciter aut incommode cum Iulii Cæſaris Scaligeri mānib. agitur, vt nō, tametsi paucorū nebulonum inuidiam incurrerint, tamē longe plures ꝓbos, doctos, & omni exceptione maiores viros nāciſcantur, qui non ſolū memoriam tanti viri ab iſtorū Cercopum calumniis vindicabunt, ſed ētipſos Cercopas iuſtiſſimis armis, hoc eſt, ſcriptis veritate, non mendacio amphitheatricō inſtructis vlciſcātur: & certe iam ferrū in igne eſt: & multi ad tā iuſtū pieratis exemplū vel ſe ipſi excitāt, vel ab aliis excitātur. Supereſt, ſine quo quid ſycophātia cōminiſceretur, non habebat, locus Lilii Gregorii Gyraldi; vbi Iulio

Cæsari Scaligero prius Burdoni cognomé fuisse dicitur. Id iam Iosephus Scaliger monuerat in Epistola de gente Scaligera. Tamen improbi, ne quam calumniandi occasionem amitterent, id Iosepho obiiciunt, tanquam nouum, & ab eo nunquam animaduersum. Dicam igitur, quod his superioribº diebus ex eo didici, quum super eo loco Gyraldi a me consuleretur. Iulius Cæsar Scaliger in Carnia, Chroatia, & Italia vocatus fuit IVLIO DABVRDÉN. Est autem Burden tractus saxosi & infeliciſſimi soli in Carnorum finibus. Id lingua Carnorum & Chroatarum terram infrugiferam, vt re vera est, significare non semel Iosephus a patre audiuit, eiusq; dominum fuisse Bonifacium Scaligerum, qui vt Iulium fratris filium a Michaele filio suo distingueret, cui alius dynastiæ titulum dederat, hoc nomine eum vocabat. Non enim Iulius fuit Burdeni dominus, sed Michael, aut eius mater potius: quia dotale, non auitum Bonifacii prædium erat. Addebat Iulius, quum id nõ minus longe lateque pateat, quam Diœcesis Aginnensis; tamen si quis illud conduxisset poliendum, vix illi quotannis rediturum fuisse, quod culturæ sumtus reficere posset. Hæc toties testantem patrem Iosephus ait se audiuisse, & tam constanter mente id retinuisse, vt recens eius memoria ipsi in animo hęreat, proinde ac si heri illud didicisset. Non solum igitur eo cognomine designabatur, sed etiam Italis IL TOSO DABVRDEN vocatus fuit. TOSO prima notione quidem tonsum significat. non tamē propterea

dictus

dictus fuit, vt Iosephus putauit, quod a pueritia vsque ad vltimum vitæ diem strictim tonsus esset ipse, & omnes filios suos esse iuberet, adeo vt & hodie Iosephus ipse quamuis senex capillum grauetur si paulo longiusculus creuerit. vt nihil veteret, quominus & ipse monachus fuisse videatur: non, inquam, propterea ita vulgo dictus fuit, sed quia sic pueri in Longobardia vocantur ὑποκοριστικῶς. quod superiore anno, quum Bononiæ & Patauii ageremus, obseruare potuimus. Toso igitur dictus, quod non pauci ita vocentur etiam hodie, DABVRDEN vero a loco, cuius tamen ipse dominus nō erat. Quare hinc colligimus quam feliciter expetiuerit Amphitheatri Sophistis scurrile commentum de Iulio Franciscano. Vt reliquam stultitiam & væcordiam omittam, quis tonsi nomine monachum designauit? Quis sanus, qui rasi sunt, tonsos vocauerit? Quis vnquam hominem rasum nomine appellauit, quum monachum intelligeret? Quam periti Latinitatis sint, qui ex tonso rasum fecerunt, hinc colligi potest. Nam quum vulgus Belgarum vno tantum verbo tam radere, quam tondere interpretur, illi putarunt vnū verbum Latinum sufficere, quo illa duo explicarent. Belgæ enim sunt, καὶ βελγισὶ λατινίζειν, vel potius βαρβαρίζειν. Quis non miretur cœcitatem odii, confidentiam mendacii? Quale, obsecro, id acumen est? Tonsus vocabatur. Ergo fuit monachus. Peritus Scoticæ doctrinæ. ergo Franciscanus. Et nos quoq; exemplo tam acutorum magistrorum aleam iaciamus: Traiecit

mare. ergo fuit nauta. Gestabat gladium. ergo homicida. Ne ipsi quidem negare possint, maiorem vim acuminis sui his friuolis contineri, quandoquidem de huiuscemodi gloriari, & serio triumphare solent. Quod autem pueritiam primum in Noricis, deinde in Carnis, Chroatis, Dalmatis Iulius egerit, satis eius scripta testantur. De Noricis alias dicetur. In Carnis autem non solum puer, sed & adultior, & iam vir diuersis temporis interuallis degit. quo nomine eos populos suos vocare solet. In Exercit. CCC. XIII. 2. *Nostros Carnos, & Pyreneos.* Item CC. XVII. 10. *Peserz animal hoc vocant illi haud procul a nostrorum Dalmatarum appellatione.* Sclauonice ibi loquuntur, cuius sermonis parum peritus erat: pater autem, & patruus longe peritissimi. Paulus Scalikius, qui se pro Michaelis filio gerebat, homo Slauus erat, in Carnis natus, in Chroatis educatus, in Germania institutus. An de genere suo mentitus sit, id neque scimus, neque confutamus, neque nostra refert. hoc vnum certo scimus, quæ is de Bonifacio Michaelis patre dixit, non solum vera esse, sed eorum multa vestigia in scriptis editis Iulii Cæsaris, longe plura in non editis exstare. Quod si Iulius vocatus fuisset Burdo, omnino vulgo dictus fuisset IVLIO BVRDONE, & non IVLIO DABVRDEN. quo nullum maius telum aduersus sycophantias amphitheatricas. An idem est BVRDONE, & DABVRDEN, vt Tonsus, est rasus? Agite ferte omnia fusque deque. miscete mare cœlo.

o. quid ad hoc respondeatis, non habetis, neque commiuisci, neque mentiri potestatis. Hoc vnicum argumentum omnes Burdones iugulat. Apud Lilium ergo, quod iam Iosephus monuerat, Burdoni pro Burdeni error est aut ipsius Lilii, aut Typographi, qui Lilii librum, aut illius qui Iulii poema de Elysio Principum Estensium excudit. immo necesse est errorem Typograph. esse, quandoquidem Iulius neque illud poema excudi curauit, neque vnquam excusum sciuit. Nam manu propria descriptum se Principi Ferrariæ obtulisse ipsemet dicebat anno Christi M. D. LVII. in Viuesiano. Typographi igitur error est, aut illius, qui inscio Iulio excudendum tradidit. Neque sane verum est, quod Iosephus ex coniectura credidit, Iulio Lilium Cyraldum notum fuisse: qui ab adolescentia vsque, ad annum Christi M. D. XXVII. nunquam Ferrariæ fuit: sed eo anno, direpta ab Exercitu Cæsaris Caroli V. Roma, annum agens ætatis XLVIII. Ferrariam patriam suam sese recepit, vbi & decessit. Itaque de Iulio nihil certi scire potuit, nisi quod tunc ex lemmate poematii illius colligere potuit post annum M. D. XXVII. Itaque quod aiunt, illud testimonium Gyraldi aperire scenam hypobolimæorum Scaligerorum: hoc sane magis aperit stultitiam eorum, qui credunt, scelus, qui aliis persuadere volunt. Sed vt tandem lectorem absoluamus, quem tamdiu in Burdonum amphitreatricorum quisquiliis occupauimus, videmus

in hac fabula duos Benedictos, Bordonium Patauinum, Bordonum Veronensem: duos item Iulios, Iulium Burdonem Patauinum medicũ, cuius pater ignoratur, Iulium Bordonum Benedicti filium artium magisterium xxxvi. ætatis suæ anno consecutum. ex his ambos Benedictos vnum eundemque hominem fuisse, ambos item Iulios pro vno eodemque accipiendos: & proinde quin Verona & Patauium vna eademque vrbs sit, negari non posse, imo necessario concludi. Ante aliquot annos medicus Siculus Iosephus Scala Ephemeridon opus edidit. Si eius patri nomen Iulio fuit, non dubium est, quin Iosephus Scaliger idem sit, qui Ephemeridas scripsit. quinetiam hodie viuunt quidam doctviri, qui quamuis quotidie Iosephum vident, & cum eo sermonem serunt, tamẽ haud diu est, quum ipsum earum Ephemeridon auctorem esse crederent. Si aliquid ab illo medico commissum esset, quod ansam calumniãdi maleuolis præberet, quis dubitat, quin in Amphitheatro id Iosephus noster fecisse diceretur? argumento, quia idem nomen, idem cognomen vtrique est: & propterea necessario sequeretur Siciliam & Batauiam eandem esse, præsertim quum vtraque insula sit, quemadmodum Verona, & Patauium vna eademque vrbs est: & quid non commẽti fuissent tam acuti magistri, quandoquidem illis tonsus idem est, quod monachus, Scoticæ philosophiæ consultus idem, quod Franciscanus? εὖγε ὦ θεῖαι κεφαλαὶ, ὄναισθε τῆς ἀγχινοίας. Bene a vobis prospectum est, quomodo

modo apud fatuos docti, apud imperitos probi haberemini, qui & ingenii & probitatis vestræ tam luculenta testimonia posteritati reliquistis. Et tamen si quis ad vnum immane volumẽ vestrarum contumeliarum respõdeat tribus verbis duntaxat, continuo classicum canitis: Porro Quirites, iniurium esse dicitis, expostulatum itis. Ilicet, vobis solis loqui fas est, nemini ad maledicta respondere. Quis monuit impurum Vespillonis filium de bardocucullo Franciscano, præter vos sartores illius cuculli? Nam de Veronica Paridis Burdonis sartoris Taruisini filia, mangonium est non vestrum, sed terræ omniparentis alumni, & aliorum id genus bipedum. quod vt ab eo meretricia impudentia excogitatũ, ita a meretricis filio auide exceptum. At de ea Veronica agere nunc tempus est. Veronica igitur, si Diis placet, Paridis Burdonis, sartoris Taruisini filia, mater fuit Iulii Burdonis, nescilicet tam felix nomen Burdonum de cognatione abiret, vt eius filii tam a materno genere, quam a paterno Burdones essent. Quis tam felici memoria est, vt patrem, auum, proauum huius Veronicæ, homines retrim ẽta potius vrbis, quam ciues, vt ipsi prædicant, qui ante CXL. & amplius annos obierũt, (siquidẽ vnquã fuerũt) quorũ neq; sepulcra neq; memoria vlla exstat, ita ad vnguem referre possit? Satis æstuant hodie historiarũ conditores in eruendo e tenebris genere & gestis heroum, qui citra centum duntaxat annos mortui sunt: & ecce, mirabile dictu, in ciuitate Taruisina sordido-

rum, & obscurissimorum hominum memoria tam diligenter conseruata est. Quid superest, quam, si quis memoriam sui apud posteritatem propagare velit, vt nomen suum inter sartores Taruisinos referat? Nam, quantum colligere licet, Taruisina ciuitas etiam sartorum gesta ac præclara facinora in Tabulariis publicis inscribere solet. Aliter enim memoria illorum periret. Sin autem, vnde ergo tanta felicitas tam stercoreæ genti, vt post ducẽtos fere annos tam curiosos nominis sui custodes nacta sit? Quod si aliud nomen illi mulieri fuisset, alius sartoris Taruisini filia foret, & fortasse non Taruisini, sed aut Tergestini, aut Tridentini, aut nescio cuiatis. sed neque sartoris, sed Vespillonis, aut peculatoris. O Asini, piacula terræ, opprobria seculi, quid meremini, qui tanta securitate iudiciis lectorum illudere veriti non estis? Cæterum Vespillonis filio esuritionum patri tandem metuendum erat, ne fame tabesceret, nisi in culinis Romulorum, Remorumq; vestra mendacia illi offusa quæsiuissent, quibus inanem ventrẽ expleret. Quemadmodum enim cæci cum cantilenis quibusdã oberrantes ostiatim frustra panis, aut stipem emẽdicant, ita parasitus iste cum hoc instructu mendaciorum vestrorum vrbem perreptans vix tandem prandiolum aut sportulam a fatuis, a nasutis nihil, præter plorare, consequitur. Sed quum Benedictus Burdo fuerit Veronensis, Veronica autem sartoris Taruisini filia, quæro, vtrum Taruisium Benedictus nuptias eius petitum iuerit, an ea Veronam, vt Benedicto

pedicto nuberet? Nunquid ea Ludimagistros Taruisii, Benedictus sartorũ filias Veronæ non reperiebat? In hoc agnosco in istis Burdonibus aliquod fatum regium. Nam quemadmodum Reges & summi Dynastæ longe cõditiones petunt, ita istum Benedictum Burdonem non piguit Taruisium proficisci, vt cum Burdonis filia, muliere gentili sua, & sui ordinis, coniugium iniret quãquam hoc vnum ad felicitatem illius cõnubii defuit, quod illecum Sartorum, quam Vespillonum genere affinitatẽ contrahere maluerit. Sed excusari potest, quod in Neumarchia Palatinatus nunqã fuerat. De Veronica Lodronia quid sentiant carcinomata generis humani, non est honestorum hominum curare. Sat est ab illis id laudari, quod a nebulonibus vituperatur. Huius magnanimæ, & excellentissimæ Heroinæ, prisca & illustri nobilitate, præclaris animi & morum dotib. & nullum testimonium in literis exstat, quod obtrectatorib. opponamus. Est tamen, q̃ sine piaculo omittere non possumus, ad quod ingenua iudicia respectum habebunt. Monstra hominũ non moramur. De anno, quo Typographica ars inuenta est, nõ conuenit inter scriptores. Vt quisq; vetustũ librum nactus est ante CXL. annos impressum, eum putat primum omnium excusum. Volateranus in illam congeriem Commentariorum suorum multa temere & sine delectu coniicere solet, in quibus illud: auctores artis impressoriæ fratres duos, homines Germanos edidisse Romæ Augustinos de Ciuit. Dei, & Lactantium, eosq; primos omnium prodiisse an. M. CCCC. LXV.

quibus significat eo anno natã Typographiam, idque Romæ. Alii producunt libros Ciceronis de officiis anno M. CCCC. XVI a Iohanne Fust impressos. Vnde quidam somniant & ipsum Fust artis inuentorem fuisse, & ante eos libros Ciceronis nullum fuisse typis excusum. Alii ab eodem Fust primum omnium Mogunciaci impressum fuisse Doctrinale Alexandri Grammatici. Omnium vetustissimum, cuius tamen nomen reticetur, Venetiis excusum profert Rabbi Ioseph Sacerdos in Chronico suo, anno Iudaico 5188. Christiano M. CCCC. XXVIII. quod nemo hactenus animaduertit: certe nemo indicauit. Vnde ille Iudæus colligit artem imprimendi ab eo libro incepisse. Sed falluntur omnes. Nam opus Ciceronis de officiis non est primus librorum, qui typis excusi sunt sed primus Ciceronis liber de officiis. Idem de reliquis iudicandum. At illi libri eodem modo, quo hodierni, impressi sunt, ex plumbeis nimirum literis simul compositis & in formas quadratas stipatis. Atqui aliter rudimenta artis incoata sunt. Nam non ex discretis & singularibus typis inter se iunctis, vt hodie fit, cœptum est imprimi, sed in pagellis ligneis, quibus literæ incisæ erant: qui modus primus excudendi in nostra Hollandia Harlemii inuentus fuit, vbi etiam hodie ædes ostenduntur, in quibus inuentor artis eam primum periclitatus est. Harum pagellarum meminerat Accursius Mariangelus in Donato suo in membranis excuso, qui liber postea in potestatem venit Aldi Manutii iunioris,

ris. Verba Mariangeli. Post alia: *Impressus autem est hic Donatus & Confessionalia primum omnium anno 1450. Admonitus certe fuit ex Donato Hollandiæ primum impresso in Tabula incisa.* Rudimenta igitur artis Typographicæ ab editione Donati inceperunt in Hollandia, non ex typis, sed ex Tabula incisa. In vrbe vero Harlemiensi inuentam testatur vir eruditissimus Hadrianus Iunius; qui quum iure hanc patriæ suæ vindicarit, & non pauca digna cognitu de eius incunabulis prodiderit, eam a Tabulis incisis, & ab editione Donati cœpisse ignorauit. Illustrissima Veronica Lodronia Horologium beatæ Mariæ, (vulgus vocat Matutinas horas) penes se habuit, pagellis ligneis incisis impressum in membranis, literis inter se colligatis, & connexis, vt mos scribendi est mercatoribus & Tabellionibus properantibus, præsertim Germanis, & Belgis; ita vt chirographū hominis Germani diceres, neque sane quis facile primo intuitu diiudicare potuisset, nisi monitus, aut attentius in lectione immoratus. Locus, vbi is liber, & annus; quo excusus fuerit, non appositus erat. Is oblōga forma erat, ligneo tegmine munitus, sed cui extrinsecus operimentum serici villosi iam vsu detriti adglutinatum esset, argenteis marginibus inclusum. Librum aperienti in auersa parte tegmiuis, quod eius crassitudinis erat, vt cauum modicæ profunditatis capere posset, incisum erat loculamentū rotūdum, crusta cryſtallina obtentum, in quo Crucifixi, Mariæ Virginis, & Io. Euangelistæ sigilla ex ar-

gento inclusa erant. Infra non longe a pedibus Crucifixi hoc chirographum muliebre exstabat: VERONICA DI LVDRONE DELLA SCALA, cum quibusdam literis Germanicis pessime designatis, quæ eiusmodi erant, vt in illis fœminæ manum facile agnosceres: & quamuis longa tractatione obsoleuerant, tamen neque vlla ex illis perierat; neq; ita deformata erat, vt cõmode legi non posset. Hunc librum, quem xxxvii. annis post matris suæ obitum possederat Iulius Cæsar Scaliger, a cane leporaria discerptum diu doluit, & magno illud damnũ redemisset. Quæ omnia Iosephus, quamuis tunc admodum puer esset, & vidit, & meminit, & vt testatus est; ita summa fide retulimus: & Iulius eius frater, qui milliès hoc amicis retulit, si viueret, idẽ perhiberet: Hæc est illa Veronica, quæ fortissimo, cõstantissimo, optimo heroi, sed infelicissimo Benedicto Scaligero nupta fuit; & cum eo, ac filio Tito eodem monumenta Ferrariæ sepulta: mulier prudẽtissima, grauissima, Germanice & Italice disertissima. Ei pater fuit Paris Ludronii comes, auus maternus Comes Antonius Nugarola, eques auratus. Matris nomen referre non possumus. sed materteram eius præstantissimam æui sui Herciniam, Angelam Nugarolam, Antonii Arci Comitis vxorem ignorari non patiuntur eximiæ ingenii & morum dotes, scripta eius Latine & Hetrusce tam carmine, quam soluta oratione ab ea relicta. Qui eius vitam, ingenium diuinum, pudicitiam, formam prudentiam, pietatem erga maritum, patriam, amicos

amplius

amplius noſcere cupit, legat caput CLIX. Fratris Iacobi Philippi Pergomatis, Auguſtiniani Eremitæ de claris mulieribus. Neq; ſola illa fuit in gente illuſtriſſima Nugarolarum, quam dotes animi, ingenii. & morum commendarent. Nam eodem tẽpore florebant eius gentiles Gineura, & Iſota Comitis Leonardi Nugarolæ equitis aurati filiæ. quarum prior Brunoro Gambaræ equiti nupſit. Iſota autẽ in perpetua virginitate permãſit. Nihil de virtutib. gentilis eius Angelę diximus, q̃ non de iſtis dici poſſit. Ambæ enim ſcriptis a ſe Latine & Etruſce editis ſatis nobilitatæ ſunt. An Taruiſinæ ſartoris filiæ hæc conuenire poſſint, viderint, qui eam nuper de ſterquilinis ſuis eruerunt Terræ filii, homines ridicule mendaces. qui ſi aliquo iudicio prędi ti fuiſſent, potuiſſent ſpecioſius mentiri, & fabulę colorẽ eiuſmodi inducere, qui ſi non vi veritatis perſuaderet ſaltẽ feſtiuitate, ac venuſtate mentiendi lectores allicẽret. Iam monſtra Burdonũ, Bordonorũ confecimus. Iulius Cęſar Scaliger ac a Burden idẽ eſt, qui antea, integra fama, nulla, aura, aut cõtagione ſordiũ generis afflatus, nulla labe ignominiæ aſperſus, aduerſus calumnias Cercopum veritate ſola tutus, patre Bened. Scaligero, matre Veronica Lodronia, vtroque illuſtriſſimo. Væ victis. *Rumpatur quiſquis rumpitur inuidia* Vnum reſtat nomẽ expungendũ, ne qd debeamus. Iulius, iniquiũ fures Sandapilonum filii a Cercopib. & Scarabeis monitis nõ prius ſe Scaligerũ vocare auſus eſt, quã in Aquitaniam venit vbi primũ Scaligerum ſe dici voluit, quum

antea Burdo, Bordonus, Bordonius vocaretur. Hęc scurilitas superiorum gemina & similis est: neque mirum: eosdem enim auctores habet. Si pater eius cognominatus est Benedictus Scala a Scalis S. Marci; aut a Scala, quam pro insigni in fronte tabernæ suæ pinxerat, vt scurræ Pantaleonum dicunt, mirum est non retinuisse illud cognomen, quamdiu in Italia egit; sed illud in profectionem Gallicanam distuliſſe. Si enim pater eius Scala a Scalis S. Marci vocabatur, quæ inuidia erat cognomine vti? Primus Cicero in gente Tullia, & primus Cæsar in Iulia cognomen suum in posteros eiusdem familiæ transmiserunt. Legimus passim ridicula cognomina, in Romanorum familiis, quæ quum vni impoſita fuissent, posteri retinuerunt, neque sibi dedecori fore putarunt, si ea vsurparent. Si igitur iste imaginarius Benedictus Scala nuper in Pantaleonum fornace conflatus illud cognomen iam proprium fecerat, filius eius Iulius potuit id sine vlla inuidia, ac nemine refragante, tâquam hereditarium vsurpare. Mendaci homini quam memori esse expediat, nuspiam clarius patere potest, quam in hoc putidissimo mendacio, filium non ausum fuisse cognomen patris vsurpare, nisi post triginta plus minus annos, quam pater ita Venetiis appellari cœpisset. Tanta væcordia est, tanta obtrectationis prurigo, vt non senserint se pugnantia loqui. Quid vetabat dicere, cognomen patris ita filio placuisse, vt in posterum illo potius, quam Burdonis, notus esse in Italia voluerit? Hoc modo si non pudentius,

tius, tolerabilius tamen mentiti essent. Verum age, si Iulius non assumsit cognomen Scaligeri, nisi postquã in Aquitaniam venit, vicerit Burdonum fabula. Sin autem, ——*pereant qui nigrum in candida vertunt.* Albertus Durer pinxit Benedictum, Bonifacium, pinxit puerum Iulium Cæsarem Scaligerum, pinxit adolescentem, viro proximum, virum. Bis & vigesies eius vultum minore & maiore modulo expressit, vt non semel asseuerabat ipse Iulius, qui quasdam etiam ex posterioribus illis tabellis diu asseruarat. In illis Benedictus, Iulius, & Bonifacius & Titus semper Scaligeri, non Burdones, manu Dureri designati erant. Marius de Aluetio Æquicolus illustrissimorum Mantuæ Principum cliens, ipsius Iulii familiaris fuit. Ad eum, vt supra retulimus, qui, quum anno M. D. XVII. Iulius scriberet, inter alia hoc addit: *Vix dum etiam attigeram maturi luminis oras*, &c. *Excidimus patrijs rebus.* Impudentissimum, & vere vespillonem oportebat esse, si quum se Burdonem esse sciret, Benedicti Burdonis famelici scrutarii filium, ausus fuisset dicere se Scaligerum esse, & excidisse patriis rebus? quomodo patriis rebus, si pater præter scruta nihil habebat? Qua fronte apud tantum virum se pro Scaligero gerere potuit, si Burdo, non Scaliger erat? Eodem tempore Mantuæ degebat Matthæus Bandellus Insuber Dominicanus, vir eloquentissimus, & optimus, qui postea per aliquot menses Episcopus Aginnensis fuit, & Mantuæ Marium Æquicolum summa obseruantia coluit, atq; ibi cum

Iulio Cæsare arctissima amicitiæ necessitudine coniunctus fuit, quam ab eo tempore, ad supremum vsque vitæ diem, in Aquitania perpetuauit. Is, quum vnam historiarum suarum, quas Aginni Etrusca lingua Boccatium imitatus conscripsit, Iulio dedicaret, eum non solum Scaligerum agnoscit, sed etiam illustrissimum vocat in epistola dedicationis. & quum in quatuor tomis ingentibus, singulas singulis summis & nobilissimis, ac generosissimis viris dedicauerit, neminem eorum maiori honore, quam Iulium affecit, quum tamen aliquot ex illis illustres vocare nulla fuisset inuidia. neque sane caussæ erat, cur eum alio cognomine afficeret, quam quo illi Mantuæ & alibi in Italia notus fuerat. Anno M.D. XVIII. Bononiæ Iulius Cæsar aliquot opuscula Galeni manu sua descripsit, quum Galenus nondum Græce editus esset: & plura descripturus erat, nisi ab amicis admonitus editionem Galeni Græcam ab heredibus Aldi adornari, ab incepto opere, ne actum ageret, destitisset. Exstat hic penes Iosephum filium exiguus Tomus illorum opusculorũ tanta elegantia, tam æquabili litera scriptus, vt non tyronis Hellenismi, aut ἀνδρὸς ὀψιμαθοῦς ἀλλὰ ἰθαγενοῦς Ἕλληνος ἰδιογράφιον dicas. In eius libri auersa parte primi folii hos versiculos manu illius eadem opera, eodem atramento exaratos legi.

Τὰ μὲν Γαλήνου ταῦτα συντάξεις ἔχει.
Καῖσαρ δ' χεῖρα καὶ γραφὴν ἐνήρμοσα,
Τὸ μὲν αὐτοκράτορος ὄνομα καὶ θυμὸν πνέων.

Γένους

Γένος δ' ἀείσων στέμμα Σκαλανῶν φέρων.
Βάρβαρ' ὑπέλυμαι, ἀλλ' οὐδέτε ἐυχομαι εἶ).
Οὐδ' ἂν ἀμειψαίμην θεὸς Κρονίωνα πατέρα.
Ἦν ὁ Σκαλανῶν θεῖος γένος, ἔρις δ' ἄρης,
Φοῖβον ὅλον κατέχων σήδει, παίγμα τύχης.

Eos versiculos a nobis conuersos non auderem his subiicere, nisi scirem iis, qui Græce nesciunt, rem gratam me facturum, si ea lingua, quam intelligunt, expressos darem:

Libris Galeni quos volumen hoc habet,
Accommodauit Cæsar & calamum & manum,
Qui nomen & cor Imperatoris gerit,
Insigne gentis stemma Scalanæ ferens.
Barbarus haud ego sum, quin nolim barbarus esse.
Cum Ioue commutem nec genitale solum.
Scaligero sed sum de semine, Martia proles,
Phœbum animo spirans Forsytia crebra pila:

Ecce στέμμα Σκαλανῶν φέρων, item θεῖον Σκαλανῶν γόνος, quum adhuc ageret in Italia. Ac propterea alicubi scribit se primum omnium Galenum Græcum in Aquitaniam detulisse. Nam Galeni editio absoluta fuit anno M. D. XXV. apud Aldi heredes. Iulius autem anno sequenti in Aquitaniam venit. Vrriga Gambara anus, æqualis Iulii; nobilissima femina Brixiensis, quæ Iulium in Italia ante nouerat, quam Constantiam Rangoniam in Aquitaniam comitaretur, tantum abest, vt eum Scaligerum non agnosceret; vt etiam sese affinem eius diceret tam ex Gambararum, quam Ludroniorum gente. quod verissimum est. Nam Scaligeris cum Gambaris affinitas intercedebat.

Exercit. CC. XLV. *Nam si Gammarum vocas eum, qui cauda caret, Cancrum dices illum, qui ad Binascum frequentissimus est in vestratibus patinis, quem vulgus tuum, quam tu, rectius vocat Gammarum, insigne in armis vicinorum tuorum, affinium meorum.* Et præterea Brunoro Gambaræ equiti aurato nupserat Angela Nugarola Iulii Cæsaris Scaligeri magna matertera. Dynastæ Ruuerenses, omnes Taurini Ligures, viri, fœmineæ, pueri non alio quam Scaligeri cognomine eum denotabant. In arce Vici noui Ruuerorum, in parietibus, in specularibus inciſum nomen Iulii Cæsaris Scaligeri exstabat adhuc anno M. D. LXV. quum in Taurinos Iosephus veniret, & Constantium fratrem adolescentem acerrimum & fortissimum ibi reperisset, qui apud Dynastam Vici noui agebat exspectans aliquot nobiles, qui vna ad bellum Hungaricum profecturi erant. & id Iosepho retulit, quum apud illustrem Hieronymum Ruuerum in vrbe Taurinensi in palatio eius Archiepiscopali vna cœnarent. Nobiles puellæ arcis Ruuerensium Vici noui in sudatoriis, quæ in ludo Scacchorum ab ipsis, vt solet fieri, stipulabatur Iulius, si in ludo vincerentur, insignia Scaligerorum, & nomen Iulii Cæsaris Scaligeri intexebant. Ex illis quædam seruauit diu Andietta Rupia nobilissima & castissima matrona Iulii vxor. Marco Antonio della Rouere Episcopo Agennensi nomen Burdonis tam ignotum fuit, quam Scaligeris Burdonum scrutariorum stercorea & commentitia propago. Neque is bonus

pus vir eum aliter vocauit, ac ab aliis vocari audiebat, & semper vocatum fuisse sciebat. Supellex argentea Benedicti Scaligeri, cauum argentum, pollubra, gutti, lances, quæ ante CXL. annos Noribergæ in Germania elaborata fuerant, insignia Scaligerorum insculpta habebãt. Horum reliquias aliquot adhuc penes se habebat Siluius liberorum maximus natu, anno MD.LXXXV. in quibus Aquila imperialis & Scala Scaligerorum, non Pantaleonum. Hæc sane sunt vera scruta Benedicti, non illa Pantaleonum. Item illa, quorum mentio Exercit. XCII. *Hæc scimus nos, quum haud paucas* (porcellanas) *exstare comperissemus adhuc inter miseras reliquias veteris ruinæ Scaligerorum.* Itaque si abhinc CXL. plus minus annos Benedictus eam supellectilem confici curauit, quomodo si Burdo erat, insignia Scaligerorum gestare maluit, quã baculos, quos *bordones* vulgo vocant, qui in Diplomate Patauino exstant? Erat quidam in familia Episcopi Aginnensis Tagliaburgus a vico Ligurum, vbi natus erat, dictus, aliquot annis maior natu, quam Iulius. Eorum, qui ex Italia in Aquitaniam venerant, & episcopum secuti erant, nemo certiora de Iulio scire poterat, quam iste Tagliaburgus, qui Canonicus maioris Ecclesiæ Aginnensis fuit, & Iulium ab anno vsque M. D. XIX. nouerat, coluerat, & secundum dominum suum Episcopum obseruarat. Si quis illi dixisset optimo & innocentissimo seni Burdonem, non Scaligerum, eum appellatum semper fuisse, donec in Aquitaniam veniret, quid

aliter quam se in alium hominem mutatum esse, aut ludibrio haberi putasset, & sibi delirium obiici, qui eum nunquam alio, quam Scaligeri nomine vocatum fuisse meminisset? Antonius Tampa Ligur Taurinus, & ipse quoque de familia Episcopi, qui arcis episcopalis Montis Barami præfecturam, dum vixit, obtinuit, idem testaretur, si viueret, vt potè qui Iulium iam ab anno M.D.XIX. in Liguribus, & postea Aginni ad obitum eius vsque, nouerat. Nicolaus Salernus Veronensis vir nobilissimus diu degit Aginni, & in prætoriis Episcopi vna cum Bandello vixit. Is neq; audiuit, neq; legit, neque sciuit eum aliter, quam Scaligerum vocatum semper fuisse. Eius fratris filius Horatius vna cum Iosepho Burdegalæ apud Simeonem Beaupe Aurelianensem literis operam dabat anno M. D. LIIII. Idem dico de Torello Venonensi, qui Iulium non raro inuisebat, quamdiu in Nitiobrigibus egit, neque pili eum faciebat, si quæ aura aut susurrus Bordonotum siue Patauinorũ, siue Veronensium aures eius verberasset. Iulius antequam in Vicum nouum Rouerensium se conferret, hæsit aliquandiu apud Plotiascos Nonnii dominos: a quibus non aliter exceptus fuit, ac si ex eorum familia fuisset. quẽ honorem illi profecto non habuissent, si alicui Burdoni, nõ Scaligero se id facere credidissent. Quin ex fratrib⁹ Plotiascis vn⁹ Canonicus Aginni in maiore basilica fuit, vir doctus, sed valetudinarius. Is sella gestatoria delatus quotidie Iulium inuisebat, & festiua iocis miscens, quæ suauiter in Nonniana

arce

arce transactæ sæpe mentionem faciebat. quin moriens legauit illi nescio quid filiolorum. Ei Iulius non alio cognomine notus, quam fratribus eius fuit, dum in Liguribus vixit. Cardanus, qui poterat videri iustas causas habuisse illum vlciscendi, nunquam ei ignobilitatem generis obiecit, quam, si vlla fuisset, procul dubio nō tacuisset, neq; sane ignorare potuit, quum ibi degeret, vnde scire poterat. imo adeo Scaligerum eum esse credidit, vt & maiorum fratricidia ei exprobrauerit. N. Sanfelicianus Aquitanus Rutenus, eques Rhodius qui viuebat adhuc anno 1584 ætatis suæ 91. vir nobilissimus, & in ea ætate integris sensibus, & optima memoria Iulium in Sicilia, & in Italia nouerat. Is apud Saluium Cæsarem Iulii filium non solum eum Scaligeri cognomine designabat, sed etiam multa de eius fortitudine, peritia equitandi, militia magnifice prædicabat. Erasmus, qui vbiq; gentium ἀταξίας habuit, in quib. etiam mercenarios nō paucos, tantum abest, vt aliter, quam Scaligerum vocauerit, vt, quia monitus erat cū fere semper militasse, hoc solo argumento negare ausus sit, cum auctorem fuisse orationis, quam pro Cicerone aduersus illū scripsit; idq; testatus est Epistola, quam ad amicos duos scripsit, q̄ cogit Iulium aliā orationē scribere, qua se prioris auctorem asserit; quæ vna cum epistola ill. Lutetiæ apud Vidoueum edita est. Sed Erasmus homo vaferrimus per emissarios suos omnia exēplaria magnis sumtib. conquisita summis abolere curauit. Vnum exēplar Iosephus reliquit Aginni.

Neque vllum præter illud, nanciſci, aut videre potuit. Tanta fuit emiſſariorum Eraſmi diligentia. Quum autẽ poſtea in alia Epiſtola eum per contumeliam militem vocaret, & hoc ſolo aliis vellet perſuadere tantũ eruditionis illi non fuiſſe, vt eiuſmodi orationes meditari potuiſſet, ob eam cauſſam Iulius ad tertiam orationem commentandam animum appulit, cuius editionem mors Eraſmi interpellauit: & cum reliquis operibus eius in direptione ſupellectilis primo bello ciuili periit. Nihil vero Eraſmus tam ſerio affectauit, quam ex militia eius eum literarum imperitum probare, quum tamen aliter ſe ſentire apud amicos diſſimulare non potuerit. quod quadam ad Conrad. Goclenium epiſtola teſtatur: *Iulii*, inquit, *Scaligeri libellum tam ſcio illius eſſe, quam ſcio me viuere. Id tamen diſſimulandum eſt, ne magis inſaniat prodito fuco.* Vides credidiſſe, & diſſimulaſſe. De hac tertia oratione monitus ab emiſſariis ita ſcribit ad Damianum a Goes, anno M.D.XXXV. *Aiunt Doletum quendam in me ſcribere. Minitatur neſcio quid & Julius Scaliger.* Itaque Eraſmus qui de eius militia ab iis edoctus fuerat, qui eum in Italia viderant, nunquam ab iis audiuit, aut didicit ipſum Burdonem vocatum fuiſſe. Ecquod præclarius teſtimonium dare poſſumus, quam ab homine Italo, qui eũ in Ligurib⁹ familiariter nouit, Cœlio Secundo Curione, viro diſertiſſimo & piiſſimo? Eius ex epiſtola ad Paulum Scaligium hæc verba ſunt. *Julius Cæſar Scaliger, de quo tuo nomine mecum egit Oſualdus, fuit corpore procero,*

cero, meæ omnino staturæ, recto, ad dignitatem composito, colore subfusco, oculis micantibus. incessus omnisque gestus grauis, sed sine fastu: vestitus elegans. Ita aspectu ipso Principem virum iudicares. Sermo ceteris respondens, rarus, in quo grauitas cum humanitate & lepore certaret. Sed bene Latine ab omnibus loqui existimabatur. Vxorem duxit nobilem & primariam suæ ciuitatis puellam Aginni, quam Agen vocant Galli in Aquitania, ex qua aliquot liberos suscepit, quorum maximus natu Siluius Cæsar appellatur, quem viuere existimo. Hæc habui certa de Scaligero tuo meoque. Si Burdo antequam in Aquitaniam veniret, vocatus fuit, quare Scaliger ac homine, qui eum in Liguribus intime nouerat, vocatur? An acutius telum esse potest ad iugulum sycophantiæ petendum? Certe ne Natura quidem ipsa melius eum formare potuit, quam a Cœlio Curione descriptus est. Qui hominem viderunt, (exstant enim Aginni non pauci) nihil mentitum dicent, neq; pilum latum ab eius moribus, sermone, forma describendis. Cœlium discessisse testabuntur: qui tam paucis verbis totum Scaligerum non minus expressit, quam vultum eius penicillo suo Durerus. Hoc vnicum testimonium satis erat profligandæ calumniæ. Sed maluimus crebris ictibus bestiam repetere, vt miserius periret, quam vna plaga conficere. Videtis igitur, viri acutissimi, flos delibatus sapientiæ, nisi alios Burdones habetis, præter eos, quos magno conatu conquisitos cum tanta infamia vestra in medium produxistis, vos oleum & operam per-

didisse. Neque adeo oportebat vos μακροῖς κύλοις ἄδειν, vt postquam omnia feceritis, quo manibus Iulii Scaligeri iniuriam faceretis, nihil quam posteritati ludibrium vestri relinqueretis. Nam quid ex ista molitione consecutisitis, non video, præter infamiam & turpitudinem, quam aliis inflgere volebatis. Iulius, quod pace vestra dixerim, iam a puero est Scaliger: adolescens, vir, per omnes ætatis & vitæ gradus, non alius, quam Scaliger fuit. Non calumniamur. vos, si verum amatis, iud cesfero. neque magis fallaciis, mendaciis, sycophantiis vestris efficere potestis, vt Iulius Scaliger sit Iulius Burdo, quam vt Amphitheatrum horroris sit sanctuarium veritatis, & melioribus maledicere, nullam rationem dignitatis, generis, virtutis habere, nulli hominum ordini parcere, hoc sit vineam Dei colere. Vos in manifesto mendacio deprehensi estis. Iam Scaligeris prouisum est, quomodo locum suum tueantur, quomodo vos mendacia vestra tueamini, & quam latebram vanitati quæratis, vestrum est videre. Interea verò dum ad choragium itis, vt aliam personam induatis, & spectatores tibicen oblectat, patiamini, quæso, tantum temporis nobis dari ad veram historiam expromendam, quantum vobis superfuit otii ad ridiculam fabulam commentandam: vt postquam quis fuerit Iulius, de quo aliquid iam nobis dicendū est, didiceritis, tunc aut sententiam mutetis, aut saltem silentium vobis ipsi imperetis. IVLIO itaq; CÆSARI pater fuit

Bene-

Benedictus Scaliger, patrui Bonifacius, Hieronymus, Titus, Franciscus. Trium vltimorum duo priores ad fretum Euboicum anno M. CCCC. LXXI. Franciscus ad Methonem cum Turcis pugnantes circa idem tempus occubuerunt. In oratione priore in Erasmum: *Quid tu nos ab eo signo reiicis, pro quo aliquot patruorum meorum ad Methonem, & Euboeam mortui sunt?* Francisco filius fuit Marcus cognomine Russinus, a russo oris colore dictus; qui Mantuæ a Iulio Vincio Martolosso Venetorum emissario obtruncatus est vna cum duobus filiolis Mauritio & Iulio. Felicius cum illis actum fuisset, si Burdones fuissent. De Benedicto eiusque militia ita filius scribit Poetices lib. 3. *Benedictus Scaliger cum Matthia Coruino Rege Turcarum exercitus multos fudit: equitem e suis nullum stipendiis, vt alii faciebant, defraudauit: Dei Opt. Max. cultum, præter morem militarem prima summaque habuit in commendatione: subditorum multis, quos Bonifacius frater supplicio dignos iudicabat, ignouit.* Exercitatione in Cardanum CCXXVI. 12 *Is Dominius, quum in naues impositam manum militũ, iussu patris, duceret suppetias Rhodiensibus, per anchoræ funem subeuntem a se visum* (nempe in Oceano Gallæco, vt infra) *dicere solebat hominem marinum.* De eadẽ re Commentario II. περὶ ζώων ἱστορίας. *Hieronymus Dominius vir simplicissimi animi, præceptor meus e Norico, in Oceano Gallæco noctu hominem per anchorarium funem adrepsisse, securis imminentis de portisculi manu metu demersum vidisse sese.*

Sebastianus Epirota patris mei miles ab sese vnum visum Tritonem inter Apolloniam & Dyrrachium me adolescente prædicabat, etiam irridente. Georgius Malacassa ex eadem terra eiusdemque contubernii, præfectus leuibus equitibus ab se vnum spectatum Methona in litus eiectum. Constantinus Palæocapus a patre suo visum vnum in sinu Euboico, quũ militaret aduersus Baiazetem Othomannum, narrauit mihi. Valerius Tesira Valentinus eques patri meo ab sese vnum visum viuum exceptum retibus, paloque alligatum; legatis, quorum nunc in mentem non venit, ostentatum quasi ad supplicium quendam maleficum virum. Summissum deinde equitem, qui suum affinem legatis diceret: oraret, impetraret ab Rege veniam: se eius beneficii memorem, neque ingratum futurum. Legatus impetrat de subridente Rege. Nam mox solutus vinculis in mare de scopulo, vbi vinctus steterat, præcipitem sese dedit. Comment. περὶ ζώων ἰσος. *Narrauit mihi pater. Bello Carolino tirunculus Gallus in Calabria quum mel surripuisset, iniuria affectis apibus, atque euersis aluearijs, vbi equum vespere consedisset, *potum vehentem eum, atque equum ab apibus interfectum.* In his ego, qui meus stupor est, nihil video, quod ad Ludimagistrum, aut scrutarium Pantaleonum pertineat, nisi fortasse dicant longe aliter illi accidisse ac Dionysio, qui ex Rege Ludimagister fuerit: iste contra ex Ludimagistro Veronensi summus dux belli euaserit. Qua autem gratia apud Maximilianum fuerit, habes Exercit. CC. LIX. *Puer hoc ego didici ab Hebræis, qui, quod patris mei gratia,*

qua

quæ apud Maximilianum Cæsarem valebat, ab Imperatore certa diplomata impetrassent, clientes familiæ nostræ facti sunt. Hic quærendum esset, quando tanta gratia apud Imp. valuit: vtrum quum Ludimagister esset, an quum in Scalis Pantaleonum vilia venderet togato scruta popello? Huius præstantissimi viri dictum refert filius Poetices primo. *Soccus humilis est. Italas mulieres altissimis vsas vidimus, quamuis diminutiua voce dicant Soccolos. Patris mei per facetum dictum memini, Eiusmodi vxorum dimidio tantum in lectis frui maritos, altero dimidio in soccis depositio.* Fortasse inter scruta sua & socculos quoque nauis Pantaleonum vxoribus vendebat. In tota enim Italia nusquam crebrior vsus illorum, quam ibi. Is primus Scaligerorum id vsurpauit, FVIMVS TROES. Oblitus fuit hoc scribere in Scala, quam pro insigni Tabernæ suæ posuerat. De Bonifacio patruo sic primo Commentario περὶ ζώων *Captas* (capreas) *iuuenculas habuit Bonifacius patruus mansuetas: e quibus vnum spectabamus summa cum iucunditate captum imagine capreoli in aulæo texti ad eam maximis internallis saltire.* De eadem re Exercit. CCVII. *In aula patrui Bonifacii vidimus cicures* (capreas) *assilire ad aulæa pendentia, in quibus similes essent intextæ feræ.* An Burdonum gens aulas, & aulæa habuerit eo seculo, nondum rationem inire potui. Exercit. CC. *Haud procul Dertona Palauicinum quendam, qui esset in venatione, & Hispanica lancea serpentem interfecisset, tum eiusque equum morte deletos audiui e fortissimo equite Antonio Lazaro, qui sub*

patruo meo Bonifacio stipendia faciebat. Non puto fassem Burdoni conuenire turmam habere, nisi alius locus succurrisset; Exercit. CLII: *In Liguribus Taurinis anserculos cicutæ foliis deuoratis illico expirasse: qua tamen in prouincia vulgo eius radices pro delitijs habent in acetarijs, additio etiam elogio salubritatis. vrinas enim ciere valde admodum. Ego quoque sæpe esitaui, sisari sapore. In valle tamen Polyzela præsentibus nobis cicutæ radix recepta pro petroselino in prandium a vinitore per initia iuuniorum amentem fecit. Nazarium Bassanum ciuem nostrum, & equitem fortissimum turmæ patrui Bonifacii*, &c. In Chroatia degit: Commentario III. περὶ ζώων ἱππος. *Nudum equum præfecti nostri viri fortissimi Rauschani, qui magister equitum Diui Maximiliani fuit, siculem attrectatu vidimus. at faleratum ne attingeres. Is equus Boemicus fuit, patientia, pernicitate, obedientia, forma, atque animo præstantissimus omnium, quos vidimus. Habebat & similem Bonifacius patruus, quem dono acceperat a Sigismundo Chroatiæ principe familiæ nostræ amico summo.* In Hungaria apud Matthiam Regem. Comment. IIII. περὶ ζώων. *Is* (Coruus) *Ostrozzam patruo missus breui tempore Hungaricum personabat*, &c. Hactenus de Bonifacio. Titus Benedicti filius Iulii frater natus est Ripæ ad caput Benaci, susceptus ex baptismo a Tito patruo. Scarabæi Ausoniani commenti sunt Baptistam vocatum, quod Veneti Tito pro Baptista dicunt. Ergo patruus eius, qui illi nomen in baptismo imposuit, Baptista non Titus dictus fuerit. Itaque

Natia

Nenia de illo Baptista ita facile eluditur, quæ nupera & nouitia est, post diuinam locorum controuersorum editionem nata. De huius fortissimi viri virtute ita frater eius Poetic. lib. II. cap. XX. *Talia verba Alfonso Ferrariæ Duci in cladis Rauennatis procinctu quum essemus, frater meus, vir fortissimus, atque multis præliis clarissimus, semperque victor Titus Scaliger sese cohortanti, atque patris Benedicti gesta in memoriam reuocanti dixit, se aut morte, maiorum suorum illustrem gloriam instauraturum, aut vita fortunam superaturum.* Nimirum quum Dux Alfonsus proponeret illi maiores eius, Burdones, scrutarios, & sartores intelligebat. IVLIVS CÆSAR SCALIGER eques auratus, in quo totius mimi de Burdone scena agitur, & ipse quoque natus Ripæ, primam pueritiam in agris maternis, vel aui materni egit. Exercit. CIIII. 23. *Me puero apud maternos nuos agente Lodroni ad Salodianos, ni fallor, montes*, &c. Exercit. CCLIX. L. *Lodroni educato mihi apud maternum auum, in prima pueritia, & mox ad tyrocinii rudimenta apud Maximilianum*, &c. Exercit. CXXIIII. *In aui materni Paridis arce Lodroni, quum essemus pueri, leporem aluimus, qui adultus cum cane leporario etiam interdum a recenti cruento venatione, libere, ac secure lusitaret.* Exercit. CCLXVI. *Namque apud maternos affines Hans, Conrad, Lienhart, Wolfgang, si impexa, fœda, absona videntur tibi: at Raticis nostris, atque Vindelicis, atque Noricis deformis videatur Zuan, Togno, Pider, Zuni.* Non mirum

Veronam eandem cum Patauio esse, quum hic videamus Taruisium & Ludronum eãdem vnamq; vrbem esse, & Veronicam Paridis Comitis filiam eãdem cum Veronica Paridis Taruisini sartoris filia. Sacro lauacro a Paulo Middelburgensi impertitur. Exertit. CCLXVI. *Paulus a Midelburgo*, &c. *is Paulus quum mihi salutis lauacrum impertiretur, iussit hoc nomine, quo tibi notus sum, nominari.* Io. Iucundum Veronensem, qui postea Franciscanus fuit, præceptorem habuit. In Heroibus.

Prima elementa mihi puero dedit ille tenello,
Qui norat magni prima elementa Dei.

In Satyris.

Pauca tibi narrare volo, quæ dicere quondam
Mi solitus Iucundus, homo integer, acer, amusis,
Fermentato iudicio, ingenioque subacto:
Quem velles vidisse adeo, atque audisse loquentem,
Eclides, & Vitruuius cui cedere possent.
Nam geminos posuit pinguis tibi Sequana pontes,
Impleuitque alias immensis molibus vrbes.
Hunc mihi Phœnicem linguaq; & moribus auctor
Vitæ vtriusq; pater dederat consultus habendũ. &c.

Exercit. CIIII. 23. *Dicebat Io. Iucundus præceptor noster, omnium bonarum artium vetus, nouaque bibliothea*, &c. Exercit. CCC. XXIX. *Ioannes Iucundus ciuis noster, nobili genere prognatus; qui Maximiliani iussu cum Hieronymo Dominio Norioo, fortissimo ac sanctissimo viro, inter tyrocinii rudimenta me vtriusq; literaturæ primis sacris imbuit; vir fuit in philosophia peripatetica non ignobilis, Scoticæ sectæ summus Theologus, in Mathematicis*

tieis nulli secundus, in optice atque architectura omnium facile princeps. Quod ait de præceptoribus sibi iussu Maximiliani datis, idem perhibet Poetices lib. 3. *Per initia studiorum meorum multi dati sunt nobis præceptores a Duce Maximiliano Cæsare, quem honoris caussa nomino, viri sancti, sed impolitioribus nati seculis.* De Dominio Comment. 11. περὶ ζώων. *Hieronymus Dominius vir simplicissimi animi præceptor meus e Norico*, &c. Exerc. CC. XXVI. 12. *Hieronymus Dominius e Norico nobilissimus, ac fortissimus vir, qui cũ socio suorum studiorum Ioan. Iucundo Architectorum coryphæo me primis literis Græcis imbuit.* Quum igitur Benedictus Bordonius eius pater Veronę Ludimagister fuerit, quare passus est filio suo præceptores a Cæsare dari, quum ipse alienorum puerorum præceptor esset? An minus propensus erga suos: quam alienos fuit? De suo tyrocinio Exercit. CXC 1. *Tyro quum essem, egrandioribus musis vnam albis pictam lineis speciem illectus cœpi*, &c. Exercit. CCLIX. 2. *Lodronę educato mihi apud maternum auum, in prima pueritia, & mox ad tyrocinii rudimenta apud Maximilianum; quum serores Italas, nec nisi armatus, attigissem, haud ita multum versari licuit in penitiore lingua Italicæ opulentia.* Tyronem militiæ hic agnosco, non artis tonsoriæ, quemadmodum nusquam tonsorem, sed militẽ, vt in illis Exerc. CCCXXXIII. *Celsus Sergius Cosentinus contubernalis meus, eques fortissimus.* Et CCXXXIII. 3. *Commilitones incolumem Aquilam iussu nostro amisere.* 11. Comment. περὶ ζώων *Talisque (Orca) visa est a commi-*

litonē nostro extra Gades. In eodem. Loquitur de equo Hispanico: *In bello vulnerati non cadunt. Vidimus nos sessorem equitem auexisse, & prælio flumen vadasse, cui plurimum intestinorum e vulnere delapsum humo traheretur.* Clarius de eadem re in v. Poetices, cap. IX. *Vidimus nos inter animi fidelique miracula vnum e commilitonibus auectum incolumem, equo ita saucio, vt etiam intestina per humum traheret: neque prius concidendi tempus esse ratus est, quam sessor descenderet, atque in socii terga subsiliret.* Comment IIII. περὶ ζώων, loquens de pediculis: *neq; enim fugunt, vt pulices, sed rodunt. quod nos in castris & in mari sæpe & diu experti sumus.* Fortasse intelligit, quum nauigaret cum Balthasare tonsore patrueli suo. Ibidem: *Obseruauimus passeres nos frequenter. Aliquando etiam in Liguribus Taurinis, quum in oppido Cunei nos obsiderent Suitzeri post cladem Nouariensem, quam stationem attentius seruaremus, obseruauimus passerem vnum decimum septimum initum expleſſe, quum ex opa sua (lateritii enim ibi parietes sunt) remearet ad coniugē.* Exerc. CLXXIV. *Ad montem Bellum in excubiis militaribus procul in arbore visa est lucis species. Sensim accessi miratus immobilem. Galluna erat candida, quæ multum ob tumultum, rapinamue Germanorum peditum conterrita quum aufugisset, ibi pernoctabat.* Lib. 5. Poetic. *Ceterum qui sunt in agminibus exercitati (vtinam id nobis ignotum esset) verborum tum successionem, tum cohæsionem probent.* Lib. 3. Poetic. cap. 20. *Protexit enim Lausus patrem, quemadmodum & noi nostrum, quanquam also & fato*

fato & facto. Quum pater eius in Scalis S. Marci consenuerit, quæro quando hoc contigerit. Degit in carnis, Croatia, Dalmatis, Istria, & illius tractus regionibus. II. Comment. περὶ ζώων: de Xiphia: *Dixere naviculatores mihi Iadertini non solum punctum irruere, sed etiam cæsim monere.* Ibid. de Testudine marina: *Oculis esse nitidissimis, & pupilla pretiosa inter lapillos, quum sero legissem, dolebam amissam occasionem mihi perspiciendi, verane essent. Nam pueri admodum vnam altilem habuimus dono missam pari e Tergestino sinu.* Exercit. XLVII. de Ereſiis. *Quin etiam in ora carnorum ad Adriaticum eorum nullum sensum cœpi, sed potius Subsolanos, qui secundo Sole flant.* Propterea, vt supra diximus, Carnos suos vocare solebat. Hinc est, quod Natisonem lapidiæ fluuium alloquitur in Nouis epigrammatis: *Insomnes latices*, &c. Exercitatione CCXXII. 3. *vocantque insulæ Hispaniolæ Lobum. Si eum in Illyrico vidisses, vt nos, vineas populantem, tam longa tibi nauigatione opus non fuisset.* Comment. IIII. περὶ ζώων. *Quin etiam quum in Illyriis essemus in excursione Christophori Frigepanis, & pernoctaremus in tugurio, Gallina Galli cantu cecinit semel, atque iterum, atque tertio, & quarto. Nos territi prodigio sumus. Anus hospes nostra gallinam prehensam statera appendit. Notat pondo in partem carbone. Postero die, nocte eandem appensam vbi animaduertit leuiorem, obnunciat viros a fœminis subiugatum iri. atque ita euenit, vt fortissimus ille vir ictu pilæ ferreæ interiret manu imbelli.* Iste Frigepanis

est idem cum eo, *cuius* meminit Exercit. CLIIII. 10. *Una e nostris fœminis spectata & formæ, & pudicitiæ, Franciſca nomine, quæ Matthiæ Frigepani magno & insigni Regulo postea peperit Christophorum magni nominis & potentiæ virum. Ea ante annum ætatis suæ quartumdecimum nullius suasu flecti potuit, vt carnibus vesceretur.* Hoc dixi, ne quis erraret. Fuit enim alius Christophorus Frigepanis Michaelis filius, qui & ipse pila sclopetaria interiit pro Ioanne Wayuoda Hungaro aduersus Ferdinandum Austriæ cum Caroli V. fratrem pugnans, Anno 1528. longo tempore post hæc gesta. Eodem: *Animaduerte id quoque: non esse verum hoc semper: Imberbes atque impubes esse steriles. Multos vidimus nos sine vllo pilo, inter quos Hieronymum Caluum apud Ragusam, Vidimus in Dalmatia Rhetorem, qui sibi esse liberos binos affirmabat, & tonsorem Siculum trium liberorum, quos vidimus, patrem, & Sixtum Saonensem, & alios, in quibus ne vnus quidem pilus fuit.* In iisdem Comment. *Sed quomodo Veliasit auis peregrina? imo vero vulgaris est. Nam & in valle Polyzela ipsam vidimus, & in Istris, vbi eam appellant Varellam.* Lib. 1. cap. 9. Poet. *Multum frequentemque eorū vsum vidimus in Illyrio, Græcia, Macedonia, Thracia: paucis locis in Italia, nunc in Galliis plurimum.* Primo Poetices: *Habes Amphitheatri laudes apud Martialem, quod ab Augusto destinatum Vespasianus exstruxit, Titus filius dedicauit: duo in vrbe nostra: quorum alterum admirabile. Vnum Polæ vidimus non contemnendum: Nemausi vnum structura & mole nulli secundum.*

cundum. Quomodo igitur, vt aiunt Scurræ, postquam tonsor ex classe Hispanica reuersus est, Patauium literarum discendarum caussa missus fuit, qui tamdiu in Istria, Chroatia, Carnis, Illyrio vagatus fuerit? addo etiam in Epiro. In iisdem Comment. *Etiam lacum adiuimus in Epiro, Boianam nominant, vbi sunt pisces præstantissimi.* Exercit. CLXVII. *Epiroticus ager quam lætus, quam vber sit, si non credis oculis nostris, at Varronis, Ciceronis, Aristotelis reuerere testimonia.* Nescio, an Iulio concedēt æmuli, quod ipse à Cardano postulat, vt saltem reuereantur testimonia de locis, in quibus fuit, si aliud ab ipsis impetrare non possit. Et si non his contenti sunt, accedat superioribus auctoritas ex aliis quæ inuisit. Ex Sicilia. Exercit. CCXI. *Vnam (Gazelam) Messanæ mihi Rhodius ostendit eques.* Aliquot interiectis: *Quum id e Sicilia rediens enarrassem affinibus nostris, qui in Syria fuerant,* &c. Ex Norico. Commen. περὶ ζώων. *Aquilarum maxima & fortissima est fuluo colore, quam Græci χρύσαετον vocant, quoniam veræ sit aquila nobilitatis. Hanc in Norico vidimus etiam mansuetam, & ad venandum doctam, tam vastæ magnitudinis, vt Germanicus satelles principis Bauariæ doleret cubitum gestando.* In iisdem Comment. *Hoc semel vidimus in Alpibus Taurinis: non semel autem in Noricis interfuimus cum Paulo Liechtenstein præfecto Germaniæ a Diuo Maximiliano.* Huius generosi Pauli de Liechtenstein & filiorū eius quatuor, Wolfgangi, Leonardi, Hartmanni, Georgii mentio exstat in volumine rerum Germanica-

rum C.V. Marquardi Freheri pag. 356. Ex Germania Exercit. CCXXIII. *Erasmus olim apud Albertum Durer aliquot tiruncul*, &c. In oratione pro Cicerone: *At ego Augusta, quum agerem, etiam cauponum filias aliquot vino abstinuisse, neque a nobis oblatum recepisse scio.* Sed & infra dicetur amplius, vbi de Maximiliano. In superioribus exemplis ostenditur fuisse in Norico. Sed & in Nouis Epigrammatis Alpes ipsas Noricas alloquitur, quam ibi esset. *Quæ mihi præruptis rigida ceruicibus Alpes*, &c. In Liguribus fuisse non negabunt. Nam inde in Aquitaniam se se contulit. Illud tamen prætereire non debemus, militantem ibi degisse. Exercitatione. CLVII. *Et hæc cicatrix, quæ mihi sub oculo læuo est, vix maximi periculosissimique vulneris ostendit vestigia, non alio quam balsami, auxilio: quod mihi miserat heroina excellentissima, spectatissimaque tum pulcritudinis, tum virtutis Agnesina Soleria, cuius ego hostes in campis patentibus haud semel victos, atque profligatos ex illius primum, deinde ex suis castellis atque oppidis exegeram.* Inde iux diuino Scalzonti in Hippomacte:

Spumose, concitate, saxifer Sango,
Superba proles Alpium tremendarum,
Exesa cuius fluxibus citis ripa
Peruulsa torua luce Martis inuicti
Largo cruore fortis hostis imbuta,
Tremefacta se summ. sit ad pedes nostros:
Dic imminentis auo iugo cliui,
Cuius feroces, horridasque cerucis

Pare-

Parere fractas iussit hæc sibi dextera, &c.
Idem illis in Apiculis:
Post hinc ad Ligures Tauri cognomine quid non
Patrauí, vt facerem Dominæ satis? Hostis ab eius
Arcibus expulsus, propriis exatus inanis
Solus ego. Occisæ spes. Tum translatus amor, quem
Heu flerem stultus, sapiens stomacharer. Ineptus
Quum desiderio tabescere dulce putarem,
Demũ ad me redii: & quodcunq; amiserã, idipsum
Æquius amissum ferrem, quam iam ante potitus.
In Comment. περὶ ζώων ἰσος. *Viuit Ciconia serpentibus, quos nos Stapunisii ab ea adferri vidimus. Id est, castellum in Taurinis, vbi quotannis summa in turri nidum faciebat.* In comitatu Maximiliani Cæsaris: In Comment. περὶ ζώων: De Capreis, quas Camoecias Itali, Galli Chamois vocant: *eas tiirunculis nobis comitantibus agreque assequentibus summo studio, maiore periculo, venari vidimus Diuum Maximilianum* Exercit. I. 1. *Scito affinem nostrum Leonardum comitem a Nogarola, quum legatione perfunctus inde rediisset, de hisce aliisque rebus multis apud Maximilianum multa narrare memini.* & CCXVIII. 4. *Quare non ingratum tibi futurum arbitror, si qua ab affini nostro Leonardo Nogarola apud Maximilianum, nobis pueris, enarrata memini, scribam.* Et CXVII. de Achate, in quo effigies eremitæ. *Eum lapidem Leonardus Crassus ciuis noster afferendum curauit ad Maximilianum, quum essemus Ratisponæ* Tunc quoque puer adhuc erat. Exercitatione CVII. *Balsamum desisse ais: item ais parvo esse in pretio, quorum vtrumq; vanum est.*

Nam & apud Maximilianum Cæsarem multum, & nonnihil apud patrem meum vidimus ex ipsis allatum locis purissimum: nec parum apud Carolum Sabaudiæ ducem felicissimo ad ingens vulnus cuiusdam equitis in inguine successu CCXXVI. 12. Hoc ego illum Maximiliano Cæsari prædicantem audiui. CCLIX. 2. Lodroni educato mihi apud maternum auum in prima pueritia, & mox ad tyrocinii rudimenta apud Maximilianum, &c. de Pyrriche lib. 1. Poetic. *Hanc nos & sæpe & diu coram Diuo Maximiliano, iussu Bonifacii patrui, non sine stupore totius Germaniæ repræsentauimus.* Eques ab ipso Maximiliano renuntiatus, quum post prælium Rauennate Ferraria ad ipsum Maximilianum in castellum Cadurum in finibus Taruisinorum situm sese contulisset.

Primum, cuius ego fueram olim castra secutus
A teneris miser vnguiculis, vsque adstata vitæ
Robora, nec tenui muscerda fecit onustum:
Ille quidem bonus, ac largus, sed pauper.
At vnum hoc
Plus aliis sensi, ast aliis non deterior, nec
Quem vllo posteriorem vlla virtute putaret.
Ergo manu propria dedit in calcaribus aurum
E clade ob fratrem, ac genitorē, aquilamq; receptos,
Qua nostro pinguent Caduria tesqua cruore.
Addidit & laudes, possent quæ saxa mouere, vt
Cresceret an virtus, an vis insana furoris,
Nam furor est, ista vitam pro laude paciscī.
Affinem me appellauit. mi insignia regni
Romani vt ferrem post hac virtute meapte,
Bartolomeo qua obtigerunt, vxore Bauara.

Vnde

Vnde biceps veteres noua mi daret ales honores.
Atque idem pene infantem me eduxerat, auctum,
Armis, literulis, & sanctis moribus. illum
Tandem apud exui ego tyrocinii bene culti
Prima rudimenta. inde annos prouectus ad illos,
In quibus ediderim specimenque & facta decora,
Elogium retuli. tantum in calcaribus aurum
Omne tulit punctum. haud alibi cõparuit vsquam,
Ni, ne mentiar, in modico pendente monili.

In quibus habes compendium temporis, quod in aula & castris Maximiliani exactũ fuit. Non dubito, quin Maximilianus eo tonsore vsus sit, quia tunc Germani capillum alebant, ideoque rari erant tonsores. neque alia gratia Sigismundo Chroatiæ principi acceptum fuisse, quam quod bene tonderet: Comment. IIII. περὶ ζώων. *Apud Sigismundum principem Chroatiæ picam, quæ loquacitate sua omnes demulceret, vidimus.* Et antecedente Commentario Sigismundum Chroatiæ principem vocat familiæ Scaligerorum amicum summum. Iulium Cæsarem Scaligerum equorum & equitandi studiosissimum fuisse non solum testari possent Nitiobriges, & nobilitas Vasconica, sed & ipse scriptis consignauit. Commentario de caussis plantarum. *Contra, iumenta negant a poplite deorsum crescere. Quin etiam id nos, qui equitium habemus facile obseruauimus longo vsu (studiosissimi namque huius pecoris fuimus) posteriora prius crescere, præsertim in genere mulino.* Exerc. CLXXIIII. *Equum ad cataphracti vsum e Calabria candidum habuimus. Is in tenebris, vbi strigili fricaretur, scintillas*

iaculari videbatur. Commentat. in περὶ ζώων. de equis Belgicis. *Alii* (heros) *plagarum scilicet memores, præsertim Belgæ: e quorum multis vnum vidimus magna significatione adeuntem herum auersari, appropinquantem calcibus dentibusque incessere, nec nisi tectum conscendi pati: famuli tractationem sessionemque æquo animo ferre, Vnum & nos horum habuimus, qui monitus æstus & plagarum pridianarum cubanti mihi sequenti nocte sub dio mordicus humerum arripuit thoracis beneficio seruatum.* Ibidem: *Nos vnum habuimus Hispanicum, qui pedibus posterioribus fœnum ad se traheret, simiarum more, quoniam paleis tantum aleretur.* Exercit. CCXXXI. 2. *Adolescentibus nobis equestris rei studiosissimis dono dati sunt libri de Equorum natura, educatione, electione, institutione, quos nostra manu descriptos pro thasauris habebamus.* Vnde libros III. de re equestri scripserat. quos sibi ab amanuensi surreptos & apud amicos sæpe queri solebat, & in V. libro de Poet. cap. IX. memorat. Venationis amantissimus: Comment. IIII. περὶ ζώων. de vrsa: *Conspectos nos procul, quum quid essemus dubitaret, erecta in pedes posterioris obseruauit quid rerum geremus. Vbi intellexit appropinquare, rugitum tollit, apprehensumque vrsulum deturbat per rupes decliues. tum eum sequitur, identidim ad nos respiciens. Appetita plumbeis glandibus, & ictu scorpionum, incertis tractibus declinabat accedens ad prolem, quam consecuta rursus in profundam deiecit vallem, eoque se proiecit. Incolumem vtrumque secuti sumus visu: tum parentem obire, obambulareque catulum, quasi perscru-*

perſcrutantem. Ibidem : *Non dubium eſt, quin de pardo dicat, quem vidimus venantem vnum, aut alterum, Hyppoliti Eſtenſis iuſſu, nec ſimel.* Comment. 111. *Illud quoque ex eodem Plinio falſum, luporum veſtigia ſequentes equos ſub equite rumpi. Noſtri enim nunquam rupti ſunt toti fugatis lupis, & non paucis interfectis. In agro Ferentino vnum confecimus plus horas tres veſtigia ſecuti: in Taurinis duos, in Seguſianis vnum.* Neque aliud intelligebat Exercitatione CXLIX. *Eſt enim Libanotis, ex qua Cachrys fruſtra piurimis doctis viris conquiſita, qua Ferentanos mons ille claudit, a nobis lecta.* neque quum illa ſcriberet, Exercitatione CLVIII. 9. *Verum vana omnia, quando & in Calabria neglectos in arboribus vermiculos ſine cura cultuque ſericum, facere vidimus, e quibus detrahunt incolæ.* De artis accipitrariæ, aucupii, & auium ſtudio eius peſſumus prædes dare Commentarios περὶ ζώων ἱστορίας. Tertium genus (Aquilarum) *ſecundum hanc magnitudinem Pygargus, cauda albicante; vnde & nomen. Theodorus vertit Albicillam, & Hinnulariam. Lepores enim vrnatur. Etiam nobis venantibus catellum e ſagacibus aggreſſa eſt in montanis Taurinorum ſub Alpibus Iulia.* Quod autem Alpes Iulias pro Alpe Iulia dixit, non eſt eius error, ſed eorũ. quos ſequitur. Sunt autem ſcriptores non pauci. Exercit. CCXXVIII. 3. de Aquilis: *Duas etiã aluimus. In Alpib. Veſontiorum ante oculos venatorum præuenit vna canes noſtros, leporẽq; ſuſtulit. Eum enim inter vepreta diu multumq; ſpeculatã ſumma cum volu*ptate videbamus

multis gyris exspectantem, dum exiret. Fuit illa miluo comparata tripla, colore fulua, sufflaua. Altera cum angue complicata decidit in Salutianos colles. Post: *Vt ad Aquilam redeam: commilitones incolumem aquilam iussu nostro amisere.* Ecce Burdo scrutarii filius in Salutianis collibus venans & militans. quod & magis confirmatur ex sequentibus. *Vnam flauam admodum eandemque ferocissimam aliquandiu aluimus in valle Segusiana. Sed quum mitescere nollet, a milite iracundiore interemta est. Vngues equitibus donati ad dentiscalpia.* Exercit. CCXXXI. 2. *Vnum tantum vidimus Gyrifalconem Caroli ducis Sabaudiani, de cuius pugna nullam capiebamus voluptatem. Omne volantum genus sine vllo negotio deiiciebat.* Exercit. CCXXVIII. 3. *Duarum vero, quas dicam, neutra corpore minor ansere. Alias vtriusve bipedem singulas excessisse verum est, Vna docta fuit venationem ad Maximilianum Caesarem dono missa a Senatu Colonien si. Flaua haec fuit potius, quam fulua, tota: sarcina haud semper commoda gestanti. Alteram in hac vrbe nigram habuimus e Pyrenais, extrema cauda candida, tam mitem, vt neque oculos appeteret, neque pedibus quippiam noxa moliretur. Iuuenculam dono dedimus amico nostro, quum labella crocea nondum in rostrum obaruissent. & mediocrem aquabat anserem.* Is amicus eius erat N. Raffinus Poton Seneschalcus Nitiobrigum, vir nobilissimus. Claudę Podiæ vxoris generosi Ludouici Cillanei Rupipozæi auus maternus. De hac eadem Aquila in Comment. περὶ ζώων. *Nigram vnam non praeteriere menses*

duo

duo aluimus pulcerrimam, & compositissimã, quam etiam ad prædam cicurauimus, cui summum caudæ albicabat, nunquam plangentem se, nunquam querulam, voce submissa, & exili. Aliquot interiectis: *Vnam in Taurinis habuimus rutilam, non magnam, crure breui, crasso, pede item crasso, sed ferocissimam, & querulam.* AIAZ *vocant Ligures.* Hæc posterior est eadem, de qua superius Exercit. ccxxviii. 3. Quin multa animalia quadrupedia, & ex volucrum genere longe arcessita, nec sine magnis sumtibus parata domi alebat, vt Attagenas, Ardeas, & eiusmodi alia. Neque cessabat ex ipsis rusticis etiam de animalib. quotidianis scisciteri, aut ex amicis per literas, aut etiam ex ipsis præsentibus. quod & Iosephus vidit, & nos docuit, & in Exercit. ccxxxiii. videri potest: *De mergo nihil equidem præclari, nisi quod Celsus Sergius Consentinus contubernalis meus, eques fortissimus narrabat mihi: Mergum cicurem Venetiis vidisse, qui ab hero e cymba emissus, non sine spectatorum voluptate, & admiratione sub aquis sibi cibum caperet.* In Europa hoc nouum est: apud Sinas nihil vulgatius, nihil frequẽtius. Huc poterant etiam addi cognationes Nugarolorum, Frangepanum, siue Frigepanum, Gambararum. Sed sat fuerit hæc pauca de multis carptim collegisse, vt ostenderemus, quanta rerum vicissitudo, & fortunæ mutatio in hoc homine contigerit, qui ex despicatissimi scrutarii & miniatoris filio, ex tonsore, ex pædagogulo, ex mẽdico, &, quod caput est, ex pediculoso agyrta Franciscano, denique ex famelico medico

clarus, nobilis, illustris, illustribus prognatus, principibus summis, Maximiliano Cæsari, principibus Estensibus, Chroatiis, & aliis acceptissimus, omnium artium, quas ingenuum hominem scire decet, literarum, equitandi, rei militaris, venationis, peritissimus euaserit: vt, siquidem eis credamus, qui tam fastidiosi in eius genere inuestigando fuerunt, difficile sit vnum hominem ad tot tamque illustrium artium columen ascendere posse, nisi prius tonsor, mendicus, circulator Franciscanus fuerit. Et certe non mirum est, vix vnum existare, in quem tot tum animi dotes, tum artes conuenerint, quum ex sexcentis millibus hominum vix vnum reperias, qui pedagogus, tonsor, agyrta Franciscanus fuerit. Vnum excipio, qui vespillo, lictor, publicanus, fur, peculator, & alia, quæ scire non laboro, fuerit. Reliquum erat, vt carnifex fieret, præsertim quum iam cœpisset crura cadaueribus, quæ sepeliebat, mutilare. Sed mors tam conuenientem præteritæ vitæ functionem ei inuidit, magno alioquin Reip. damno & dispendio, nisi filium reliquisset, qui & virtutes, quas pater habuit, superare posset, &, quas non habuit, supplere. quod & nos summo opere expetimus, atque optamus, &, si Lauerna fuerit, fore non dubitamus. Postquam nulli Burdones apparent in gente Iosephi Scaligeri, neque mendacio huic occultando vlla latebra relicta est, neque alii commentando locus vllus est, nos autem in Iulio Cæsare Scaligero defendendo, qui tam bene de literis, & de genere hu-

mano

mano meritus est, singulare pietatis exemplum studiosæ iuuentuti præiuerimus, quod sequantur, quoties illustrium hominum memoriam a calumnia sceleſtorũ bipedum vindicare, pietas ipsa exiget, & vinculi humani reuerentia: supereſt, vt quemadmodum a Ioſephi genere calumniam depulimus, ita ab ipſo Ioſepho crimina propulſemus. Mendacia dico, quæ fur Paraſitus Romulorum aut confinxit ipſe, aut ab aliis cõficta produxit, & magis ad Ioſephum, quam ad eius genus pertinent. Omnia vero colligere neque neceſſe eſt, neque vllus id præſtare poteſt, niſi qui in lupinaribus, aut in lectione Amphitheatri vitam omnem tranſegerit, & maledictis, non veritate certare velit. Quamuis enim nunquam ab ipſo Ioſepho hoc impetrare potuerim, vt horum portentorum aliquam ſaltem partem delibatam confutarem, magis vt hominibus impuritatem nebulonis famelici oſtenderemus, quam vt ipſi tenebrioni pudorem ſuffunderemus, qui quid ſit pudere neſcit: tamen etiam inuito Ioſepho hæc ita ſtrictim percurrimus, vt furem contemſiſſe potius, quam eius rationem habuiſſe videamur. Primum ergo illud in numerum procedat: PETRONIVM Ioſephi delitias eſſe. Magnum ſane crimen. quod tamen adeò verum eſt, vt Ioſephus, poſtquam ab hinc anno XXXVII. Valentiæ Cauarum illum auctorem ex membranis Cuiacii deſcripſit, vix vnam pagiham illius inſpexerit. Quo modo ergo delitiæ eius liber ille fuerit, quẽ poſt tam longinquum

tempus reuisere dignatus non sit? Et tamen eum isti amphitheatrici latratus non adeo deterrent, vt, si totus Petronius in membranis exstaret, pigeret eum describere. Si enim is scriptor indignus est, qui tenerae ætati committatur, at non dignus, qui pereat tamen. Quare non obiecerunt Martialem, Catullum, alios

——apud quos,
Nomen adest rebus, nominibusq; pudor?

Quis veterum poetarũ plus obscœnitatis, impuritatis, flagitiorum professus est, quam docet Pœnitentiale Burchardi? Quot sunt, qui ignorarent multa, quæ ibi leguntur, nisi ex ipso didicissent? Ridicula magis, an impudens contumelia? Quot possent huc adferri, nisi hæc rideremus potius, quam in illis confutandis vel momentum temporis terere vellemus? IOSEPHVS olim iuuenis vertit Iambum Tibulli duobus aut tribus locis obscœnum. Et hoc quoque magnum flagitium est, alienos potius versus licentiores vertere, quam proprios edere, quod fecerunt Ioannes Casa, & Petrus Bembus, ambo Ecclesiastici ordinis, quorum alter Archiepiscopus Beneuentanus, alter Cardinalis. Hic Etrusco carmine pæderastiã celebrauit, & quum hoc nomine male audiret, id Iambo satis frigido & illepido ad Germanos excusare conatus est. frustra. Petrus autem Bembus elegiaco eam partem corporis humani celebrauit, sine qua nulla obscœnitas foret. Legatur eius Elegia, cuius initium:

Anti

Ante alias omnes, meus hic quas educat hortus,
Vna puellares allicit herba manus.

quod poema merito vocare possis obscœnissimam elegantiam, aut elegantissimam obscœnitatem. Vnius & quadraginta distichorum est vt mirum sit, si Bembum tot sui versus non damnant, quare Iosephum tam pauci alieni non absoluant. Qui hoc obiiciunt, cogitare debebant, prius quam alios insimularent probri, an vllus in suo ordine esset, cui longe plura obiici possint, quum ne illi quidem a suspicione liberari possint, qui licentiores auctores castrant. quare in quendam eorum hoc vulgo iactatur:

Festiuus vates, qui mas audire solebat,
Dimidium tantum nominis huius habet.
Non filice exsectus, Samia nec fragmine testa,
Sed Critici cultris, exuit ille virum.
Nimirũ Criticus facere id, quã scribere mauult,
Quod mauult vates scribere, quam facere.

Hoc mittimus ad Apostolum lapponensem, retrimentum inscitiæ, impurum auctorem libelli de tribus Capellis, cuius inscitia certat cum improbitate. Sed eum excusauerit Amphitheatrum suorum, in quo vtrumque eminet. Pergamus: IOSEPHVS pæderastes est, & atheos. Quæ vigiles videmus, ea dormientes imaginamur. Fur, pridie quam hæc scriberet, sine dubio aliquot eiusmodi viderat. Ideo quod in illis vigilans sciebat esse, id Iosephum dormiens putauit habere, & mane experrectus hoc oraculum ex tripode Lauernæ pronuntiauit: in quo sese ostendit maiorem vsum habere comminiscendi probra,

quam discernendi. Quid opus erat duo tam exsecranda flagitia obiicere, quum satis esset vnũ? Nam atheismus potest esse sine altero: alterum nunquam est sine atheismo.

Non ideo est pædico, Deum qui non putat esse.
Sed qui pædico est, non putat esse Deum.

Certe non solum Gallis popularibus Iosephi, sed & Batauis nostris tã inauditum, tam nouum est Iosephum illis duabus fœditatibus affinem esse, quam vnquam in Batauia ambas, aut alter utram earum vel fando auditas esse. Certe qui illis turpitudinibus sese contaminarunt, nihil habent, quod Iosepho opponant, præter quam se illo ditiores esse. Sed qui talia confingunt, nihil magis offendit eos, quam sese nihil habere, quod in vita & moribus eius reprehendere possint. Pæderastæ, & athei sunt, qui Burdones comminiscuntur, non ii, ad quos de Burdonum sterquilinio nihil pertinet.

Ζεῦ πάτερ οὐρανόθεν μεδέων ὕψιστε, μέγιστε,
Ὡς Σοδομιτάων πᾶν ἀπόλοιτο γένος,
Πηλογενεῖς Βούρδωνας ὃ γηόθεν ἐξανέτειλεν,
Ὄφρα θεῶν φύτλην εἰς ἀΐδην κατάγῃ.

Et certe hæc silentio præteriissemus, nisi ostendere voluissemus, quanta impudentia sit, homini integerrimo, & innocentissimo id exprobrare, quod se finxisse ipsi sibi conscii sunt, & in ipsos iustius dici posset. IOSEPHVS Italis iniquus est. Id scilicet Itali, qui aliquo iudicio præditi sunt, queruntur, aut credunt. Cur Italis potius iniquus, quam aliis? Ecquid caussæ est, cur Itali hoc sibi persuadere velint? Nam quibus Iose-

Iosephus dedit signa huius tam iniusti odii aduersus gentem Europæ primariam? Vtrum iniquius, Italos sine caussa odisse, aut Italos sine caussa id sibi persuadere? Hęc omnia sunt a Terrigena locorum cõtrouersorum auctore phrenetico, homine væcordissimo imperitissimo, & impurissimo, qui nisi in lemmate apologiæ suæ stercoreæ Iosephum obtrectatorem nominis Italici vocasset, neque vllum libri sui lectorem nactus fuisset, neq; vespillonis filius vilam materiam habuisset, qua Iosephum tantæ væcordiæ insimularet. Sed Terrigena tam magnifice de se sentit, vt putet suo nomine omnes Italos comprehendi. Certe hanc iniuriam cum populari suo Italo expostulare debent, non cum Iosepho, a quo ne minima quidem suspicione se perstrictos esse dicere audeant: neque sane Iosephus sibi ipsi ignosceret, si eo amentiæ progressus esset, vt literarum & virtutum matri Italiæ obtrectaret. IOSEPHVS impurissimus, & omnium religionum contemtor est. De impurissimi probro prouocet ad atheos Burdonum Prometheos, a quibus absoluetur, quum id ei obiici non possit, quod illi sibi vnis reseruarunt: De religione, qui plusquam vnam habet, is nullam habet; qui vnam habet, is alias contemnit: Qui Christianus est, Mahometismi, Paganismi, Arrianismi, Manichæismi, & omnium hæreseon hostis erit. &, quod caput est, atheismi; quæ est multorum hodie religio, atque adeo eorum, qui Burdones cõminiscuntur. Hoc modo Iosephus omnium religionum, præterquam

vnius, se contemtorem profitetur. Hæc omnia sunt ab Amphitheatro. Vt in superiorib. iram, ita in sequentibus risum continere non potui: MALDONATVM Leonem, Martinum Del-rio Antichristianũ ab illo vocatos. (Antichristum volebat dicere) Vbi hoc? Proferat Fur vespillonides scriptum Iosephi, in quo vestigia vlla huius exstent. Maldonati petulantiam in melioribus, quam ipse fuit, insectandis vno verbo castigauit. in quo non video quid opus sit Leonis vnguibus. Ab altero impudentissimis probris Amphitheatrica impudentia appetitus (si quidem ea ad Iosephum potius, quam ad eum, pertinent) satis habuit, vno verbo, quo dignus erat, eum confutare. Nam quid faciat hic Antichristianus, & quorsum eius nominis mentio iniicienda fuerit, non video. Sed ζηλωτυπία λυκανθρώπου non hac stetit. Vindicias pro supposititio Areopagita petit. quasi Iosephus solus id sentiat, & non solum Theologus, sed vel humaniorũ literarum aliquo sensu quilibet præditus, idem non videat. Quid attinebat de illo Areopagita in Iosephum potius, quam in alios scribere, quibus tam exploratum est (& iamdudum monuerunt) illum Dionysium non esse Bardonem, defensores Areopagiticos esse sycophantas? Vindiciarum nomen est herba parietaria stultorum hodie scripturientium. Testes Vindiciæ pro Lipsio, Vindiciæ pro Cyri Catulliana. Foriæ Scaligeri magna in exspectatione sunt, vt augeant numerum vindiciarum. Quibus foriis excipiendis paratæ iam sunt latrinæ

trinæ suæ,& stabulum tribus capellis. Quid magis illum suppositititium partũ prodiderit,quam θεραπευτὴς ἀντὶ & μοναχῶ ex delirio Eusebii de Essenis? quod Iosephus primus monuit. Si tot affectata & tam imprudenter & tanta securitate alienorum iudiciorum ab eo auctore in illud opus inculcata hoc non testarentur tamen tam ridicula affectio antiquitatis monachismi id vociferaretur. Sed ille eiusdem summi novitii Theologi fœtus exspectatur, cui titulum fecit FORIÆ SCALIGERI. Qui in Hierarchia defendenda tam ridiculum sese ostendit, quid faciet in foriis? Quid frugis exspectandum est ab eiusmodi cultoribus vineæ Dei, quæ sterilis sit, nisi foriis stercoretur? Certe qui aliquid boni in se habent, quod in vtilitatem publicam promere possint, satis habebunt, vbi occupent potius animum suum, quam vt aliquid confingant, quo aliorum vitæ aut existimationi labem aspergant. Hoc nebulonum est, & eorum, qui erubescere nesciunt. Sed offa, otium,& satietas hoc parit. Saturitas in his, & esuritio in Vespillonida operantur eidem rei, hoc est, mendacio, ne quis miretur duo contraria idem efficere. Et tamen iniquum & iniurium dicunt, quum eis respondetur. Solis sibi maledicere licere. quod fatemur. aliis criminationem repellere non licere. hoc ipsis non concedemus. Aut taceant, aut par pari exspectent, quanquam indigniore sponso. Aliud flagitium: IOSEPHVS in suis versibus Senecam imitatur, vestigiis eius insistit. verba eius vsurpat. Hactenus desierunt mẽtiri. atq;

vtinam id illi sæpius obiicere possint. Nam quid facient Virgilio, qui nihil pene nisi alienum habet, sed dispositione, & inuentione aut fecit suum, aut melius? Qui de Hieronymo Vida aliter sentiet, quam de summo, & perfectissimo poeta, nugas aget. Tamen ex Christiade, Poetica, Bombycibus, ludicro Scacchiorum omnia Virgiliana frustra sustulerit, quod Vidæ proprium relinquetur, aut perexiguum erit, aut nihil: vt paucis complectar, omnino corniculam Horatianam hic videbimus Sed non est porcocorũ de amaricino iudicare. Si Iosepho in versibus (quos ille noctu experrectus meditari in lecto solet) aliquid vsurpatum est, quod a veteribus occupatum fuerit, *Quod illi maledictum existimãt, Eam laudem is ducit sibi maximam*, quum id facit, quod Virgilius, & alii summi viri fecerunt. Qui tam minuta persequuntur, a quo tandem abstinebunt? Exspecto, vt illi exprobrẽt in cunis vagiisse, cunas infantẽ comminxisse, pannos stercore, sinum suum saliua apud nutricem perfudisse. Ecquid enim omittẽt, qui nihil aliud agere possunt? Ad hæc Sandapilonides Lauernæ sacerdos producit Scazontes Iosephi, in quibus patris sui Vespillonis præclarum facinus repræsentauit. Nam quemadmodum illi cadauerum pedes detruncabat, ita filius Scazontes Scaligeri pedibus mutilauit: & præterea pessima fide eos produxit, quum lectionem in illis mutauit. ——*scandulis tribus dignus.* quis hoc intelligit? Iosephus agnoscit——*scãdulis tribus tectus.* itẽ: *Caluariam armat*——Ionus poeta dicit syllabã falsam

fallam in voce *Liticularum*. Ergo in *Siticulosus*, *febriculosus*, *cuticula*. Asinus ab asinis rudere didicit: vt & illa in auersa parte primæ paginæ, *obsecro concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra* 4. Reg. 5. Pueri sciunt Syrum a Propheta hanc veniam petere, vt sibi liceat tantum terræ Palæstinæ assumere, quātum duo muli sagmarii ferre possint. Ipse asinus vel Burdo potius sagmarius putat hic agi de exterminandis de terra duobus burdonibus. Puerilia hæc: quæ nō adduxissem, nisi stuporem illorum, qui eum locum illi suppeditarunt, ostendere voluissem. Neque minus puerile hoc: PAPISTICOS *nos vocat*. Quis tam ignarus loquendi est, vt si poetam aliquem designare vellet, poeticum eū vocaret? peinde ac si pro sculptore, sculptorium dicerem, pro vespillone vespillonium, pro fure furtiuum. Sic supra antichristianum, pro antichristo. Sed, omissis nugis, vbi nam Iosephus id argumentum tractandum sibi sumsit, in quo de Papistis, aut, vt cum asino rudere discam, de Papisticis, loqui necesse esset? In quo nam eius scripto Papistarum mentio extat? Hoc non magis in vllo scriptorum eius apparet, quam antichristianus pro antichristo. SANSOVINO & Leandro obtrectat. Sane non mutat factum, quanquam vera loqui, id non est obtrectare. Nam Sansouinus impudentissime in gratiam Dominorum suorum mentitus est, eum, cui Scaligero cognomen primo fuerit, a scalis, quas fabricabat, dictum fuisse: qua impudentia nulla maior excogitari potest,

quum Saraina ducentis annis ante dominatum Scaligerorum, eam gentem Veronæ floruisse dicat: & Baptista Pigna a Germania eius originem repetat. Sed quia sciebat Scaligerorum genus in scalis S. Marci desiuisse, ita putauit, idem genus a Scalis S. Zenonis incepisse. Vide quid dicat Peucer in Chronico Carionis: *Scaligeris ortum dedisse Comites in Bauaria nominis eiusdem, magno consensu traditum est. Habet enim Bauaria multas antiquissimæ originis familias nobiles inter quas primas facile obtinet stēma Comitum Orteburgēsium.* Paulus Iouius in Elogiis: *Inter Scaligeros Verona Dominos, qui fuere oriūdi e Vindelico, Canis superior bellica virtute clarissimus.* Hoc Mazzardinis opponimus. Leandro cur iniquior sit, caussæ non est. Secutus Nauclerum & Sarainam, dixit in Gulielmo gentem Scaligeram defeciisse. quod est vaniissimum. Vnde enim post euersionem imperii Scaligerorum tot Scaligeri in Austria, in Carnia, & alibi? Maximilianus Cæsar respondens ad temerariam & procacem orationem Legatorum Venetorum in cōuentu Memingēsi, anno 1508. ita de Venetis loquitur: *Sed vt vetera & abolita temporis diuturnitate post habeamus, recentioribus insistere iuuabit. Nonne hisce artibus* SCALIGEROS *a Verona imperio deturbarunt? Nonne neq; iuste & malitiose Carriorum splendidissimum principatum euerterunt, Paduanis ciuibus iugum imponendo?* Idem pene Ludouicus Helianus Senator Veronensis, orator Ludouici XII. in conuēctu Augustano Principum Germanorum, anno 1510 Venetorum tyrannidem

& iniu

& iniurias vicinis principibus ab ipsis illatas exponẽs: *Testis est Imperator Constantinopolitanus, multique proceres eius, & finitimi Itali, Carrienses,* SCALENSES, *Mantuani, Ferrarienses, & Mediolani Duces: quorum alios magnis vrbibus, insulis, ac prouinciis, alios dimidia parte, alios omnibus bonis, alios etiam vita multarunt, nullam habentes iure causſam, nisi dominandi ambitionem.* Laonicus Chalcondyla homo Græcus lib. 4. rerum Turcicarum: de Venetis: *Veronam quoque in ditionem redegerunt, vrbem opulentam, expulsa* SCALARIORVM *Principum familia.* Si Scaligeros Scalenses, aut Scalarios imperio Veronæ deturbarunt, ergo post euersionem imperii Veronensis Scaligeri quidam supererant, quos eo imperio fraudarunt. Et certe Benedictus, quem Bordonium scrutarium Scarabei vocant, tunc in aula Cæsaris agebat. De Goropio Beccano stultissima sunt: neque magis digna quæ refellantur, quam ipsæ origines becceselenicæ famelicarum animarum pabulum. Ast illud, quod adiiciemus, omnia portenta Amphitheatrica superat. *Parisienses illos amicos tuos imitaris, quos Dyonisia agitasse, & hircum immolasse, fama est.* Dyonisia agitare, ne quis ignoret, est hircum immolare. Huius enim insimulati sunt illi, de quibus nunc agitur, Vespillonis filius, qui nunquam Lutetiæ fuit, in media Suburra habitans, vnde hoc mendacium expiscari potuit, nisi a quibus reliqua portenta didicit? Quos putat Dyonisia agitasse, vel hircum immolasse, vt illi persuaserunt, qui verum dicere, etiam si velint,

non possint, ii sunt, Petrus Ronsardus, M. Anton Muretus, Ianus Baifius, Remigius Bellaqueus, Stephanus Iodellus, Nicol. Denisottus, Ioan. Auratus, alii, omnes poetæ, præter Patoletum, qui in historiis conscribendis omne studium suum collocarat. quos tam falsum est adeo exsecrandum, nefandum, impium facinus fecisse, quam certum est, impune illis futurum non fuisse, si quidem tam Christianæ pietatis, quam existimationis suæ obliti tam detestabile scelus in se admisissent. Si illi docti viri viuerent, fur non inultum tulisset. Porro tam impudentis calumniæ auctor fuit sacrificulus Gentiliaci vici, in quo illi doctissimi viri ex constituto coierant, vt de symbolis essent. Totum drama exponerem, si opus esset, vt Iosephus me docuit, qui illud ad vnguem tenet. Sed ponamus verum esse. quid hæc ad Iosephum, qui tunc puer Burdigalæ primis rudimentis Latini sermonis initiabatur? An quia sexto post, septimo, & octauo anno omnes, præter Iodellum, illos vidit, & familiariter nouit, ideo eiusdem criminis postulandus erit? Hoc modo oporteret omnes, qui Muretum norunt, Dionysia agitasse, hoc est, maiorem partem eorum qui hodie Romæ agunt. Quanta inuidia Iosephum premerent, si verum crimen haberent, quod illi obiicerent, quum aliorum facta, eaque falsa illi exprobrentur? Dionysia agitare eorum est, qui dæmonia consulunt. Quod si quis adeo harum rerum rudis est, vt nesciat, aut si scit, negare audeat, exstat Lu-

tetiæ

ţetiæ Chirographum illius, qui tam familiariter Dæmonem alloquitur, vt alio confiliario nunquam vsus esse videatur. Ita isti, qui tot mendacia Furi subministrarunt, tanta cœcitate mentis feruntur, vt non viderint, nihil horum esse, quod in illos regeri non possit. Quod si Ioseph us id feciſſet, non opus fuisset vindiciis Areopagiticis. Satis hoc erat ad hominem conficiendum. Et merito. Quid enim in Deum non audebit, qui dæmonia consulit? Consulere Dæmonia, est Dionysia agitare, hircum Baccho immolare. Sed Mureti mentio ad aliud portentum calumniæ nos vocat, quo fur peculatoris filius negat Muretum cum illo de Benedicto Brugnolo vlla verba communicasse. Anno M. D. LXVI. Ioseph us Roma rediens, relicto ad S. Cassianum Ludouico Castaneo cum sorore sua, solus sol Mureto in montibus Etruriæ obuiam factus est, quum ille Romam ab illustrissimo Cardinali Hippolyto Estensi, Mœcenate & domino suo, negotii nescio cuius curandi causſa, missus esset, quo confecto statim illi Ferrariam redeundum erat, vbi Cardinalis a Duce Ferrariensi fratris sui filio relictus vicem absentis imperabat. Post alia, Muretus a Ioseph o certior factus de sua ad Venetos profectione nihil prius habuit, de quo eum moneret, quam vt inter alia monumenta, quæ in templis Venetorum conspiciuntur, magnificum Benedicti Brugnoli Tumulum viseret. Hic Brugnolus Ioseph o animo exciderat, vt ne quidem, quum Venetiis

esset, eius sepulcrum adire meminerit, neq; eius in mentem ei prius venerit, quam Mediolani, vbi aliquot dies subsistiterat, mentio de Mureto iecta esset. Tum recordatus somnii patris sui, quod in eius Heroibus legerat, tam id miratus est, quam negligentiam suam damnauit, qui illud monimentum inuisere omiserit. Quid hic habent, quod Lauerna & Lauernæ consiliarii reprehendant, equidem non video. Vnde Iosephus rescire potuit de hoc Brugnolo, nisi ab eo, qui illi primus indicauit? An Muretum mentitum dicēt tam de Brugnolo, quam de Brugnoli monumento? Atqui sciant in æde Minoritarum, quæ Frari dicitur, illud monimentum esse, in quo verba hæc incisa leguntur: *Benedictum Brugnolum Veronens. virum integerrimum, optimum Grammatices, Rhetorices Philosophiæq; professorem, literarum bonarum parentem, vt vsque linguæ peritissimi ac in erudiēdis per XL. amplius annos publico stipendio discipulis de R. p. Veneta optime meritum Ioann. Querinus Nicolai, beneuolentia gratitudinisque gratia hos sarcophago decorauit* 1505. Huius Grammatici Veronensis nescio quod scriptum Criticum ante annos quatuor plus minus Germani ediderunt. Duobus igitur testimoniis victi per me taceant licet. Sed quis non miretur illud somnium Iulii, quum tamen neget sibi illum hominem notum & auditum fuisse? Si verum fuit somnium, potuit is docere non solum Iulium, sed etiam *patrē, & patruum, totamque ab origine gentem*, quippe qui 9. annis ante natalem Iulii cœperit docere. Sed a somnian-

mniantibus fides exigenda non est. neque ille Iulium literas in agro Veronensi docere potuit, qui per continuos 40. annos Venetiis publice docuit. Neque profecto Benedicto Brugnolo conuenire potest illum Leniaco (*Lignage* vocant) in Noricos accitum fuisse ab Imperatore Friderico, quum ille Veronensis fuerit. non Leniacensis.

Inquam sum accitus, Norica terra fuit.
Noricus huc a Leniaco me Cæsar adegit;
Cui genitor pacis nomina ferre dedit.

Nam Benedictus de Lignago & ipse quoque Grammaticus fuit, & publice Patauii Grammaticam, & Rhetoricam docuit. In æde S. Sophiæ illius vrbis hoc Epitaphium eius legitur. Elegantiam ab eo, non magis quam fidem a somnio, exigimus.

BENEDICTI LIGNAGI.

Grammaticæ doctor, interpres Rhetoricorum,
Sermonum prorsus non ignorans logicorum,
Marmore Benedictus tegor hoc ego salariatus,
Bononiæ portu Lignagi natus & ortus, &c.

Seardeonius omisit non per negligentiam, sed quia de Patauinis tantum scribere illi cõsilium fuit. Brugnolum vero a scriptoribus rerum Veronensium, neque inter doctos recensitum, neque ab illis memoratum vspiam fuisse, id excusare nõ possumus. Quæ igitur Iulius somnians audire visus est, ea melius huic Leniacési, quam illi Veronensi, conueniunt. Confudit igitur ὑπεροπολῶν Benedictum Brugnolum cum Bene-

dicto Leniacensi. quod non tam damnandum in somniante, quam mirandum, ex illis duobus; quos ignorabat, vnum hominē factum, quum cognomen Brugnoli huic, huius autē patriam Brugnolo attribuerit. Quomodocunque somnium se habeat, certe mirum est. Quid igitur hic dicent deuoti numini Lauernæ? Illud vero longe vanissimum, & supra omnia mēdacia superiora, Iosephum peritiam multarum linguarum sibi arrogare. Quis vnquam ab eo hoc audiuit? Scipio, inquit, della Scala Lotaringus, qui Slauonice cū Iosepho loquens ab eo intellectus non fuit. Primum cur Iosephus sibi attribueret Slauonicam linguam, cuius nec tria quidem verba discere operæpretium vlum esse, putauit? Nam cui bono? quem fructum ex illa lingua sperare potest? Qui nam libri ea conceptī exstant, propter quos eam discere oporteat? Profecto ille non pluris facit Slauonice fare, quam Hungarice, aut Tartarice. Deinde tātum abest; vt Iosephus hunc Heroem Scipionem Slauonice loquentem audierit, vt neque ille Iosephum vnquam viderit, neque Iosephus vllum Slauonem sua lingua, aut alium ea loquentem audierit. Maior impudentia fuerit nescio huius nebulonis, qui se Scipionem Scaligerum mētitur, an Lauernionis, qui eius mendaciis instructus bonis vltro obtrectatum venit. Quare ex eo Heroe, quando, & vbi Sclauonice didicit? Deinde quomodo ex Adamo Scaglia Scipio della Scala factus sit? postremo quando, & vbi, Iosephum conuenit. Non mirum est, ex Scaligeris

Burdo-

Burdones fieri, quum Squamę in Scalas mutentur. Lectorem puto exspectare quid velim. Ne diutius suspensa oratione meacius exspectationem morer, totā scenam aperiam. Non opus est Annalibus Sartorum Tarui sinorum, aut interuallo CLX. annorum, vt quo lōgin quius petenda fines fuerit, eo liberior sit m ētiendi facultas. Quod dicam, adhuc in rerum natura est, tangitur, videtur, neq; in Iapponibus, sed in celeberrima vrbe Basilęe. Nota & pueris historia, quam veram esse sciunt, neq; negabunt etiā vicini Patres Mogunciacenses, qui in librū sacerrimum Lauernionis eorū simillimi inter excudendum multa emblemata sanctimoniæ suæ inseruerūt. Est igitur quidā homuncio de fæce oppidi Baroducēsis in Lotaringia textor limbolarius Anton. Scaglia, aliter Squama, vt ipsemet sese chirographo suo designat. Is Antonius pridē religionis caussa patria sua extorris Basileam sedem fortunarū suarum constituerat. Ibi limbis quos manibus suis texuerat, vxor eius linificio & tela, se & familiā suam alebant. Quicquid tēporis ab opificio vacabat, lectioni sacrarū literatū dabat: in quo studio tantū se profeciſſe credidit, vt cū summis Theologis Academiæ & Ecclesiæ Basilienſis ἀντεξετάζεσθαι, & sese parem componere, veritus non sit, neq; eos solum disputationibus suis compellare, sed & scriptis publice editis refellere: atq; adeo plura & atrociora minabatur, quæ profecto in neruum erūpere videbantur, nisi libelli eius sentētia Theologorum Basilienſium damnati, ipse autem decreto Decurionum vrbe

cum summo flagitio ejectus fuisset. Ex quo tempore Germaniam, Galliam, Angliam exsul, expes, rerum omnium egenus peruagatus, lucello omni, quod ex limbolaria textrina quæsiuerat, absumto, tandem in vicum Basileæ proximum Alschwiler / qui sub Episcopi Basilienſis ditione est, horæ itinere Basilea distans, sese recepit, vbi nunc senio confectus, veterem quæstum repetere coactus, eo se sustentat, spiritum precarium vix æger trahens. quanquã aliquando excurrit, omnium religionum, & sectarum, quæ hodie inter homines vigent, cultum amplectens, prout eæ locum habent ibi, vbi ille versari solet, nusquam stabile stabulum habens, emansor perpetuus, & erro. Ex Mailleta municipe sua muliere lintearia sex, aut septem liberos suscepit, in quibus Matthæus relicto institorio paterno, quod aliquandiu Basileæ exercuerat, conditionem in Lotaringia quæsiuit, & paulo ante, quam hæc scriberem, Lutetiæ agebat, litis cuiusdam persequendæ causſa. Nicolaus Scaglia frater eius abdicata patris religione hodie Romæ viuit in familia Cardinalis de Giuri. Frater alius Adam Scaglia, quod nomen ex baptismo habuit, neque alio appellatus fuit, etiam, quum illustris. Dynastæ de Rohan seruiret, religione, in qua altus, educatus, institutus fuerat, ejerata, nomine autem Adami, quod e baptismo retulerat, dissimulato, pro Adamo Scipio, pro *Scaglia*, *Scala*, & *della Scala* vocari voluit. Quid sit SCAGLIA, aut *Squaglia*, tam Italis, quam Gallis, notum est. Id Latine est

Squama

Squama. Pater eius in chirographis & syngraphis negotiatoriis Scagliam Gallice se vocat: Latine *Squamam*, & *a Scama.* quod & heri vidimus in quadam eius phrenetica epistola ad inclytum & serenissimũ Regem magnæ Britanniæ Iacobum. Ibi manu eius subscriptum fuerat: *Addictissimus Antonius a Squama Baroducæus Regis Regum causſam agens cõtra Fatum Calumnianum.* Ex quibus & quis sit, sciri potest, & quid ei nominis, & quantæ sapientiæ. Regis Regum, hoc est, Domini Iesu Christi, negotiorum gestor, si illi credimus, Fanaticę religionis μυσαγωγός. Is est pater huius maximi Heroïs Scipionis della Scala, Lauernionis vespillonidæ intimi, qui Iosephum, quem nunquam vidit, sermone Slauonico, quem nunquam didicit, prouocare ausus est, & in genus Scaligerorum non solum se, sed etiam mendicabula mulierum Baroducẽsium inferere, Maiestatem, Gaulmam, Belraim, mulierculas haud multo nobiliores Veronica sartoris Tarusini Paridis filia, siquidem illa vnquam fuit. neque hoc contentus, tantæ impudẽtiæ fuit, vt quum se omnibus Scaligerum probare cuperet ab Episcopo Tullensi tam manifestę falsitatis testimonium eblanditus sit, & omnem huius mendacii infamiam in eum deriuauerit, quam nisi ipse Episcopus vlciscatur, is aut mendacio fauere videbitur, aut parum curare quid de se homines probi sentiãt. Noui patrem de facie. Vidi filium anno superiori Romæ, vbi apud Cardinalem de Giuri animos sumit a confidentia, qua duorum anti-

stitum dignitati illusit, Episcopi Tullensis, & Cardinalis de Givri Domini sui, cuius etiam commendatione factus est eques Sepulcri Ierosolymitani: arctissimo amicitiæ vinculo, & mēdaciorum commercio cum Lauernione vespillonida coniunctissimus, ambo nihil tam serio tractantes, quam vt is se Scaligerorum genti inserat, alter Iulium & Iosephum ex ea gente expungat. Neque mirum est, eum tam cito Scaligerum euasisse, qui puncto temporis Slauonice loqui didicerit. Sed cur de Iosepho tam præfracte mentiri ausus est? an quia indignus est heroico Squamarum genere? Atqui cogitare debebat se limbularii filium, Iosephum autem Paridis Sartoris Taruisini pronepotem: & pulcre conuenire sartoribus cum limbulariis. Nam limborum nullus vsus est, nisi vestibus a sartoribus assuantur. Tam bene hæc duo genera hominum inter se congruunt, quam fures & vespillones inter se conuenire supra ex Iurisconsulto ostendimus. turpes item personas, & vespillones, vt alius Iurisconsultus auctor est, l. LXXII. §. 4. D. De solution. *Numergo & si vispellionem, aut alias turpem hominum aederit, idem sit.* En vespillo idem, qui turpis homo. Huius igitur illustrissimi, quem Scipionem mortales vocant, Superi autem Adamum, Romuli Scalam, limbularii Squamam, pater Antonius Squama, Pontifex phrenetici dogmatis, mater Mailletta superant, & vescuntur aura ætherea: atque adeo Mailleta, quæ Basileæ lintearium facit, crebro in Alschwiler se con-

confert, viri visendi causſa, cui Basileæ ingressu interdictum est decreto Decurionum. de quibus vera, an falsa retulerim, si quis scire cupit, ei non Tarusiam adeundum est, Scalæ Pantaleonum, sed Basileã. Ibi sunt incunabula gentis Scaligeræ Episcopi Tullensis testimonio, & Cardinalis Givri liberalitate & hospitalitate quotidie confirmata, Lauernionis Vespillonarii buccis intonata. Tam igitur iste limbolarius Squama de Iosepho à se conuento mentitur, quam falso eius corculum Lauernio id credidit, aut alios credituros putauit. Pendet ab hoc mendacio hoc, quod apponam, sed detestabilius, vt quod omnes impuritates transfuerit. Melius fecero, si verbà Lauernionis posuero: *Et cum Bataui persuaseris, nullum hodie Arabem te Arabiorem esse, nec breuem epistolam sine pluribus solœcismis ac barbarismis concinnare potes,* (volebat dicere *possis*) *vt quidam Arabicæ apud nos linguæ interpres, quem tu literis appellasti, amico meo Christophoro Pflug viro nobilissimo affirmauit, cum tuas ei literas transiegit.* Hactenus Furcifer Lauernio, peculatoris filius. Isti interpreti Arabismi, quisquis est, vt per omnia similis sit Scipioni stramentitio, nihil deest, nisi vt & ipse inserat se Scaligerorum generi. In reliquis enim non solum eadem vtriusque impudentia; sed etiam geminum mendaciuum est. Nam quemadmodum limbolarius Adam Squama Sepulcri Ierosolymitani eques, impudentissime mentitus est, se conuenisse

Ioſephum, quem nunquam vidit, & eum Slauonice compellaſſe: ita iſte ἀρχιζιτὴς non minore confidentia auſus eſt fingere ſe a Ioſepho epiſtolã Arabicam accepiſſe, quum Ioſephus nullam vnquam epiſtolam Arabicam ne breuiſſimam quidem ſcripſerit, neq; magis quis ſit iſte ſtramineus interpres Arabiſmi, ſcit, quam vter ſit impudentior, ille, aut Adamus Scaglia limbolarii propago. Sceleſtiſſimum enim vtrumq; eſſe oportet, qui viuẽte Ioſepho de eo tam confidenter mentiri audeant. Vt Ioſephus vllum Arabiſten epiſtolio Arabico compellarit? Et Arabiſtes, & Lauerniorum quãtum eſt mentiuntur. *Ioſephus Arabiſmi ſeperitum aliis perſuaſit.* Ioſephus multos libros Arabicos perlegit, ex quorum lectione ingẽtem theſaurum eius linguæ congeſſit. Aliquot typis excuſos, qui quidem pauciſſimi ſunt, ſed longe plures calamo exaratos, quos penes ſe habet, aliquot etiam manu ſua deſcriptos. Muhammedanorum Regum, qui rerum in India ad Orientem potiuntur, literas ad illuſtriſſimum & inuictiſſimum Dominum Mauritium Naſſavvium, aut ad illuſtriſſimos harum Prouinciarum ordines Arabico ſermone conſcriptas Ioſephus interpretatus eſt Latine, aut Gallice: & reſponſa ad eaſdẽ literas Arabice ex præſcripto illuſtriſſimorũ ordinum concepit: ad quas eorundem Regum reſponſa acceperunt. Idem de literis Regis Maroci teſtari poſſum ego, qui vidi. Quin etiam longiſſima Diplomata, quibus Dominus Mauritius & illuſtriſſim. ordines amicitiam & commercium

mercium cum illis Regulis Indiensibus inuicem contrahunt, Iosephus ita, vt Belgice, aut Gallice, aut Lusitanice concepta fuerant, Arabice reddidit, & manu sua descripsit litera longe meliore, ac luculentiore, quam ipsorum Indiensium Muhammedanorum esse solet. Testes appello mille Batauorum ac Belgarum, & amplius. Si hominibus non credunt, at saltem ipsis diplomatis, quæ in manibus nostrorum negotiatorum Indiæ sunt, fidem habeant. Amstelrodami asseruantur. Tamen qui hæc præstiterit, tantum abest, vt aliquam mediocrem peritiam Arabismi se consecutum glorietur, vt adhuc in illo studio tyronem profiteatur: & eos videre soleat, qui ex lectione duarum epistolarum Pauli Apostoli, aut ex Psalterio Augustini Iustiniani Episcopi Nebiensis tantum Arabismi sese consecutos putant, vt ne ipsis quidem Arabibus cedant. Nihil fingimus. Viuunt adhuc stultissimi homines ea persuasione siderati, Non soli Arabismo, sed & omni linguæ, quæ nō nisi ex libris doceri potest, ad perfectionem ediscendæ opus est ampla supellectile librorum, longo temporis vsu, labore inexhausto. Ad loquendum autem opera omnis luditur, nisi adhibueris hominē eius idiomatis peritissimum, qui expeditissime loquatur, & quem prius audiendo intelligere, intelligendo imitari possis. Ea omnia desunt Iosepho. ac propterea tam sibi hæc dolet decesse, quam frustra alii sibi superesse gloriantur. De Hebraismo idem dico. Sine Iudæo præceptore nunquam eo peruenies, vt

aut cum eis loquendo non illis ludibrio sis, aut scripta eorum legendo multas salebras non incurras, quæ curium tuum morentur. Quotus quisq; tamen eorum, qui contextum sacrorum Bibliorum vix primoribus labris delibarunt, non sibi videatur sese pleno ore proluisse? vt nemo sit tanta patientia, qui horum hominum ἀλαζονείαν ferre possit, præsertim quum ab illis audit Iudæos Hebraismi imperitos esse. quod perinde est, ac si Iudæus diceret doctissimos Europæ Latine nescire. Posset etiam Iosephus de Persica lingua gloriari, qui etiam Glossarium eius linguæ concinnauit, & multa in illa obseruauit, quæ in commentarios retulit. Sed in tam inglorio studio, atque ieiuna opera aliquem triumphum sperare, angusti est animi. Ex his lector ab omni inhumano liuore liber iudicare potest, quam verũ sit, Iosephum sibi Arabismi peritiam arrogare, & quid de illo Arabista statuendum sit, qui ipsius modestiæ illudere veritus non sit, eo adhuc in viuis agẽte. Ecquid nõ ausurus esset mortuo? Ad aliud putidissimũ mendacium venio. IVLIVS a nullo Episcopo Aginnensi gentili Ruverorum deduci potuit in Aquitaniam, siquidem Episcopus Aginnensis Leonardus a Rouuere, teste Onufrio, obiit anno 1520. Iulius autem Alpes transiuit an. 1526. Certe τὸ ἐπιχείρημα bene processerat Lauernioni, si post annum 1520. nullus fuisset Episcopus Aginnensis ex gẽte Ruuerorum. Nam iste Leonardus tam notus est Aginnensibus, ac is, qui nũquam in hominibus fuit. Et tamẽ fuit: quandoqui-

doquidem eius meminit Pierius Valerianus in Epistola ad Petrum Crispum de honorib. Cardinali Gurcensi habitis: qui ei dicitur *L. Agennensis, summi Pontificis consanguineus, & pauitentiarius maior.* Quare ergo Onufrius non etiam eum posuit, qui Iulium in Aquitaniam deduxit? Is autem erat non Leonardus, sed Marcus Antonius della Ruuere, homo antiquis moribus, simplicissimus, cui vel puer impositus esset. atque adeo eius quædam dicta & facta ab Aginnensibus memorabãtur, quæ hominis simplicitatem testarentur. neq; Latine scibat, neq; alio idiomate Italico, præterquam Taurinorum Ligurum, vnquam vsus est. nullum enim aliud didicerat. Is 13. circiter annos Episcopatum Aginnensem obtinuit, sex absens, totidẽ in ipsis Nitiobrigibus. Eodem anno, quo in patriam profectus est, ibi obiit, qui erat Christi 1535. Anno autem 1330. Stephanus eius maior domus Siluium liberorũ Iulii Cęsaris Scaligeri primum natu de baptismo suscepit, & biennio integro postea cum hero suo Aginni moratus vna cum eo in Ligures rediit. Itaque Lauernioni per hoc mendacium esurire liceto. Vides, Lector, τυμβωρύχου filii impudẽtiam. qui & hoc futile, quod sequitur, de suo addit. Nemo enim, puto, illi ad hoc præiuit: Constantiam Rangoniam liberalitate sua Iulii egestatem subleuasse. Vt illa Iulium nummulo plumbeo grauiorem fecerit, quę cõuasato, quicquid de reditib' Episcopatus cõuerrere potuit, onusta spolijs exhaustæ ecclesiæ Patauiũ sese cõtulit, relicto grãdi ære alieno

filiis suis, Iano, Octauiano, Cæsari Fregosis, quorum maximus natu Ianus vir probissimus, & populo acceptissimus Episcopatum tenuit post Hectoris fratris mortem, ac maternæ erga se caritatis hunc fructum percepit, vt nullus ei dies illuxerit sine ære alieno. quæ in filios omnis humanitatis, ne dicam affectus materni, oblita esset, ecqua liberalitas erga hominem externum ab ea exspectãda fuisset? Et illa leuasset Iulii egestatẽ? Melius sane ei fuisset in culinis Romulorum patinas lingere, quam sub tam lentis maxillis edere. Quod si nulla fides Iosepho, a quo, & cetera didicimus, at ipsi Iulio saltem sit, cuius testimoniũ de grato & liberali huius fœminæ animo legi in Apiculis nuper:

——Libertatem cum sorte pudenda,
Cumque iocis lepidis chartas commuto seueras,
Atque nouum numen mendaci carmine fingo.
Cuius rei pretium (merita hoc mendacia vatum)
Pœna fuit. tetrum atq; ingratum fœmina monstrum
Ostendit quicquam mihi nil debere. nec istud
Immerito, quoniam de illa quæ falsa canebam
Nil spectant ad eam.——

Et in Farragine hodie hæc mihi legenti occurrerunt. Thaumantia loquitur:

Haud mirũ, si ingrata frui. Nam perditus, inquit,
Hoc merito mendax plectitur ipse suo.

Futilius est hoc, quod, quamuis non opus erat, dicam tamen in transcursu. Iosephum 30. annos in domo Ludouici Rupipozei egisse, qui in tribus interuallis longe alio ab alio inter se distantibus vix dimidiũ illius temporis apud eum exple-

expleuerit. Et ponamus Lauernionem hic oblitum sui fuisse, hoc est, non mētitum fuisse. quid hoc ad Burdones? Ecquod flagitium illud est, manere in domo, in quam ter a domino vocatus fuit, qui eum semper fratris loco habuerit? quod & vidua, & liberi eius testari possunt, quos impudentissimi mēdacii sui testes producit? Sed hæc futilia sunt. & sane nō adduxissem, nisi voluissem ostendere, nihil inexpertum reliquisse Lauernionem, quod putarit scelesto proposito suo fauere, vt ei malediceret, a quo nunquam prouocatus fuit. quo facto tanta amentia eius fuit, vt se statim Episcopum fore, & postquam virtutib. suis, domesticis furtis, maledictis, confidentia, audacia, impudentia aliquod nomen sibi quæsiuisset, iisdem ad Episcopatum se peruenturum putauerit. Quod nunc dicam, omnino confutandum est, neque committendum, vt putidam calumniam a Mureti manibus non depellamus, quem scelestissimus Lauernio figmenti Burdonici testem, fautorem, præconem adducit. Viuit castissima, generosissima, præstātissima fœmina Claudia Podia Ludouici Rupipozæi vidua, quæ Romæ Muretum quotidie, quoties mentio Iosephi incidisset, de Iulii patris eius genere, nobilitate, ingenii præstantia, lectissimis moribus, regio & augusto ore, probitate, doctrina, magnanimitate, splendore in tenui re, toties tam que magnifice prædicantem libentissime audiebat, vt Aginnenses ea omnia potuissent agnoscere, &, si aliter animatus fuisset, & sequius de Iulio sensisset, ipsum palam

confutare; atque eum ingrati postulare, qui a Iulio filius semper vocatus, & ab eo non semel hospitio acceptus fuerit. Si fœmina omni exceptione maior, quæ adhuc in viuis est, satis nō videtur esse tanto mendacii monstro cōficiendo, age producamus aliū testem, & quidem ipsum adhuc viuentem, virum probitate, & eruditione insignem, candore Germanum stylo Romanum, Ioannem Caselium, senem venerabilem, hominem 76. annorum, de quo nihil tam magnificum prædicauero, quod eius summæ virtutes non superent. Is in quadam sua ad Iosephum Epistola Mureti iudicium de Iulio Cæsare adeo clare proposuit, vt Lauernioni nihil reliquum sit, quam vt de suspendio cogitet. Totam vero Epistolam infra subiecī.

Illustrissime clarissimeq; Domine Scaliger: Misit ad me Vouerius Hamburgo simul binas tuas literas, recentiores erant longiores: breuiores alteræ, quæ priden scriptas e chartis erueras. Fuerunt hæ mihi iucundæ, testes tuæ in me singularis beneuolētiæ: gratiores nouissimæ quod nos de multis docebant. Hoc enim tibi faciendum putasti, cum scripsissem me & ab aliis amicis, & a Casaubono certiore factum de nouo genere hominum petulanter grassante in optimi optimeq; meriti cuiusque existimationem, in quibus vlciscendis lacessitu etiam modum seruant, nisi forte, vt vecordes alltrantes Canes silentio prætereundos tē fuerint, parta perpetuis laboribus, & magno meritis non auctoritatis solum, sed etiam dignitatis ratione habita. Nec iniuria me leniter reprehēdis, qui metuerim, ne tantum cōtumeliis conturbarere: quas

recte

recte in animum tuum non admittis, & earum auctores non flocci faciendos iudicas. Noueris ipse quæ quomodo refutanda sint, etsi non solum illæ calumniæ in bonorum animis non hærent, sed boni ipsi, & tales homines detestantur, & honorē vestrum sedulo vindicant. Quam vellem autem, quæ Muretus de Scaligerorum gente consignauit, aut publicæ exstarent, aut reposci aliūde possent. Iulii Cæsaris scio fuisse obseruantissimum, & eam erga optime meritum obseruantiam testatum publice. Narrauit familiaribus, vt idem te Romæ iuuenem acceperit, & redeuntem ad tuos vltra Senas in Sancassianum deduxerit. Ipsemet enim id mihi in via ad oppidum obuiam eo die factus narrauit. Nouerat enim me a me aliquoties in vrbe salutatus. P. enim Victorius in fundos suos nos vna rusticatum eduxerat, ac lubentes in eos montes concessera mus, valetudinis & animi gratia, & pro loco & tempore habebamus in manib. & sermonibus cum alia, tum multa de re rustica. Hoc obiter inieci, vt te iuuenem a Germanis illis tum visum agnoscerem, quandoquidem quibusdam monumentis inclarescere. Interea cōsenuimus. tua merita immortalia exstant in remp. quibus etiam omnes bonos & doctos viros arctissime tibi deuinxisti. Hanc quoque mihi veniam dabis, quod rescribo multo lentius, non fuit interea cui darem, certus aliquis. Oblatæ enim occasioni credere nihil volui falsis aliquoties. hic inuenis scis huc recta proficisci aut. neque nihil de me quærentem doceat. Helmestadii. ex Acad. Iul. Id. Quinct. CIↃ. IↃ. VII.

Amplis. dignitatis tuæ obseruantissimus.

Iω. ϰgσήλιΘ.

Quod si hæc Epistola non satis est ad eludendum scelestissimum Furis de Mureto mendacium, en aliam adferam eiusdem venerabilis Senis spectatæ pietatis, doctrinæ, & eloquentiæ, quam hodie Iosephus accepit, & nobiscū communicauit. quam & totam apponam——*rumpantur vt illa Furi*, nisi prius de reste cogitauerit.

Illustrissimo Domine Iosephe Scaliger. Alter iam annus est, nisi duo ipsi sunt, quando εἰς κακηφάγους stomachabundus ad te scripsi, quæ literæ quum tibi commode redderentur, vt legerentur simul a pluribus familiaribus tuis, rescripsisti, non solum amice, sed vberrime de ipso negotio. Tuas autem legimus hic φιλοσκαλάνοι multi & cupide. Vtinam quæ annotauerat Muretus, prater maleuolorum exspectationem alicunde prodeant. Neque enim dubito, quin & Romæ, & passim in Italia sint studiosi vestri nominis. Ipse vero quid hac ætate cum tam detestabili genere hominum in arenam descendas, quos sapiens inuenis etiam despiceret? Neque tamen nemo vindicabit honorem tuum, imo vestrum. Quem enim bonorum non adoriuntur mali? Ex eo tempore vnas alteras ue ad te dedi, sed obuius hominibus haud scio quam certis: quorum vnus, quum venisset a Rittershusio, isthuc se ire diceret, quumque ab aliquot mensibus huc reuerteretur, recte se meas tibi reddidisse dixit. In iis, ni fallor, scripseram, vt te in via Romana vidissem aliquando ad oppidum Sancassianense. Tum enim nonnulla abste elaborata legeramus. A tot annis ingenio, & labore tuo profuisti bonis, & nominis tui famam auxisti, neque eam vlla dele-

delebit obliuio. Abominandum genus hominum, qui maledicentia nobilitari voluni. Verum quoquo te terrarum verteris, nuſpiam erit ab his tuta virtus. Vt hic viuatur a multis iam annis, vos quoque iſthic comperiſtis, & audies, ſi voles, quendam meorum familiarium. Veniet enim hoc vere vnus e doctiſſimis noſtris familiarib. ad te a Cauſabono Henningus Arniſæus, vti ad me Lutetia ſcripſit, traiecturus tum in Britanniam, inde in Belgium. Velim ei oſtendas, quod probaſti multis, te mihi amicum. Hæc autem erat occaſio ad has literas, & hoc earum potiſſimum argumentum. Vale. Helm. Ex Ac. Jul. Non. April. CIↃ. IↃ. CIIX.

I. καπήλιος.

Videat igitur publica omnium virtutum Furia, quantum argumentorum ex huius ornatiſſimi viri verbis depromi poſſet, ad ſuperius mendacium euertendum, ſi tanti eſſet, vt non ſolum viri illuſtres, ſed etiam quilibet de plebe, ſi quidem a mendacio alienus ſit, reſponſo aliquo illud ſcelus dignarentur. Nos hoc teſtimonium clariſſimi ſenis Germani in medium protulimus, non vtique, vt mendacem confutaremus. quæ enim gloria a nebulonis infamia ſperanda eſt? ſed vt mendacium lectori oſtenderemus. De mendacio enim, non de mandaci, triumphare honeſtos decet. Ceterum quod optimo ſeni Muretus de Sancaſſiano, & de Ioſepho a ſe deducto narrauit, memoria ſua feliciſſima in eo ipſum decepit. quod non magni refert. res ita ſeſe habet, vt ſupra a nobis expoſita eſt. Sed quis

melius confutauerit Lauernionis calumniam, quam Muretus ipse, cuius quod iudicium de Iulio fuerit epigrammata, quæ subieci, testantur: quæ profecto diuina sunt.

Scaliger Aonia decus immortale cohortis,
Qui, quæ alios ornant singula, solus habes:
Altera Verona, sed maior fama priori:
Cui clarum munus cessit vtrumque Dei.
Cui tot se debent animarum millia: per quem
Sæpius est Stygii cymba quieta senis:
Quod tantum augusta de maiestate remisti,
Vt placido versus videris ore meos:
Præmia quæ tandem tibi digna reponere possim?
Deuoueam si me, vix satis esse putem.
Tunc meos versus voce, vt laudaueris illa,
Quam stupet & qua nil grandius orbis habet?
Præmia quænam igitur reddam tibi digna? sed errō.
Præmia non debent reddier vlla Deis.
Anne tuas igitur describam carmine laudes?
(Laudari humana Numina voce volunt)
Deficient humeri tanto sub pondere: nec iam
Tuta erit in tanto nostra carina mari.
Quidnā igitur? taceo satis hunc dixisse putandū est,
Se quicunque satis dicere posse negat.

∴ ∴ ∴

Dic Dea, quod possim scripturus fingere nomen,
Scaligeri quod par laudibus esse queat?
Cur petis, imprudens, quod habes? dic, Scaliger, illud
Omnia virtutum nomina nomen habet.

∴ ∴ ∴

Dicite mi, Musæ, cultissima nomina nobis,
Quonam Scaligeri pascitis ora cibo?

Sit

Sic ego. Sic Musæ: Quam te sententia fallit?
Nictare quo potius nos alat ipse, roga.

Et vespillonis filius Muretum sycophantiæ aduersus Iulium Scaligerum audebit testem producere? O insignem Lauernionis impudentiam. Quæ vero de Scaligerorum gente Muretus Caselio se consignasse affirmauit, ea putamus periisse, aut a maleuolis adhuc in tenebris premi. Iosephus scit eum multa Iulii dicta memoratu digna solitum amicis Lutetiæ, & Romæ narrare. Quorum quædã Iosephus in schediis habet, quę ponemus ad calcem libri. Quum tam effusa proteruitate de Mureto mentitus sit, ne miremur, si erga alios religiosior non fuit. Paulum Manutium, Obertum Giphanium, Scipionem Gentilem, viros clarissimos, optime de literis meritos: ex quibus duo priores vixerunt, Scipio adhuc viuit. Priores Furiam non inultum de mendacio finerent, si adhuc viuerent. Iosephus communicata cum Paulo Manutio profectione sua Venetica tribus verbis ab homine amicissimo monitus est, vt, quum illuc venisset, salutis suæ potius, quam generis rationem haberet. in quibus satis ostendit, quid de genere Iosephi sentiret potius, quam quid palam profiteri ausus non esset in patria. Obertus vero Giphanius non solum ad Iosephum crebras literas dedit, & ab eo viciſſim accepit, sed etiam anno paulo minus ante obitum suum longissimas ab eodem habuit super aliquot locis Lucretii, de quibus Iosephum

consuluerat. Quomodo igitur Iosepho obtrectasset, ad quem toties literas dedit, a quo toties accepit? Melius feciſſet, ſi apud ipſum furem de ſuo Symmacho, quem ei ille ſurripuit, expoſtulaſſet, quum toties apud amicos infelicitatem ſuam deploraret, quod non animaduerterit ſe furem domi aluiſſe, & familiarem Harpyiam in Muſeum ſuum quotidie admiſiſſe. Sed quid attinet ab eo, qui in viuis eſſe deſiit, teſtimonia petere aduerſus Furem, quum ipſum aduerſus ſe teſtem producere poſſimus? In priori profectione mea Germanica, Roſtochii quum eſſem, interfui lectioni Ignatii Hannichis iuris vtriuſque conſulti, viri hiſtoriæ & Chronologicarum inueſtigationū peritia nemini ſecundi. Is Chronologiam tunc iuſſu Principis ſui publice exponebat. Series eum deduxerat eo, vbi agēdum eſſet de anno primo Cyri, cuius mentio eſt in ſcriptura. Verba eius ſuper ea re adeo mihi placuerunt, vt ne ſyllabam quidem eorum mihi excidiſſe putem. Omnia enim ſedulo excipiebam. *Quid igitur*, inquiebat, *hic agemus? Vndenam primum Imperii Cyri Babylonici ordiemur? In hac difficultate, quum nihil nobis occurrat melius, ſine omni hæſitatione id ſequimur, quod incomparabilis ille Scaliger, quo teſte Giſanio V. Cl. & Iuriſconſultiſſimo, hodie Europa doctiorem non habet. Nimirum primum Cyri, cuius ſcriptura meminit, & quem Babylonici Imperii Eſdra v. 23. diſerte appellat, inde ordiendum, vbi ſeptuageſimus captiuitatis cum in Olympiadibus alii ſque aris, tum annis Imperii Perſici recte itaque ex veterum ſententia*

ſententia

tentia positis desinit. Hic doctissimus vir subsistēs, ad auditores conuersus, *Ne*, inquit, *ignoretis, cur de Gisanio mentionem iniecerim, caussam exponam. Eramus Ingelstadii in conuiuio apud nobilissimum iuuenem Dom. Ioan. Bredouium equitem Marchicum, vbi contentione de præstantibus reformatæ religionis viris exorta, quum Academie tum pro tempore rector homō Loiolitici instituti omnem solidæ eruditionis laudem hominibus Pontificiæ Ecclesiæ vindicaret, eiusque sectatores celebriores omnibus aliis supercilio Loiolitico, & arrogantia pædagogica præferret: iratus Gisanius, Ecclesia Ecclesiā, inquit. Tu semper de Ecclesia. Europa hodie non habet doctiorem Scaligero. Aderant tunc præter Gisanium, & Rectorem illum, Andreas Facchinæus Iurisconsultus, Philippus Mentelius medicus, Ioan. Bredouius, Gasper Schoppius, ego. Quibus omnibus silentium tenentibus, & Gisanio tacite assentientibus, os isti Iesuitæ ita obstructum fuit, vt ne verbulum quidem deinceps facere ausus fuerit, Bredouio & Schoppio stolidum tum hominis iudicium effuse ridentibus, Scoppius præcipue illa Gisanii verba mihi sæpe ridibundus repetebat.* Hactenus verba illius doctissimi viri, quæ ipse agnoscet sua, neque nos quicquam confinxisse, aut in illis immutasse testabitur, si quis de illis dubitare velit. Hic vero impudentia cum imprudentia certant. alterum, quod aduersus Scaligerum producit eum, qui tam magnifice de Scaligero senserit, & prædicarit. alterum quod ipse negare id audet, cuius ipse testis est. Nam dicere a Gisanio Iosephi scripta contemtui fuisse,

hoc negare est Iosephum talem esse, qualem ipse coram tot hominibus, atque adeo coram Fure suo domestico, prædicauerit. Sed imprudentia terminos suos egreditur, impudentia nullos habet. Lectori hinc tam modestiam, quam captum Lauernionis æstimare licet. Et profecto nimis immoramur confutandis sceleratissimi & impuriſſimi mendicabuli mendaciis. Lauernioni de mortuis hæc fingere tuto licet. de Scipione vero, qui & in viuis est, & in luce hominum quotidie versatur, quomodo tã præfracte mentiri ausus sit, mirarentur fortasse quibus nebulonis impudentia nota non esset. Igitur de eo, quod ausus sit scribere, id quominus credamus, facit primum, quod nulli fuit fides habetur, præsertim quum iste de tot summis viris, qui adhuc viuunt, toties mentiri reueritus non sit. Deinde monet probitas, & modestia ipsius Scipionis. postremo amicitia ab eo cum Iosepho instituta in ipsius Iosephi ædibus coram nobiliſſimo Paulo Buzenuallio Christianiſſimi Regis in his Prouinciis legato, quando vterq; ab eo ibidem prandio exciperetur. Rursus illud nõ minoris vanitatis, Iosephum Onufrio Panuinio notum non fuisse. Portentum sane inusitatum, nosse hominem Romæ, qui Romæ erat, & eum, qui Pont. Max. quotidie videret, priuatum monachum, & præterea nihil aliud quam monachum, videre, conuenire, & nosse potuisse. Dignum profecto, quod inter ostenta Iulii Obsequentis locum habeat. Anno 1565. mense Octobri, Muretus Onufrio Iose-

phum

phum videre cupienti horam & diem condixit ad Palatium montis Iordani: quo quum Iosephum ignarum harum rerum omnium deduxisset, venit ad constitutum Onufrius, & salutato Iosepho, vix inter se pauca verba commutauerant, quũ Iosephus nihil moratus statim quis esset diuinauit. Neq; vero quis caussetur ex indutu Angustinianorũ Eremitarum id eum cõiecisse. Obuelutus enim erat longa & tali penula, galero autem tectus, propter imbrem illius diei, qui multus fuerat, ita vt nullum vestigium monachi appareret. Tum ille Iosephum amplexatus felicem diem dixit, quo reliquias gentis Scaligeræ sibi videre cõtigisset. Nicolaum quidem auum Iulii, & Bonifacium patruum eius se meminisse, patris autem nomen sibi excidisse. Quum illi nomen Benedicti Muretus præsto suggessisset, iterum ad Iosephum conuersus, libros, inquit, de rebus & originibus Veronensibus commentatus sum (decem putat Iosephus, sed diffidẽs memoriæ suæ) quorũ duo posteriores toti ad gentẽ tuam, & Scaligerorum res pertinẽt. Itaq; neq; Nicolaum, neq; patrem & patruum Iulii patris tui omittã. Hæc ille totidem verbis plus minus, quæ Muretus si viueret, quæ erat eius memoria, agnosceret. Quod enim Iosephus nihil in eis mutauerit, is Deum, nos autẽ Iosephum testem aduocamus. Nobis non licet esse tam Lynceis, vt ineptiamur. Certe an Iulio cognomẽ Burdoni fuerit, nemo melius Onufrio scire potuit. Vnde duo mẽ facia tõfutantur, prius de Burdonum gente: alterũ, Iosepho Onufrium

notum non fuisse. Vide Iosephus potuisset de illis posteriorib. libris scire, nisi indicio Onufrii? Si igitur duo illi libri ad Scaligeros pertinent, viceris Iosephus. Sin autem, vapulet quantum Burdonum est. Aliud crimen: Annales de gente Scaligera a paulo Æmilio conscriptos verum non esse. quo argumento? quia neque Mazzardini, neque Tertæ omniparentis alumni, neque Porci Rodigini, neque Lauerniones illos vnquam viderunt. Facile est hoc modo negare vllos libros exstare, quos nemo vidit, qui tamen in armariis Bibliothecarum blattas pascunt, vt certe contigit illis Annalibus. Nemo vidit illum librum. Ergo ille liber nunquam fuit. Impia sententia. Sic Athei dicere possint: Librum iustorum, cuius mentio in sacris literis, nemo vidit. Ergo mentitur scriptura (Deus meliora) quæ illius meminit. Ex illis igitur Annalibus Iulius carptim descripsit quantum ei licuit per temporis angustias, & illiberalitatem hominis, qui illos in Italia penes se habebat; & nisi se præsente a nemine tractari, aut legi patiebatur. Qui scierit quantum fuerit naturale & insitum Iulii odium aduersus mendaces, is nunquam Iulium scientem mentitum fuisse concedet. Hoc proprium est poetarū Burdoniani Dramatis. Nam quod aiunt Iulium falso scripsisse eos Annales Norica primum lingua cōditos, ab Æmilio Latine interpretatos fuisse, Æmilium autem Norice, aut Germanice nescisse; stultitiam & imperitiam suam profitentur, tum quod aliquem hominem Veronēsem posse Germanice loqui

negent,

negent, tum quod Iulium perhibere dicant illos Annales Norica lingua conscriptos fuisse. Vnde sciunt Æmilium Germanice nescisse? An quia Veronensis? Cur ergo Leonardus Nogarola homo Veronensis Germanice, & Sclauonice optime sciebat? Cur Benedictus, Bonifacius, Titus, & Iulius ipse Germanice loqui didicerant? Stolidissima, stolidissima sunt hæc. Æmilium per nos quidem imperitum Germanicæ linguæ esse liceat. Ego quæro vnde colligunt, Iulium dixisse eos Annales lingua Norica scriptos? Sed Iulii versus consulere nulla inuidia est. Ii sunt in libello de Regnorum euersionibus.

Nam Paulus vtrumq; Æmilius monet referri
Depromta libro, quem, vt retulit, fide vetusta
Incude Latina igneque Noricum recoxit.
Torellius omiserat ista Saraina.

Et puero patet illorum Annalium librum Noricum ideo dici a Iulio, quod in Norico compositus, & ibi ab Æmilio inuentus, non vtique quod lingua Norica scriptus esset. Quem magis idoneum verborum Scaligeri interpretem dare possumus, quam ipsum Iulium Scaligerum? Verba eius sunt ex oratione funebri in Eudonem filium, siue Audetum. *Vultis Annales nostros afferamus, quos rudes, atque barbaros, vt tunc ea ferebat ætas, vir bonus atque eloquens Paulus Æmilius pulcherrimis Latinitatis donauit monimentis?* Certe, si quidem Latine scimus, ex his verbis nihil aliud colligitur, quam eorum Annalium sermonem Latinum quidem illum, sed rudem, & agrestem, cuiusmodi maior pars

Annalium Germanicorum, a Paulo Æmilio excultum, & expolitum fuisse. Tantæne impudentiæ Iulium esse potuisse, vt hoc fingeret? legantur versiculi eius de regnorum euersionib. in illis multi duces rebus gestis clari leguntur, quorum nomina & gesta in historiis exstant, quas Iulium nunquam legisse fideiussorem dare possumus Iosephum ipsum. plures etiam in illis leguntur, quorum historiæ, quæ hodie exstant, nunquam meminerunt. Vnde hæc haberet Iulius? Ipse finxit? Hoc Atheorum est, & Lanernionum, quos Athei ad id scribendum impulerũt. Ex illis reliquis, quas excerpsit Iulius, coniicere possumus quam multa de Scaligeris, & rebus Germaniæ in illis Annalibus tractata fuerint, quorum ignoratio persuasit stultis, eos nunquam ab Æmilio conscriptos, & Iulium de illis mentitum fuisse. Certe non solum Scaligerorum, sed totius Germaniæ intererat eos non periisse. quanquam periisse non putamus, sed ab inuidis supprimi, aut a nescientibus possideri, qui tantum thesaurum penes se esse nondum animaduerterũt. Quot enim adhuc latent scriptores gestorum Scaligeræ domus, quorum vel nomen ipsum memoria hominum excidit? Vt alios omittã, quis hodie meminit Ferreti poetæ Vicetini, qui Scaligerorum Principum gesta carmine cecinit? Eius sane hoc Epitaphium adhuc legitur Vicetiæ in S. Laurentii.

Hic situs ex clara Ferretus origine vates,
Scaligeros decuit quem cecinisse Duces.
Scripsit & Annales, Genuense & in ordine bellum,

Et noua de priſcis carmina temporibus.
Eſt decus hic patriæ, Ferret a hic gloria gentis.
Hic locat æternum nomen, & oſſa, lapis.

Sane quum tantæ genti, quanta fuit Scaligera, ſcriptores deeſſe non potuerint; ex eo colligere poſſumus multos periiſſe, aliquot in bibliothecis latere, & ea pauca, quæ de Scaligeris ſcripta reliquit Saraina, vix eſſe centeſimam partem geſtorum Scaligeræ domus; ideoque Mazzardinis hinc captatam occaſionem multa de Scaligeris mentiendi. Vbi ſunt Chronica Veronenſia, quorum meminit Scardeonius lib. 3. claſſe 13. *Hæc legi in antiquis Chronicis Veronæ, etſi ab his Saraina nouus hiſtoricus Veronenſis aliquanto diſſentire videtur.* Inuidos, canes, Lauerniones, Terrigenas ringi æquo animo patimur. Hoc vero ridiculum, an deteſtandum, quod ait alibi peculatoris filius, fur domeſticus hoſpitum ſuorum: Ioſephum deduxiſſe genus Auſtriacorum a muliere venefica: quia dixerit Ludouicum Bauarum Auguſtum a vidua Alberti Auſtriaci veneno ſublatum. Res profecto riſu potius, quam indignatione proſequenda. Nam ſi vna mulier venefica in gente Auſtriaca fuit, ideone deducendum totum genus ab illa venenaria? O ſtolidiſſimum ſcelus. Deinde an in vna gente Auſtriaca reperta eſt mulier venenaria? Quot poſſumus adferre in Regum, Ducum, Dynaſtarum gentibus? Sed nugarum tædet. Quod vero negat a muliere, quæ vni ex Principibus Auſtriacis nupta fuerit, Ludouicum Bauarum veneno ſublatum

fuisse, iam non primum mētiri incipit. Carion, ac post eum Gaspar Peucer: *Propinatum id (venenum) illi (Ludouico) a vidua Alberti Austriaci ferunt, qua cū familiarius cōsueuerat.* Nauclerus Generat. XLV. *Eodem anno, scilicet 1347. quinto Idus Octobris obiit. Ludouicus IV. Rom. Imperator anno regni sui 33. hoc modo. Ioanna Ducissa Austriæ ex Suecia reuersura in Austriam voluit Ludouicum Imperatorem visitare, qua die princeps cupiens cum ipsa relicta quondam Alberti Ducis Austriæ spectaculum habere apud Monachium, & omnibus cum hilaritate consummatis, quum ex eodem poculo princeps a Ducissa porrecto biberet, statim sensit se grauatū, &c.* Andreas quoque presbyter Ratisponēsis, qui ex Bibliotheca clarissimi viri Marquardi Freheri ante aliquot annos in lucem prodiit, obstruet os impudentiæ: cuius hæc verba sunt: *Dicitur, quod dum ipse Ludouicus Imperator esset in venatione, quadā Ducissa Austriæ, soror Domine in Atheſi, qua vulgo propter deformitatem* Maultasch *vocabatur, & etiam, quod se contemni videbat, id fieri procurauit, sibi potum in flasone porrexit, &, dum ille bibere respueret, prior bibit.* Si non satis hic est, procedant alii. Albertus Krantz Metropoleos libr. 9. *Fuerunt, qui dicerent, eum cuiusdam Austriæ Ducissa, quam ob tetram faciei dispositionē* Maultasch *appellabant, veneno periisse.* Spanheimense Chronicon: *Fama est eum veneno periisse cuiusdā Ducissa Austriæ, quam omnes ob fœdam tetramque vultus dispositionem* Maultasch *appellare solebant. Certum quidem hoc tenemus, quod post venatio-*

nem

uem domũ reuersus, & sumto cum ea cibo in eadem mensa, statim male sentire cœpit. Ad hæc quid mutire audebit Lauernio peculatoris filius? Tanta est impudentia, vt audeat Iosepho obiicere eũ deducere sereniſſimorum Ducum Austriacorum genus a venefica? Certe nullius est ipsos aliunde deducere, quam vnde ortum habent. Quod si quædam venenaria in ea gente reperta est, neque hoc a Iosepho est, vt iam ostensum est, neque culpa est gentis Austriacæ, neque nouum, maximos Principes ab agnatis aut cognatis veneno tolli, quod iam supra tetigimus. quid quod illa venenaria non erat Austriaca, sed Austriaci vidua? Sed impudentius est, quod dicit: Iulium falso scribere patrẽ suum & Titum fratrem pro Gallis pugnasse, illis verbis: *deque patris opera, quem plus annis quindecim pro nomine ac dignitate Gallica in armis fuisse palam est: fratrem vero fortissimum virum fortissimorum equitum ducem in prœlio Rauennati concidisse.* Manifesto ait patrem 15. annos Gallis militasse, sane ante prœlium Rauennate, bello Carolino, & post in ipso prœlio Rauennati: fratrẽ autem in cladę ipsa Rauennati ductorem equitum fuisse. Improbitas & inscitia hic cernitur: tum, quod falsa obiicit, tum, quod Latine non intelligit. Sed qui illis hæc suppeditarunt, neque meliores, neque peritiores sunt eo. Quod autem Benedictus, & filius eius Titus tam pro Ludouico, quam pro Maximiliano eadem opera atque eodem tempore in prælio Rauennati militauerint, non obscurum, neque mirum fuerit

eis, qui sciuerint meliorem partem exercitus Ludouici auxilii Germanicis Maximiliani creuisse, in quibus Benedictus Scaliger vnius turmæ dux, alius vexillifer Titus eius filius fuerit. Tam igitur pro Rege, quam pro Cæsare militabant. Michael Coccinius Tubingensis, quo nemo neque plenius, neque maiori cum fide prælium illud, & totum bellum Ludouici Italicum descripsit, semper meminit auxiliorum Maximiliani Germanicorum ex Germania eductorum & ex præsidiis Italicarum vrbium, quæ in potestate Maximiliani erant: ex quibus magna facta fuit Exercitui Gastonis Fuxii accessio. Verba eius scriptoris, quæ huc faciunt, hæc sunt. *Victoriam tantam Galli obtinuerũt partim propria virtute, partim Germanorum. Hoc namque exploratum est, quod Galli sine Germanorum robore cum Hispanis haudquaquam confligere tentassent. Et ipsi et successum in virtute Germanorum reponebant, fortitudinemque plusquam humanam in eo prælio eorum fuisse testati sunt apud Maximilianum. Et ipsi quoque Hispani Germanorum robur, vti professi sunt, formidabant.* Hactenus Coccinius, qui, dum hæc gererentur, in Italia erat. Maximilianus vero nuncium de hoc bello cuius hic mētio fit, accepit in Marca Tarui sina ad castellum Cadurum, vbi ante aliquot annos clade maxima a Venetis male multatus fuit eius exercitus, quum a Carnicis Alpibus ad Tridentinas fauces copiis præmissis ipse Romam inaugurationis caussa sequi decreuisset. Ad Cadurum igitur quum esset, eum adiit Iulius,

lius, & ibi eques auratus ab eo creatus, & ex more torque aureo donatus fuit. Germanicæ igitur Maximiliani copiæ Gastonis exercitum auxerunt. quod a Carione, & eius Chronici amplificatore Peucero ita perspicue & clare exponitur, vt nullus locupletior huius rei testis dari possit. De prælio Rauennati loquens, *Gallicum*, inquit, *exercitum Germanis Maximiliani copiis firmum, ac validum duxit Gasto Foxeius sorore Ludouici in Vasconibus genitus*, &c. Infra: *Ad huius prælij famam Imperator reductis suis auxiliis a Gallo, initoque fœdere cum Hispano & Anglo, Gallum domi nouo bello implicauit.* Vides, vt post prælium Rauennate copias suas reduxerit. Causam reddit Ludouicus Tubero, qui discessionem Maximiliani a Ludouico post prælium factam docet, vt etiam Peucer. Is libro 9. postquam meminisset Germanos inuitos a Gallo distrahi, & nefas ducere, in eum regem arma conuertere, in cuius castris militassent, subiicit: *Quorum mentes si Maximilianus eorum Princeps, vt debuerat, esset imitatus, haud sane ab officio ita facile discessisset, destituendo iniuria Regem socium, ac de se aduersus Venetos optime meritum. Nisi forte honestius simul, & utilius visum est, Pontificis Romani, ac Regis Hispani necessarij sui morem gerere voluntati, quam sinere Regem Gallum opibus Italiæ auctum super cæteros Reges eminere, inuidia, quæ animum vehementer mordebat, hac honestatis specie obtecta.* Quando & quam obrem Maximilianus a partibus Ludouici desciuerit, aperte indicat, nimirum post prælium Rauennate,

& propter obtrectationem & inuidiam. a quo nõ abludit Georgius Sauromanus homo Gallis parum æquus, in oratione funebri Maximiliani: *Ludouico quoque Gallorum rege interim, qui belli socius fuerat, grauius atque insolentius in Italiæ ceruicibus debacchante, Hispanis atterendum eum, deinde Heluetiis debellandum tradidit.* Quæ ideo adduximus, vt non solum auxiliis Maximiliani Germanicis auctum fuisse Castonis exercitum ostẽderemus, & eo bello socium Ludouici Maximilianum fuisse, sed etiam copias Maximiliani non prius abductas, quam Maximilianus inuidiæ stimulis actus propter victoriam ex eo prælio Gallis cum summa gloria partam Ludouico societatem renunciarit. Frater quoque Nicol. Baselius Monachus Hirsaugiensis post prælium, & circa medium anni 12. Maximilianum a Gallo resiliisse scribit, expostulantem cum Gallo de fœdere violato, atque aliis, quæ manifesto mentitus est Monachus; & locus non est confutandi. Quid igitur hic dicent, qui negant aut hoc prælium ad Maximilianum pertinuisse, aut eos, qui in exercitu Gastonis pugnabant, tam pro Gallo, quam pro Maximiliano pugnasse, quum ostenderimus Maximilianum socium eius belli fuisse? Et sane Alfonsus Dux Ferrariæ, qui Gallorum tormentis præfectus erat, hortatur Titum Scaligerum, vt in eo prælio se dignũ maioribus suis ostenderet. Et tamen Titus erat in auxiliis Germanicis. Verba, quæ huc spectãt, iamdudum adduximus, quum de Iulio loqueremur, & eius fratre Tito. Quod quum ita sit, mirum

mirum est, nobilissimum Martinum Langæum Ballaium proregem Ligurum, item Guicciardinum, virum diligentissimum aliter sensisse, & ante prælium Rauennate Maximilianum a Gallo discessisse. Quare Furi & æmulis res ad restim rediit, qui hinc maximum triumphum sperabant.

Εἷς βρόχος εὔκλωστος νεκροθάπτεω ἠὲ Χάρωνος
Ἔστι σοι εἰς ἀΐδην οἶμος ἑτοιμότατος,

Per me liceat sane. nihil moramur. Illud vero ex Amphitheatricis Tabulariis depromsit, Iosephum scripsisse patrem suum ex desperatione rerum suarum monachum factum. Imo contra, quum haberet in animo monachus fieri, stultum illud & illiberale propositum abiecisse. Et hæc pædagogica sunt. Nos eiusmodi & alia protulimus, non ideo vt confutaremus, sed vt portentosa tenebrionis mendacia Lectori proponeremus, quibus sperauit opimum Episcopatum se adepturum. Nihil enim omisit, quod aut confingeret, aut in peiorem partem interpretaretur: cuiusmodi illud, quod non minus falso, quã ridicule scribit: Iulium, quum Aginnum venisset, nullum habuisse, quocum sermonem de literis sereret, falso a Iosepho perhiberi, quum ille Muretum ibi haberet: quod tripliciter falsum. primum quod quinto anno, postquam venit Aginnum, ipse queritur se non habere, quocum de literis communicet: secundo, ꝙ Aginnum venit anno eodẽ, quo natus Muretus: tertio, quod Muretus nunquã niduum integrum Aginni degit. Quod neminem habuerit,

quo cum de literis fabularetur, en eius verba ex epistola liminari orationis prioris in Erasmum: *Aginnum oppidum est Aquitaniæ, vt incolæ iactant, princeps, &c. Ager vbertate soli incertum profitne magis incolis, an officiat. Ita annonæ spe suspensi omnia munia non ciuilia solum, sed rustica quoque negligunt, propterea animi cultui minus student. Si quis tamen ad literarum studia se se applicat, lucro illectus agitur eam in partem, cuius ope fortunarum suarum promoueat gradum. Id vnum hic inuenimur, vt acceptum patrimonium ampliore censu faciamus. Proinde ita cum animis vestris reputate quo in statu res mea sint. Nam ne vnus quidem liber venalis habetur, præter Iustiniani proœmium, & Grammatices rudimenta. Per octoginta amplius miliaria ab extremo vsque orbe mihi petenda fuit interdum Bibliotheca, Basilea, Florentia, Venetiis, atque Roma. Quibus libris sic me opulentissimum: quicum tamen caput conferam miser? aut vnde quicquam petam præsidii? Tanta literarum hic vastitas, tanta est solitudo, vt in hac infelicissima orbitate,* &c. Vter mentitus est? Lauernio, an Iosephus, quem de iis rebus docere vult, quas nemo melius, quam Iosephus, imo nemo, præter Iosephum, nouit. Quam vera autem de Mureto dixerit, idque Bencii testimonio confirmare conetur, eum tunc Aginni degisse, argumento fuerit annus is, in quo Oratio in Erasmum vna cum ea epistola edita fuit, qui quum esset Christi 1531 Muretus tunc erat tantum annorum quinque, & in Lemouicibus agebat. Bencius autem vir doctus, & amœni ingenii,

qui,

qui, si viueret, neque Amphitheatro Tartareo, neq; eius structoribus sociis suis fauisset, multa per coniecturam de Mureto dixit, tam incredibilia, quam a vero remota, cuiusmodi illud, Muretum adolescētulum Aginni docuisse. Res ita habet. M. Antonius Muretus annos natus XVIII. Aginnum venit Iulii salutandi caussa, vnde digressus ad Auscios Nouempopulaniæ sese contulit, vbi in collegio Archiepiscopali Ciceronem & Terentium docere cœpit, quo tempore Eclogas in laudem Cardinalis Armaniaci, & Tragœdiam suam Iulium Cæsarem in illa vrbe edidit. Hinc profectus in oppidum Nitiobrigum, cui nomen Villa noua, ditissimi mercatoris de Breuant liberis præfectus in schola publica illius oppidi auctores Latinos interpretabatur. Anno autem ætatis suæ XX cum illis pueris discipulis suis Aginnum secundo venit, Iulium salutandi caussa semel antea visum, sed satis notum literarum commercio: eosque pueros cum Mureto Iosephus meminit domi vidisse se annos natum VI. Bis, aut ter postea exceptus hospitio a Iulio, idque diem vnum, aut biduum tantum, ingenii sui præstantiam, cuius specimen per literas duntaxat dederat, colloquio familiari comprobauit. Ex illo, quia eum nosse propius contigerat, Iulius amare eum cœpit, & eius dotes animi Senatoribus Burdegalensis Curiæ per literas commendare, vt non aliter eum, quam filii nomine appellaret, quum Burdegalam, relicta schola Villanouana, profectus

ibi in vna classium Gymnasii Aquitanici docere-ret, circiter annum Christi 1547. neque ex eo vnquam aut Aginnum repetiuit, aut Iulium postea vidit. Quomodo igitur Aginni, aut quãdo, docere potuit, qui in tribus profectionibus vix sex septem dies ibi substitit? Burdegala Lutetiam, Lutetia Tolosam petiit, vbi iuris institutiones quum exponeret exercendi causa, vt tyronibus iuris mos est, inde abire coactus Venetias sese contulit. Quare quæ Bencius de eo retulit, quia ex coniectura collegit, ea non solum falsa, sed etiam interdum ridicula sunt: vt quod ait, Regem Henricum, & Catharinam Reginam Muretum publice docentem audire voluisse. Nunquam enim in Athenæo regio, sed in gymnasiis docuit. Neque caussæ erat, cur diceret eum Tolosæ iuris ciuilis docendi primum facultatem, deinde etiam potestatem accepisse. quod quid sit, non capio. Hoc scio, si ille, vt putat Bencius, facultatem & potestatẽ iuris publice interpretandi Tolosæ accepisset, non opus illi fuisse eam Asculo petere, vt ius Romæ publice profiteretur. Quo tempore enim Ludouicus Rupipozeus Romæ sub Gregorio XIII. Christianissimi Regis legatus agebat, Muretum Asculum clam petiisse, & lauream iuris consecutum fuisse tam multis notum, quam mirum est Bencium ignorasse, qui eo tempore Romæ erat. Reliqua, quæ finxit non pausa, libens omitto. Video enim ab Iosepho certiora de Mureto peti posse, quam ab illo, quo plura neminem de Mureto scire nobis certo cõstat. Mendaciorum autem

autem Lauernionis quædam scelesta sunt, alia ridicula, alia improbum, alia sensus communis expertem, atque idiotam plane arguunt. cuiusmodi illud in epistola liminari rustica & stultissima, Iosephum Austriacæ genti iniuriam facere, quod genus suum ad eam referat. quo nihil stultius & ioculárius dici potest, vt risum continere non potuerim. Quis enim iniuriam facere potest ei genti, cuius splendore genus suum illustrari posse sperat? Certe si plebeius Reginam amet, nullam ei iniuriam facit, sed risum potius illi, quam indignationem mouet: neque eo nomine illa eum in ius vocabit, neque pœnam irrogabit. Nam & Pisistratus ei plebeio non succensuit, qui eius filiam amabat. Quid enim odio puniendo reliquum fiet, si amare crimen est? Hinc pendet, quod adiicit Furcifer, Iosephum contaminare genus Austriacum.

Sic interpositus vili contaminat vnco
Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Sint Scaligeri quouis vespillone viliores, quouis fure cõtaminatiores. quomodo Austriacorum genus contaminare possunt, quorum Scaligeri Veronenses gentiles non sunt? Rursus quot videmus quotidie summorum Principum gentiles eo miseriarum redactos, vt præstaret genus suum dissimulare, quam profiteri? an dicemus eos gentilibus suis iniuriam facere, & genus contaminare? O stoliditatem, rusticitatem, imperitiam Vespillonidæ. Non minoris rusticitatis & illud est, quod miratur Iulium

fariſſa nitentem in quodam templum aſcen-
diſſe: quaſi aut incredibile hoc ſit, aut tanquam
portento ſimile Ioſephus retulerit. Saltem ſi
quid in illo ſenſus communis, aut humanarum
rerum experientiæ eſſet, eius erat conſiderare,
non admodum magnam templi fuiſſe altitudi-
nem, quam fariſſa lõgitudine ſua æquaret, ideo
neque conatum illum adeo mirandum fuiſſe.
Itaque niſi ſtupor eius iudicium occupaſſet, non
magno labore poterat intelligere Ioſephum id
tantum lectori iudicandum propoſuiſſe, quum
tantus vigor in eo eſſet, qui ſenior iam pedibus
& manib⁹ arthritide debilitatis id faceret, quod
adhuc virens iuuenis, & integris viribus, face-
re potuerit. Alioquin quis ignorat id a multis
pluſquam millies factum? Nos certe ſcimus,
qui aliquoties vidimus. Sed Veſpillonis filio
mirum videri nulla indignatio eſt, qui nihil
præter cœnopolia, barones campi Floræ, & culi-
nas procerum vidit. Adhuc vnum fatuitatis eius
exemplum addam, antequam lectorem abſol-
uo, quem tandiu in nugis moratus ſum. Non
ſolum enim de fariſſa & ſcãſione templi, vt im-
peritus quotidianarum rerum, miratus eſt, ſed
etiam vt naturaliũ ignarus ſcurrilitate veſpil-
lonia id proſecutus eſt, quod Ioſephus de ſe & pa-
tre ſuo ſcripſit, noctu vidiſſe: quod quidem &
multis accidit, & natura eis inſitum eſt: ſed quo-
modo id fiat, nõ mirum eſt eũ neſcire, qui nihil
ſcit, præter fata, & maledicta. Putat enim quib⁹
id accidit, id eis ſemper, & per totam noctẽ con-
tinuari. Atqui non ſemper, & experrectis tan-

tum

tum id fit, idque nunc per horam integram, nũc amplius, & minus, & ex interuallo: ac postea tandem euanescit. neq; lux illa clara est, qualis interdiu, sed instar crepusculi, quod λυκοφῶς Græci, *Entrelubricano* Hispani vocant. Tiberius Cæsar, & Iulius Cæsar Scaliger ab ineunte, ad exitam ætatem, id habuerũt: Iosephus a pueritia, ad 23. annum ætatis suæ: qui etiam nouerat nobilẽ Pictonem Carolum Coninium ab hinc triennium angina in Pictonibus exstinctũ, qui non solum id sibi insitum esse Iosepho sæpius prædicabat, sed etiam alios vidisse, quibus idem contingeret. Caussas huius rei soli anatomices & optices periti nouerunt, non furiosi procerũ purpuratorum parasiti. Id enim soli patiuntur ii, quibus oculi eiusmodi sunt, cuiusmodi Iulio & Iosepho. Non enim nouum, quædam genitiua quibusdam familiis esse: vt oculos quoque χαροπὸς non paucis in gente Scaligerorum. De quibus Iulius ipse in primo Commentario ζώων ἱστορ. *Leo oculis fuluis, & Aquila. neq; negandum est* χαροπὸν παρὰ τὴν χάριν. *Nam ii oculi etiam ab amatoribus valde commendantur. Habent enim vegetiorem obtutum, quoniam cãdore lucido aspersi sunt, qualis & Augustus habuit, & Scaligeris pene omnibus fuere.* Hæc duo stuporis & rusticitatis eius exempla protulimus, non qui responsum sibi putet Scandapilonum excrementum, carnificum victima, quem ne nominare quidẽ fas & iura sinũt; sed vt viri probi & honesti videãt, quem lapidem non mouerint Laruæ & Erinnyes istæ, vt Iosephum nõ solum in grauissimis

rebus infamem concinnarent, sed etiam de minutissimis, vt quidem, sed frustra, sibi persuaserant, stomachum ei mouerent. Hæc sunt crimina, cãdidi & beneuoli lectores, quæ factio Telchinum, Cercopum, Lauernionum, fratercularum Typhœi in diuinũ heroem Iulium Cæsarem Scaligerum, & eius filium iactarunt, coitione instar vesparum in eos facta,

Turba ruens strictis per lutea corpora telis.
——non densior aere grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.

Hi furores, hæ bacchationes, hæc amphitheatrica maledicta:

Hi motus animorum, atq; hæc certamina tanta
Pulueris exigui ictu compressa quiescunt.

Quid ex tantis portentis consecuti sunt? Iulius illustrior est, quamdudum. Fur paucis antea, nunc omnibus notus. Matris & Sororis scortationes mœnibus Neumarchiæ continebantur: nunc incipiũt fines ipsius Europæ egredi. Burdones, & asini sunt, quibus Scaligeri Burdones erant: mendaces, qui alios mẽdacii insimulant: ἀνισόρροποι, qui ἀνισορροπίαν in aliis reprehendunt. Duo tantum ingenue excipimus, hallucinationem de bello Sabaudico. Est enim σφάλμα μνημονικόν, bellum prius Francisci Regis cum posteriore confundens, quod nullus liber in manibus esset Iosepho Scaligero, quum illa scriberet: item errorem, in quem induxerant eum Historici nostri temporis nescio qui, Canem aliquẽ Facinum fuisse in gente Scaligera: quum is Canis Facinus neque gentis Scaligeræ, neque

Vero-

Veronensis fuerit. Erat enim Montis ferratensis in oppido Sancti Enuasii ortus. Floruit gloria belli anno 1412. præfectus copiis Mediolanensium. Reliqua, quæ non tetigimus ex illo sterquilinio maledictorum, conuitiorum, calumniarum amphitheatricarum, quia ad meretrices. vespillones, fures pertinent, neque nostri instituti est refellere, neque pudentis hominis legere. Paucula supersunt adhuc, ex quib. Amphiteatrici aliquod monstrum cõcinnare possint, vt ex tonso rasum, ex Scotista Franciscanum fecerunt. Ea familiares quidam nostri iam disseuere incipiunt: ac propterea nos æquo animo labore hoc supersedebimus. Immane enim volumen ex illis confici potest. De quisquiliis Grammaticæ, quæ postremo adiecta sunt, adstercoreos magistros, vnde profecta, ablegamus Telchinas, Cercopas, malleum maleficarum, foriarum euerritores, locorum controuersorum conscribellatores. Quicquid denique impuri homines in Iosephum hodie parturiũt, eius inuidia mater est, obstetrix sycophantia, nutrix væcordia, pædagogus furor. Denique Iosepho hæc peperit eius ingenium, & æterna in literas beneficia. Si quid rempublicam literariam iuuare potestis, candidi lectores, sperate parem gratiam. Bene de literis mereri: flagitium ingens est, impurorum partes non sequi, crimen immanissimum. Bene cum Iosepho ageretur, si nihil scripsisset, & Furiarum ac Telchinum potius amicitiã affectasset, quam animum ad iuuandum remp. appulisset. Non moro. vos,

Lectores. Valete. Lugduni Batauorum. Eidib. Iunii. CIↃ. IↃ. CVIII.

Ἀχαλίνω στομάτων, καὶ ἀφροσύνης, καὶ ἀνομίας τὸ τέλος δυστυχία. Eurip.

DICTA QVÆDAM IVLII CÆSARIS SCALIGERI, QVÆ SVPERIVS PROMISIMVS, EX MVLTIS PAVCA, QVÆ AMICI RETINVERVNT. HÆC ENIM NON EST CENTESIMA PARS.

Nemo festiuior videri potuisset Iulio Cæsare Scaligero, siquidem dicta eius recẽsita fuissent, neque aut inter barbaros excidissent, aut inter inuidos surrepta fuissent. Multa meminerat Muretus, atq; Mœcenati suo Illustrissimo Domino Hippolyto Cardinali recitare e re nata solebat, quum esset Tibure, Anno 1565. mense Septembri. a quo etiam amici excipiebant non pauca. Longe plura Ioan, Bergius Rutenus medicus; qui etiam ex illis commentarium libellum concinnarat, cuius reliquias has boni consulat Lector. Nam alium Commentarium furto sibi a Cantabro Iulii amanuensi sublatum conquerebatur idem Bergius.

Populum sub tyrannide dicebat equum esse domitum, qui ignoret vires suas. Tyrannidem non nisi tyrannide tolli posse. Præstare igitur acquiescere, & obsecũdare necessitati. Aulas esse Caulas. Nautarum votum esse circulum. Sequi enim quod se sequeretur, mortem scilicet. Patrem definiebat piam insaniam, aut insanam pietatem. Itaque amissum filiolum Eudonem quum fleret, neque modum vllum faceret, ita

vt ab

vt ab amicis obiurgaretur, Discite, inquit, patres esse. Vxorem, febrem hecticam. non enim nisi morte auelli. Coquum, alienam gulam. Piratam, ignem aquaticum, celeritatē, & vastitatē. Agricolas Reges: terrarum enim dominos. Reges autē Deos: rerum enim dominos. Rusticos ossa terræ. Oculos, Cupidinis sagittas. linguam, fulmina: mamillas, castra: basia, antecursores; τὸ γυναικεῖον, campos patentes, vbi prælium committendum. Vinum, βάσανον. Lectum, sepulcrum precarium. Meretrices, fossas publicas. λοξαυχένας κελόποδας vocabat σφηκοκηφῶας, *fucocrabrones*, ab ignauia, & malitia. Iudices, scopas Nemesis. itē αἰγοθήλας, siue Caprimulgos. Poetas, aulæa parietum pretiosorum. Tegere enim veritatem. Diuitem inertem, fritillum fortunæ. Diuitias, vehiculum stultitiæ. Malos diuites, statuas stultitiæ a fortuna erectas; pilas inanes, vento turgidas. Elato diuitiis Nitiobrigi. Stulte, inquit, quare non exspectasti finem tuum? Eris enim tūc testis diuitiarum tuarum. Eidem latifundia iactanti, pluris, inquit, tua latifundia sunt, quam tu. Coquo suo Stephano nimis salite omnia cōdienti, mirus, inquit, mortalis es. Das enim, quod non habes. Parasitum esse Chamæleonem culinarium. Satius aiebat esse regio ingenio, quam Regem. Onere enim & culpa vacare. cetera idem esse. Conuicium esse mucronem verborum: iocum autem splendorem ferri orationis. Nullum tempus plus auersum a vita putabat, quam quod vitæ impenderet. Itaque dū epularetur, amicis dicebat, Hoc nō viuimus.

Accitus ad conuiuium, interrogatus a Carolo Seuino quo iret, Pecoratum, inquit. Nam fuit mirus fictor verborum. Ita pecoris, non hominis, officium dicebat, epulari. Neque tamen inhumanus, aut rusticus fuit. Quin & sodales habere instituit more Catonis; quos laute excipiebat. Sed quum ex Platone didicisset animam esse verum hominem, corpus autem amictum, cibum sumturus, Eamus, inquiebat, ad fabricandum murum homini Platonis. Interdum etiã ridebat mensæ accubiturus. Hoc, inquiens, amici nihil est, quod iterum facturi sumus. Nihil enim peius fit, quã quod iterandum est. Fatum suum vocabat mare hybernũ, in quo nulla est Alcyon. Ad quendam sibi adulantem, pessimus, inquit, esses pictor. Canem dilectissimam, quam Vraniam appellabat, furto quum amisisset, Docuit, inquit, fur ille posthac nos non dolere. Infantes quum tangeret, Vtinam, inquiebat, qui vos probauit, (Christus) mihi ne exprobret. Roma quid esset interrogatus, respondit, Nouum acetum pessimum veteris vini optimi. Eandem appellare solitus est ansam calumniæ, & matrem inuidiæ barbarorum. Nemo vnquam neque iuuenis, vt præceps: neque senex, vt sapiens, plus mortem contemsit. Extrema etiam ætate appellare eam solitus fuit initium bonorum. Vitam esse alterum dolium Iouis, in quo nihil esset boni. Librum suum de Cattis linguæ Latinæ comparabat Alchymistis, qui quærunt quod nusquam est. Dormiturus, Eamus, inquiebat, periculum facere

quam

quam mors sit familiaris. Experrectus sese modo natum dicebat, nisi in memoria haberet, quot commissis vitam interemisset. Vulneratus in facie, quum nouus eques esset, Si hæc, inquiebat, initia sunt, non potest nisi toto expleri res: indicans mortem pro præmiis. Inuitatus ad lusum paruæ pilæ, Sororem, inquit, non feriam. Nam me sic Fortuna habet. (παῖγμα τύχης in epigrammate.) Postea deprehensus folle maiore ludens, Ignoscite, ait. Magni tauri magna pila est. alludens ad pilas taurorum in amphitheatris, & ad staturam suam, quæ erat procera, & heroica. Moriones appellabat cymbala, & tibias. Vt enim ad illorum concentum saltamus, ita ad horum mores gestimus. Pertinaces in falsis opinionibus vocabat Triremes ἑπτηρέτμους, hoc est, remos ab vno tantum latere habentes.) Semper enim eas in seipsas recurrere in gyrum. Medicos φιλοσοφήτας Corticem sine nucleo. De hominibus claris ita sentiebat: Herodotum esse lac Musarum: Thucydiden oculum verecundiæ: Liuium mare tranquillum: Ciceronem animam eloquentiæ. Virgilium conatum vltimum Musarum. Virgilii Musam, matronam: Homeri, mulierem aulicam. nullius enim pudere eam. Homerum, nutricem insanæ sapientiæ. Virgilii poetæ omnes poetas terga spectare. Illum enim esse extra metas. Homerum ostentasse iter: ipsum autem aberrare sine freno. Terentii orationem virginem appellabat. Ouidium diuitias Musarum. Catullum pectinem Musarum. Statium equum alatum. Aristo-

telem alteram naturam. Eundem ἀγωνιστὴν, Platonem, athletam, ceteros spectatores. Platonem fluuium perennem. Demosthenem Herculem nudum. Isocratem Nireum oratorum. Gorgiam speculum naturæ. Pindarum aquilam. Sophoclem supercilium musarum. Euripidem Homerum thymelicum. Æschylum prærupta montis Parnassi. Lucanum nauem plenam vento. Lucianum Cerberum Musarum. Galenum fimbriam Hippocratis. Pompeium tyrannum cum multis. Crassum nidorem Romanum. M. Antonium vmbram alieni fulguris. Octauianum canem Syllanarum reliquiarum. Lucullum maximi fecit, putabatque ei ad summam gloriam nihil a natura defuisse. De Cæsare quid sentiret rogatus a Gallo, Non respondebo, inquit. Quamobrem? Quia, inquit, nolles me respondisse. Hoc tibi volo gratificari. De viro enim illo non posse quippiam vere dici, quin de omnium Imperatorum gentium omnium laude detrahatur. neque putare sese illum fuisse hominem, nisi esset mortuus. Cuidã versificatorem pro poeta laudãti, Si equum, inquit, a me commodato petisses, asinum tibi adduci feciſſem. Cauſſanti amicitiam, Viue, inquit, vt sentis, id est, viue, vt asinus, quia asinine sentis. Equum ab sese adamatum, & cui se vitã debere diceret, famulus quum mortuum nunciaret, Satis est, inquit, si vixit. In cõuiuio apud Dauream Decurionum assessorem, quum quidam Iurisconsultus semidoctus semper taceret, Quemadmodum in seruo, inquit, fuga est spe-

cies

cies cuiusdam libertatis: ita in hoc taciturnitas est species cuiusdam scientiæ. Videl. 17. §. *Idem rectè.* D. De ædilit. Tyrannum Concordiæ Pici nepotem quum a familiari cingi videret, *Manus*, inquit, *habent, & non palpabunt.* alludens etiam ad idololatriam eius generis hominum.

* *
*

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI

IVL. CÆS. FIL.

EPISTOLÆ

AD DIVERSOS.

CLARISSIMO VIRO IOANNI STADIO REGIO MATHEMATICO IOSEPHVS SCALIGER IVL. CÆS. FIL. S.

QVAMQVAM, mi Stadi, permagni interest, quo tempore te interpellem, vtrum cum tu in publico tuo munere docēdi occupatus es, an cum ab omni cura, & negotio vacas: tamen non veritus sum te hodie conuenire, vt cuius rei rationem tibi explicare volui, eius te iudicem simul, & defensorem faciam. Nam eo loco opes meæ, ac fortunæ fitę sunt, vt nisi tu me locupletissimus auctor ab imminenti periculo vindicaueris, verēdum sit, vt vllæ partes mihi in re publica literaria relinquantur. adeo magna inuidia, & odio omniū flagramus. Quod tametsi nullo meo graui delicto contigit, tamen quia vsque adeo omnium concitati sunt animi, vt nihil aliud, quam insectationem nominis mei consulto quærere videantur, visum est mihi hanc querelam his literis obsignatam in sinum tuum deponere, quam, quia præsidium ab humanitate tua, & eruditione exspecto, in optimam partem accipias, oro. Ego, mi Stadi, adolescens, amissæ

parente meo, viro optimo, atque fortissimo, nullis pene literis, sed a voluntate satis paratus, cum ea, quam habebam, copia, Lutetiam me contuli, vt liberalibus studiis operam darem; Ibi non diu viua voce, sed potius mutis magistris vsus sum: ac, cum primum aliquod studiorum specimen edere potui, adhuc adolescens Coniectanea mea in Varronis libros de Latino sermone publicaui. is liber apud me in Pictonibus prima fœtura natus fuit: is primis nominis mei auspiciis præluit. Quibus studiis, quo fauore, & alacritate exceptus fuerit, nescio; neque scire, magni feci. Hoc vnum scio, me ex ea editione id consecutum fuisse, vt si nihil aliud, saltem minus ignotus & obscurus, quam antea, fuerim. Ab eo tempore, me non ambitionem meam, sed publicam vtilitatem spectasse, neque quicquam aliud a communi rei literariæ commodo quæsisse, & liber ille, & omnes alii, quos postea edidi, testantur. Neminem lacessiui: nullius honesti nomen allatraui. Perpaucos doctorum virorum errores, cum extorquebat necessitas; obiter, ac tanquam aliud agens, castigaui, multos dissimulaui. Doctissimos viros Italos, Germanos, nostrates nunquam nisi honorifice appellaui. non raro etiam, vt eos nominatim, occasionem, locum, & causas captaui. Confidentes ac perfrictæ frontis homines vnum & altetum fortasse leuiter tetigi. In ceteris ne modestia mea desideraretur, serio ac sedulo caui: Denique, doctissime Sradi, in scriptis meis nihil tale reperias, quod alicuius paulo doctoris nomen,

men, atque existimationem læserit. De illis autem scriptis quamuis ego melius tacerem, tamen vt aliquid intra modum, ac saluo pudore dicerem, expressit a me hominũ nulla de caussa mihi infestissimorum vehemens atque importunum odium. Nemo negare potest, in recensendis veterum auctorum monimentis me ea præstitisse, quæ si non laudem, tamen odium certe non merentur. Verius quidem de illis dicere poteram, tamen modestius in præsentia non potui Cum hac integritate, atque, nisi serio dissimulare volunt, cum hac laude qui versatus sim, tamen doctissimorum virorum inuidiam nunquam effugere potui. Atque, vt ab Italis incipiam, cum primum in lucem exierũt notæ meæ in Varronis tres libros rerum Rusticarum, ab eo tempore maximi nominis, atque plurimarum literarum vir, qui magna cum laude, atque felicitate has literas tractauit, nunquam destitit me apud nostrates accusare: me vnum in perniciem literarum natum: actum esse de literis, si porro vixero: me nimis ingenio confidere. Hoc tanquam aliquod carmen legitimum, aut actionem conceptis verbis ille grauissimus vir, id ætatis, ea veneranda canicie nostratibus, qui Roma trans Alpes proficiscuntur, iterare solet. Sed nõ satis est hoc; Eas Notas excepit Sex. Pompeii editio; Dii boni. plane me diuinare & hariolari dixit quidam alius inter proceres rei literariæ apud Italos primi nominis. Vide, amabo, quo genere excipere solent Transalpina ingenia Etrusci & Falisci enses Ro-

muli, qui omnes extra Italiam positas gentes barbaras vocare solent. En modestiam. Hoc dicere solent ii, quibus libros meos ipse misi: quos ego quotidie laudaui. Quod si quispiam Gallus eorum libros istis acclamationibus, καὶ ἀφημίαις prosequutus esset, non inultus hoc mussit, certo scio. Plane cum aceto Italo perfudissent prius, quam discederet. Quin, puto, vbi hæc legerint, vltro accusatum aduenient, quod hæc cum illis expostulem, neque liberum locum conquerendi mihi relinquent. Sed non miror hæc eos de me pronuntiare, qui Adrianum Turnebum non humanius acceperunt: cum eum barbarum pronuntiarunt, quod iustum librum miscellaneorum in vnum caput conicere soleat, neque admodum ἐπὶ τῇ φακῇ μέρον quærat. Eos me eo loco habere, quo virum, cum quo comparandus non sum, equidem non doleo; atque medius fidius vltro gratiam habeo. Hoc vnum miror, stic meum nomen adeo inuidiosum esse, vt nemo repertus sit, qui me apud illos tueretur. Missa hæc facio. Noua trium Poetarum, quos nuper emisi, editio, Italorum, atque nostratum animos quantum nouitate rei percussit? Ipsam ἔριν Hesiodi in orbem terrarum misisse visus sum. Atque, vt illos Cæsalpinos omittam, ita forum magistrorum Parisiensium excandefecimus, vt frequentes coirent, & de magna re publica deliberarent, dicebantur sententiæ graues. Parum abfuit, quin ad illud extremum decurreretur. Viderent Magistratus, ne quid detrimenti

Respe-

Respublica accipiat; Annibal enim ad portas erat. Me nihil mentiri, testes sunt non solum grauissimi viri, amici mei, qui hæc mihi non sine risu retulerunt: sed & boni adolescentes, qui quotidie similia declamantes magistros audire solent. Quin & popinæ ipsæ Lutetianæ, postquam doctorum Criticorum venæ generoso dore meri incaluerant, conuiciis ac contumeliosis dictis totæ perstrepebant. Eo enim sæpe condicere solent Romulidæ, vt saturi inter pocula quærerent, quid dia poemata narrent. Nec temere aliud magis vulgare hodie in Gymnasio regio iactari audias, quam calumnias, ac sophismata, quibus quotidie nomen meum insectantur doctissimi viri. Nudius tertius Pictaui conueni eruditissimum, candidissimum, & in omni literarum humanitate exercitatissimum quendam amicum meum, qui commodum Lutetia redierat. Is duo, aut tria de dictatis doctissimorum magistrorum protulit, quæ de eadem officina prodierant: hoc est, Castigationes meas exagitabant. Deum testor, nihil vidi magis a ratione alienum; vt ipsi nihil aliud in animo habuisse videantur, quam vt occasionem captent, qua in nomen meum inuadant. Vnum me scilicet hostem proposuere, quem debellarent, de quo triumpharent. Gratum est, quod me dignum censent, quem secum componant, atque committant. Ego tamē plane certamen detrecto. Impar sum ei pugnæ. Coparum, καὶ λαχανοπωλίδων conuicia nūquam didici. Illustri genere prognatus sum;

liberaliter institutus fui. Scholasticas illas contentiones nunquam amaui. Hoc vnum tantum a Deo Opt. Max. peto, vt in tractandis literis mihi liceat cum aliquo studiosæ iuuentutis fructu, atque publico commodo versari. Nam gloriolam ex nescio quarum vocularum commutationibus aucupari, angusti est animi. Cui tamen rei valde studet homines Cisalpini: quibus etiam dolet, hominem Transalpinum ea tractare, quæ tantum ad Italos pertinent. Nam patriam Propertii indicare non nostrum est, qui Celtæ, Vascones, Aquitani sumus: sed eorum tantum qui in Italia nati sunt: qui tamen iure suo sibi permittunt, Ameriam nobilissimum municipium in Franciscanorum sodalium metropolim trãsferre. Nostrates vero doctissimos viros quid tantopere vrat, non video. Non ego sum Gallus, vt illi? Cur adeo veritatem oderunt, vt non patiantur adolescentes cum aliquo fructu ex auditorio exire? Quid ad teneram illam ætatem, bene an male aliquid castigarim, aut interpretatus sim? Quid hoc est, nisi vt nos infra positos splendore suo prægrauare videantur? Non pudet illos quod me vincunt, vt de Philemone dicebat Menander? Bonæ indolis adolescens cum ex Athenæo discesserit, interrogatus quid a magistro didicerit, hoc respondebit de auctore, quem interpretatur magister, sibi parum aut nihil dictatum quidem, se tamen interea horam non perdidisse, quod rem inauditam didicerit, nempe Scaligerum, quem boni viri laudant, neque literas, neque

que adeo natare scire. Egregiam vero laudem, & spolia ampla. Dices; Hoc tu, mi Scaliger, curas, aut adeo ad existimationem tuam quicquam referre putas? Minime. Sed sine me tecum garrire eodem iure, quo & illi cum auditoribus suis garriunt. Alioqui nihilum nouent me. Nam profecto eorum auspicia pomœriis Athenæi regii tantum finiuntur. Nostra vlterius incita sunt, ita vt ad Romanum vsque agrum promota sint, in quo non aues, vt olim, ipso homines de meis scriptis garriunt. Exiit nuper commentarius amici mei eruditissimi in Hippocratis libellum περὶ κεφαλῆς τραυμάτων. Consultus ab eo de contextu eius libri, quo, ex ipsa teste Galeno ipso, nullus in toto Hippocrate deprauatior est, quod mihi videbatur, extempore respondi. Alibi enim occupatus eram. Et quamuis eæ temporis angustiæ erant, vt plura fortasse, quam opus erat, dicere, aut animaduertere non licuerit, tamen amico hoc postulanti, quæ mea est æquanimitas, negare neque potui, neque debui. Non dubitauit ille meas notas ita, vt e re nata dictaueram, publicare. quarum, quamuis me impulsore eæ editæ non sunt, tamen nondum me pœnitet. Nam eo in eo libello deteximus, quæ isti boni medici ne in somnis quidem viderant, neq; suspicati sunt. Putabant tamen eos non ita incogitantes fuisse, vt cum hæc publice legerent, talem in vno & altero loco demendo illis non suboleret. Neque vero adeo contemnēdæ visæ sunt meæ notæ, vt veritus sit quidam arrogans iuuentutis

fascinator, ac planus palam dicere, me illa sibi furatum esse. Sed quia videbat difficilius ea mihi extorqueri, quam Herculi clauam, posse, ad vltimum remedium suum, hoc est, ad calumnias confugit. Subornauit nebulonem illo loco atque domo dignum, hoc est, sibi simillimum, hominem e media Clinicorum, colluuie suscitatum, qui pro beneficio haud parem gratiam retulit. Nam postquam didicit, quæ inuitus fateatur necesse est, si aliquam frontem habet, nunquam, vt audio, sine magnis contumeliis in me, declamauit. Cui rei omnis pædagogorum fæx operas suas tradidit. Nemo enim fuit, qui sese putaret medicum (semper doctos excipio, ne forte quispiam me hic omnes putet comprehendere) qui dolorem suum ac inuidiam dissimulare potuerit; quod ego ἀνιατρολόγητος Hippocratem, & Celsum emendandum susceperim. Consequens est igitur, vt quemadmodum soli Itali patriam Propertii indicare possunt, sic soli magistri Parisienses sacrorum penetralium medicinæ æditui sint. Sed impurus ille histrio cum suo monitore dabit pœnas, nisi resipiscit. Dignus enim vterque, qui ita pro meritis suis a me accipiatur, qui me hominem innocentissimum, insolentem huius scholasticæ maledicentiæ publice lancinare audeam: quos ne cogitans quidem lædere voluissem. Nam qui a me ne verbulo quidem lacessiti, adeo omnis humanitatis obliti sunt, me lacessitum qua mente esse oportet? Immane, inquit ille, facinus, amicum castigare pro noxia.

noxia. Tanto illiberalius, homines, a quibus nunquam ne minimo dicto quidē petitus fueris, nulla de caussa lacessere. Puto illius monitorem vndiq; ab omni fæce pædagogorum ostiatim erogasse, quæ illum emissarium suum deceret, vt in me euomeret. Ab omnibus enim sui similibus symbolas corrasit, vt hoc luculētum, & splendidum prandium instrueret, quod mihi apponeret. Ego vero quanquam Canicularum vanos latratus rideo, tamen satis mirari non possum κακοήθειαν hominum, qui mihi succenseant, quod se docuerim, quod antea nesciebant. Glossemata ineptissima ineptissimorum hominum commenta ex illo aureolo libello sustuli. Ipsi pro veris Hippocraticis asserunt. digna profecto quæ alios interpretes non habeant. Sed oblitus sum & loci mei, & existimationis, qui hæc curem. Ipsi pro meipso respondebunt, cum eas stolidissimas diatribas in publicum edent. Quis enim eas leget sine risu, qui saltem micam salis habebit? Satisfactum mihi putabo, si ipsi sese scriptis suis traducant. Nam intra parietes gymnasii tuti hactenus sunt: hoc vnicum asylum habent. ibi regnum soli obtinent. Qua Pompa in eo suggestu vectantur, e quo tot boni viri & olim, & nunc etiam vberrimos eruditionis suæ fructus quotidie promunt? Quicquid teneris animis iuuenum immittunt κυρίας δόξας esse putant. Sed postquam scripta sua euulgarunt, tunc tanquam in publico theatro exploduntur, atque exsibilantur. Graue enim

iudiciũ posteritatis. Ignosce iusto dolori meo, doctissime Stadi, si te virum iis literis, ea virtute, atque humanitate præditum, præterea in iis studiis occupatissimum, quæ solis diuinis ingeniis patent, cum prolixa Epistola intempestiue adii. Mitto enim ad te Manilium meum, quem quare liberalius, quam alios libros meos excipiant, non video. Plura enim lõge habet, quam illi, quæ illos vrantea, ἐκμῆναι possint. Verendum enim est, ne ego, qui propter alios libros causſam dixi, propter hunc solum reus peragar. nisi subuenis, funditus pereo. Exstabunt, qui solum Ptolemæum & recentiores legerint, & videbunt me aliam a vulgari logisticen, aliam Astronomiam sequi. Ilico totius Astronomiæ imperitum me esse clamabunt. Hoc facient, puto, illi, qui quod pro viatico Ephemeridibus semper suffarcinati incedunt, eo solo nomine sese Astronomos putant: neque Astronomiam Manilii longe differre a Ptolemaica: neque, quod caput est, ipsum Ptolemæum nouam instituisse, aut potius veram restituisse cogitabũt non aliter ac fecit Aristoteles, qui non prius suam Physicen struit, quam Democriti, Pythagoræ, & aliorum fundamenta diruerit. Itaque ab æquis lectoribus peto, si quid tale in hoc Commentariolo viderint, ne me id putẽt ignorasse, quod multos non admodum alioqui peritos scire video. Sed tantum consulant ipsum Manilium, non me interpretem. Eiusmodi est Prosthaphæresis illa χρονικὴ auctore ipso Manilio instituta libro tertio. Cuius inutile commentum

mentum mirabuntur non solum docti, sed & mediocriter in logistica Astronomiæ versati. Permagni tamen intererat eam indagare. Opus enim fuit iudicio, & attentione non vulgari. Inauditam etiam rem Athla Manilliana esse neque tu, doctissime vir, qui harum artium princeps es, negabis: & fatebuntur illi, qui vni Ptolemæo tantum sacramento dixerunt. Nos illorum Athlorum vsum ex mente auctoris nostri proposuimus, neq; video, cur illa reiecerit Ptolemæus, qui tamen κλῆρον τύχης retineat. Præterea modos aliquot horoscopi indagandi leget, quod abhorret a modo, quem rationalem vocauit ipse, qui instituit, Monte regius; & ab eo, quem sequuntur Arabes. Sphæram barbaricam in vsum reuocare poterit, qui eam ad Cimma Alexandrinum ex præcessione æquinoctiorum castigauerit, deinde per doctrinam Declinationum & Differentiarum ascensionalium ad sui loci inclinationem accommodauerit. Neq; vero si quis minus sibi satisfactum putat, quia id ego ipse non præstiterim, propterea id me ignorasse censere debet. Non male enim nisi fallor, de hoc prisco auctore meriti sumus, quod eum ad eam integritatem restituimus, vt & adolescentuli vel animalis sphæræ elementis minimum imbuti eum capere possint: quem quomodo antea vel doctissimi viri intelligere potuerint, nolo ipse dicere. ipsi, nisi & nunc quoque oderunt me, ex hac nostra editione fateri cogentur. Quare eos rogo, vt omni abiecta inuidia, & immani fame nomen meũ lacerandi,

feria, ac grauia studia potius, quam minuta illa se, atque existimatione sua indigna consectentur: neque in maledicendo operam omnem abutantur. Assumant hunc scriptorem in manus, eumque publice interpretentur. Multa passim anno abunt a nobis prætermissa: non pauca etiam puto a nobis errata. Ea omnia si paulo æquiore animo, atque ita, vti liberaliter homines institutos decet, collegerint, habebunt vnde meliorem huius eruditi poetæ editionem efficere possint. Hac ratione nullam iniuriam mihi factum iri censebo, si eos auctores, quos ego emendare conatus sim, recensere voluerint. Neque longe petenda erit occasio reprehendendi. In eo ipso campo erunt in quo desudent, licet. Præterea eruditos, ac probos Gymnasiorum moderatores magnopere rogatos velim, vt, quoties sphæræ elementa iuuentutem suam docere voluerint, non aliunde petant, quam ex primo libro poetæ nostri. Vnde enim melius haurire possunt, quam ex disertissimo poeta, qui nihil, quod ad rem facit, omisit? Quamuis autem ipsi per se satis sapiunt, neque me opus habent monitore: tamen oro illos, vt hæc me suadentem æquo animo ferant. Præterea vt meminerint, ne, cum sphæram Mundi siue ex Manilio, siue ex alio auctore legerint, alium circulum Arcticum a Manliano, hoc est, a vero circulo Arctico pueris proponant: atque cerro sciant Sacrobosco, aut nescio quem alium minimo vetustiorem huius

vulga-

vulgati atque inutilis Arctici auctorem esse: idque accidisse vel Græcarum literarum ignoratione, vel quia aliud consilium, quod ignoramus sequuti sunt. Quicquid autem eos inducere, vt ita statuerent, potuit, certe studiosos sphæræ hac in re non multum iuuerunt. Hoc iterum dico, me in hac quoque re me audacem ac innouatorem, vt Itali illi graues, & acuti viri, vocent. Atqui audacior, atque impudentior censeri non debeo, qui verum Arcticum intermortuum excitarim, quam illi, qui eum penitus sustulerunt, vt ineptum, ac nulli vsus alium sufficerent. Quod tute, doctissime Stadi, qui hæc & prius & melius me ipso scis, non negabis. Ideo te huic rei defensorem paro. Totum enim humanitati, eruditioni, æquanimitati tuæ me deuoueo: præsertim vt mihi præsto sis, si quando doctissimorum magistrorum eiusmodi susurri aures tuas verberabunt. Quis enim hodie magis oportunus iniuriæ viuit, quam ego? Quem vero magis idoneum defensorem, quam te ipsum, nancisci possum? Quare per ego te amicitiam nostram, perque tuum excellentissimum iudicium oro, obtestorque, noli committere, vt negligas me famelicosis dentibus ἕλωρ καὶ κῦρμα γενέσθαι: præsertim cum adeo ieiuni sint homines, vt ne a pelle quidem canina abstinere posse videantur. Hunc librum ego iudicio tuo subieci. Quicquid in eo dignum animaduersione visum fuerit, eius, vt amice

moneas me: quod immerito ab aliis carpetur, id vti defendas etiam atque etiam oro. Vale pridie Kalend. Augusti CIↃ IↃ. LXXIX.

Tuffolio Rupipozzorum ad flumen Viennam in agro Pictauiensi.

* *
*

IOSE-

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI

Epistola adversus Barbarum, inceptum, & indoctum poema Insulani patronici lientis Lucani.

AD MAMERTVM PATISSONEM.

Decies iterum vrges me, & libros meos septem de emendatione temporũ flagitas: quod opus iam affectum propediem diligentiam tuam exspectat. Itaque adeo totus nunc sum in describendo. sed impetum meum sesquihora repressit Apologia homuncionis nescio cuius, quam ad me misisti. Dii magni, horribilem & sacrum libellum, Quem tu scilicet ad tuum sodalem misisti. Multi in eo pistrino alti meum nomen arroserunt. nemo tamen hactenus exstitit, cui respondere minus interfit & existimationis & loci mei. Si mihi suspendium mandandum erat, dolendum sane, quod non ἀπ' ἀξίου ξύλου. Hoc meum fatum est, & quidem non infelix. Inimicum non habeo nisi imperitum. Et commodum iste sese offert, incertum risu dignior an misericordia. Aliquis mirarer si hic solus sobrius ad Remp. turbandam accederet. Fateor equidem poema indignum esse, quod alicuius serias horas moretur. Respondendum tamen est, non propter poema, quo deterius aliud esse non potest: neq;

propter poetam, quē vincere, vinci est, & obliuisci sui ipsius: sed adeo propter illum, qui illi dictauit Epicyclos, & alia nugatoria, quorum nunquam Lucano in mentem venit. item propter alios, qui adeo summum in Astronomia Lucanum suum faciunt, vt etiam eum de iis rebus locutum esse existiment, quæ longo post eum tempore a posteris inuentæ fuerunt, vt semper ponendum est sæcula proficere: quod in Astronomia quotidie experimur. Omitto interea miseram, scabiosam, ac febriculosam poesim, barbarismis, solœcismis & fœdis erroribus litam. Omitto primam syllabam in LITERA correptam. Eandem in THEMA & COLVRO productam. item illud *appendere* SYENI. Quid, malum, hoc SYENI? Adeone oblitus est Sulpitii sui Verulani, qui Lucano commēntarios, pueris declinationes nominum confecit? En quo apparatu doctrinæ, quibus copiis, qua amatura instructi, quod genus hominum, qui heroes in nos signa mouēnt, & classicum canunt? An parum refert, vtrum nos conficiat, poesis, an poeta? Poeta conuiciis & impudentia agit, poesis solœcismis & barbarismis. Et cur non vapulat illo versu? *Recta æquatorem partitur in* ANGVLA? Quis angulus satis illi erit, quæ latebra vt a flagris Grammaticorum se tueatur, qui masculinum genus in neutrum conuertit? Nihilominus sibi consuluit, cum ait Cancrum & Capricornum proscindi circulo Coluro. Quæro cur Colurus Cancrum proscindit, a quo nullam iniuriam

acce-

accepit, neque ipse professus est. Sculponeas ego vero a Lucanio ad eum transfero, qui secundam syllabam in illis corripuit. Neque caussæ est, cur sculponeæ ipsæ de poeta non quotantur, a quo vno tempore mutilantur. Ebo, Pico quis te docuit verba nostra conari? Prius loqui discere debebas, quam scribere: prius grammaticari, quam poetari. Hercules tuam fidem! Quod portentum audio. *Prouidus hoc populos, quæque & sanguinis vltro Contemtrix genus horrendos seruarat in vsus.* CONTEMTRIX GENVS? Cum aliud non possimus, exorandi sunt manes Sulpitii Verulani, qui in hunc mirificum poetam commentarios conficiat, vt antea idem in Lucanum fecit. Nam sane quid sit contemtrix genus non intelligo. Putat stolidum ingenium victrix genus dici, vt victricia arma. O mirum poetastri acumen. Plane hoc verbo confecit me. Quid illud? CÆCVTIENS VIDEAT? Iupiter, vt pereat quantum Grammaticorum canonum est, qui me hactenus docuerũt secundam syllabam in CÆCVTIRE produci. quin male sit iis poetis antiquis, a quibus didici. Quid ergo? In ædibus istius poetæ, quantum video, non mures ferrum, sed poeta syllabas arrodit. Sane ita est: iste poetaster nihil veri in tota illa declamatione locutus est, nisi cum se anserem inter olores posuit. Quem patronum suum ac numẽ ac Deum Lucanum profitetur, eum poetaster nouo colore cliẽtem suum vocat. Deinde rogat, vt auertat hõtis honorem pusillis officiis. Dispeream,

si scit; quæ differentia sit inter Auertat, & Aduertat. Neque vero putes, mi Patisso, tantum mihi otii superesse, vt adeo ineptum poema totum percurrere licuerit. Inuitus horã, aut paulo plus, illi impendi, cuius temporis iacturam grauiter fero, cum horam melius collocare possem. Inuitus, inquam, hoc feci, ne similium nugonum audaciæ fenestrã aperire videamur, si hoc impune illum ferre sinamus. Est enim genus hominum, qui me lucem afferre tenebris suis moleste ferunt. Sunt alii, qui ne minima quidem suspicione perstricti, si quid mihi forte inter scribendum excidit, quod eorum conscium inscitiam pertentet, ilicet directe a me illum ictum in se destinatum putant: quos tantum abest, vt vetbo læsisse velim, vt ne natos quidem scirem. Missam igitur facio ridiculam illam poesim, in qua nec verbum vnum emendatum reperis, aut apte collocatum. Venio ad caput ipsum, hoc est ad nuperclientem, nunc vero patronum. Hoc enim me docent illa: *Te ne ego quem semper vel magni numinis instar Suspexi, cuius nunc prisci oblitus.* Coluit Lucanum poetaster, nunc Lucanus poetastrum, a quo defenditur. Salue Patroni client Lucani. Primum a te quæro, quod nam graue meum peccatum est, quod magnum crimen maiestatis, si præcipitem calorem Lucani castigaui, & eius inscitiam in Astronomicis aperui? Vtrum reipublicæ interest, pueris & adolescentibus errores detegere, a quibus caueant, an potius veteres scriptores peccantes laudare, vt eos imitentur pueri?

Tantine

Tantine est Lucanus? Tu qui, neque quid sit poesis, quod quidem aperte clamant tua carmina: neque quid astronomia, nisi quod quidam tibi dictauit, tu inquã, nos docebis & poesim Lucani, & Astronomiam? qui si propius totum opus Lucani putare volueris, non solum nullam Astronomiæ peritiam in eo homine reperies, sed & importune semper interiectam rerum cœlestium mentionem, & leuem, vanum & ostẽtatorem illum iuuenem fuisse deprehendes. At quibus hæc canimus? Hominibus non solum poetices, sed & syllabarum ignaris. An nescis iudicium, quod Critici non recentiores illi quidem, sed æquales illorum temporum, de Lucano fecerunt? *Sunt quidam, qui me clamant non esse poetam.* Audiamus nunc Patroniclientem & absoluamus eum. Nam egomet me moror. Primum obiicit me falso in Lucano notasse perpetuã μεσημβρίαν sub tropico ab eo assignari. O hominem otio abundantem. Tantum abest, vt Lucanus hoc nõ crediderit, vt hæc omnium veterum fuerit opinio, antequam Eratosthenes, & post eum Hipparchus Astronomiæ sanctiora adyta reserassent. Tam oscitanter legit commentarios nostros, in quibus non solum meridiem semper sub Tropicis, sed etiam æternum diem collocari a veteribus diximus. An non sub Capricorno longissimam diem ponit Manilius? *sed finibus illis, Quos super incubuit, longa stãt tempora nocte.* Quod Ausonius de Æthiopibus loquens & de nostro Tropico clarius explicauit ex veterum opinione: *Semper vbi æterna*

vertigine clara nitet lux. Quid contra hæc audes hi scere? in ipsis incunabulis Astronomiæ negas hanc veterum Græcorum opinionem fuisse, Eudoxi, Metonis, Cleostrati, & Euctemonis? Sane Lucanum culpa libero, quod cũ illis veteribus ita sentiat: sed tamen quo modo eum defendam non video, qui Eudoxum & Metonem potius, quam Hipparchum sequutus sit. quod Manilium nostrum fecisse manifestũ est. Quam grauiter homines etiam docti τῇ ἀνισοφωνίᾳ peccant, vt cum ea maioribus attribuunt, quæ posterorum inuenta sunt. Quidam vir magni in Mathematicis nominis, qui omnium famæ insultare solebat, antequam Manilius meus in publicum prodiret, tanquam indoctum doceret, & cœco viam præiret, familiariter in quadam epistola ad me scripsit, cauerem, si sapiam, ne in quodam loco Manilii aliter Signa acciperem quam quomodo Abacus Astronomicus accipit, quæ vocantur Physica graduum sexagenum scilicet. versus Manilii: *Nam quantum a terris atque æquore signa recedunt, Tantum bina patent.* Miratus sum vnicum Astronomiæ magistrum fugisse non solum hic de Physicis signis non agi, cum de dimẽsione vniuersi per bina signa agatur: sed etiam Physicorum signorum & nomẽ & inuentum paulo esse antiquius temporibus Alfonsini, aut fortasse æquale illorum temporum. Adeo summi viri ἀνισοφωνίᾳ multa peccare solent. Quas turbas cõcitauimus demonstratione circuli Arctici, cuius ratio ab antiquis bene tradita, a proauis nostris male

conce-

concepta, eas in animis hominum radices egit, vt eam conuellere idem fuerit, atq; animos eorum extinguere? Quam multos offendit inopinatum hoc atque à recepta opinione tam remotum iudicium nostrum? Diceres tumultum Gallicum Romæ nunciari. Ita bellicum spirabant animi etiã doctorum hominum. Sed magnam eorum partem longa dies docuit patere rationi. Sequitur ineptissima defensio, qua NVSQVAM vult legi in Lucano, non NVNQVAM. quasi ex eo melior fiat conditio Lucani; qui perpetuum epitheton atribuit Meroæ, ἄσκιον. Nam id est, nunquam vmbras flectens, aut nusquam vmbras flectens. vtro enim modo legas idem est. Vtrumque reddit epitheton perpetuum ἄσκιον, quod ille attribuit Syenæi. Idque ante nos Macrobius reprehenderat in Lucano. vt pateat horum manifesta inscitia, an vaecordia, qui sola Sphæra Sacroboschi, aut vulgari Theoria planetarũ instructi putant se veterum scripta explicare posse. Atqui sciat non solum poetaster patronus eius, sed etiam ille, qui illi febriculosas illas animaduersiones astronomicas dictauit, veterum eorum hanc opinionem fuisse sub Capricorno & Cancro nusquam, ac nullo anni tempore vmbram iaci. Quod nõ solum ita esse crediderũt, sed etiã hoc probat alia eorum opinio, qua perpetuam lucẽ sub solstitio ponebant. Frustra enim putat Lucanum suũ de die solstitii intelligere, in cuius meridie nullam vmbram iaci ratio docet, puteumq; eius experimenti gratia factum totum illuminari, cum

Lucanus in transcursu iniecta mentione Meroes, eam ἄσκιον appellauerit. Quod si intelligit tantum de solstitio, quare sub Leone dixisset nullam vmbram iaci, si hoc vno tantum die solstitii, accidere certum est? Non possum satis mirari hominem ita imprudēter ac temere in cassas inexplicabiles errorum se induentem. Nam si Lucanus, vt ipse vult, tantum intellexisset Meroen solo solstitii die ἄσκιον fieri: ergo sub Leone non esset ἄσκιος, tāto interuallo a principio Cancri ad Leonem interiecto. Non est mihi in manibus codex Lucani. memoriter ea depromenda fuerunt, quæ scribo. Non intelligo locum Lucani, *quæ quamuis arbore nulla Frondeat*: nisi legatur, *arbore multa*. Quamuis nemorosa est, tamen, inquit, est ἄσκιος sub Leone. Quis tam Lucani inepte fautor est, vt non intelligat eum cum veteribus perpetuam lucem sub Cancro, & Leone: item per tot dies nullas vmbras assignare Syenæ? Quæ hæc est inscitia, velle nos docere non solum qui dicat, sed etiam quid sentiat Lucanus, cum ex verbis eius sententia satis eliciatur. Docet deinde nos rē nouam & ignotam hactenus, quid sit solstitium: & quo modo fiat: quasi a poetastris hoc primum discere incipiamus. & adeo pergit in ἀδηλοζίᾳ sua, solstitium καταχρηστικῶς dici: cum re vera Sol non stet. Atqui, o patrone & cliens Lucani, necesse est veteres putasse Solem stare, qui hoc nomen ei loco Solis fecerint, quod verissimum est. Putarunt enim Eudoxus, & illi veteres per integrum signum Solem stare, quod nos in Antisciis Manilii

nilii ostendimus. Vnde Manilius de bruma dixit: *Statque vno Natura loco.* At Lucanus tuus non per vnum, sed per duo dodecatemoria id putauit fieri. Propterea non solum solstitium sub Cancro & Leone ponit, sed Cancrum Leoni ob eam rem miscet, cuius caussam tu ignoras. Quod vero clamat nos Meroen cũ Syene confundere, neque ille, neque is, qui hæc illi dictauit, nos docebunt, quid sit Syene, quid Meroe: quantum denique inter vtramque interiectum sit interuallum. Nam neque hoc modo Lucano melius est. Qui enim nusquam flectere vmbras Syenen dixit, necesse est, vt remotiori loco, Meroæ idem tribuat. Hæc defensio non est vnius assis. At quantum scuticarum satis erit illi, cum me ferre non potest, quod dixerim Lucanum putasse Signa ad Solem moueri? Doceat me, quid sibi volunt illa? *Hunc vbi pars cœli tenuit.* Ad Grammaticum tribunal se vocamus, inquit. Quid ni vocemus hominẽ, qui prima elementa linguæ Latinæ ignorat? Ita sane eo illum voco, vbi cum barbarissimis ac solœcissimis suis vapulabit. Ait, nihil referre vtrum Cancer teneat Planetam, an Planeta Cancrum. Id vero nos negamus: atque pernegamus aliter Latinos loqui quam hoc modo. Vbi Sol Principium Arietis tenet, tunc æquinoctium conficitur. Ouidius: *Aut plus, aut medium Sole tenente diem.* Recte. Non enim, o patronicliens, o poetaster, ὁ σκληρὸς, non inquam dicimus, meridies tenet solem, sed sol meridiem. Et Tenere hac notione est verbum motus, vt Grammatici loquuntur

Sic dixit Liuius, Tenere portum, de naue quæ ad portum iter dirigebat. Quid faciemus istis Romulis, qui Grammaticos contemnũt, & tamen nobis loquendi canones præscribunt? Magnam rẽ feceris, si Lucanum tuum hinc extricaueris. Hæc fuit opinio veterũ illorum, Eudoxi, Metonis, Euctemonis, & aliorũ, vt scilicet non solum circulos Tropicos ad Solem promoueri existimarent, sed etiam ipsa ἀπλανῆ omnia: & certis periodis omnia circuire ad Solem putabant, inepto & puerili iudicio. Periodi autẽ definiebantur, quando Lunæ & Solis motuum ἀποκατάστασις fieret, hoc est, quando Luna ad idẽ punctum Solis redibat, a quo profecta erat ab initio, vt fit in enneadecaeteride Lunari. Hoc interuallo putabant omnia astra in locum suum redire non tantum errantia, sed etiam inerrantia. Quia sententia nihil potest puerilius dici. Atque hæc fuit opinio Eudoxi, cuius ἔννοιαν versibus exponens Aratus, & volens ostendere Solem omnium inerrantium esse ἐπιτροχὴν aut oriendo aut occidendo, addit:

γινώσκεις τάδε καὶ σύ, τὰ δὲ συμπαίδεται ἤδη
ἐννεακαίδεκα κύκλα φαεσφόρε ἠελίοιο.

Nosti, inquit, & tu ad Solẽ omnia ἀπλανῆ dirigi. Nam vulgata satis est ἐννεακαιδεκαετηρὶς Metonica. Hæc ille dixit disputaturus περὶ ἀπλανῶν ἀνατολῆς καὶ δύσεως, in quibus explicandis nihil agit Theo. Quin apertius in fragmẽtis Achillis Statii hæc explicantur, in quibus manifesto ἀποκατάστασιν omnium inerrantium fieri dicit interuallo aut octaeteridis lunaris, aut enneadecaeteridis.

ceridis. Sed Auienus Arati ἐκφράσεις ita clare hæc canit, vt per illum poetastris omnibus mutis esse liceat:

Non ego nunc longo redeuntia sidera motu
In priscas memorem sedes. Habet ista priorum
Pagina, & incerta rerum ratione feruntur.

Videamus quanta sit illa periodus:

Nam quæ solem hyberna nouẽ putat æthere volui,
Vt spatium Lunæ redeat, vetus Harpalus, ipsa
Otius in sedes, momentaque prisca reducit.

Veteres putarunt in 99. syzygiis, qui sunt dies 2924. Lunam ab eodẽ puncto Solis profectam ad idem punctum rediisse, quam octaeterida vocarunt: cuius auctor Harpalus, vt fusè a nobis libro secundo de emendatione temporũ explicatur. In eo etiã spatio credidit vetustas, longo redeũtia sidera motu in priscas sedes redire. Sed Auienus improbata Harpali octaeteride, ait Metonis enneadecaeterida receptã in eius locũ fuisse, eamq; esse verũ spatiũ ἀποκαταστάσεως ἀφλαστῶν.

Illius ad numeros prolixa decennia rursum
Adiecisse Meton Cecropea dicitur arte.

& quæ sequuntur. Quemadmodum Aratum Eudoxi, Auienum Arati interpretem tibi dedi, ita etiam vtriusque alium interpretem Ciceronem dabo, cui, si sapis, non præferes Lucanum tuum. Is ita scribit in VI. de Rep. apud Macrob. *Namque vt olim deficere Sol hominibus, exstinguiq; visus est, cum Romuli animus hæc ipsa in templa penetrauit: ita quandoq; eadem parte Sol, eodemque tempore iterum defecerit: tum signis omnibus ad idem principium, stellisq; reuocatis expletum*

annum habeto. hæc intelligo de anno magno enneadecaeterico, quo vertente sæpe referuntur eorundem siderum defectiones, vt anno superiore 1581. Iulii 15. Luna defecit cyclo Lunæ quinto. Eadem die, eodem cyclo idem sidus defecerat anno dominico 1562. Vides igitur veterum opinionem fuisse, signa ad idē punctum, hoc est, ad Solem referri enneadecaeteride vertente. An non clare Cicero dicit signa omnia ad idem principium, stellasque omnes reuocari? & tamen Cicero non enneadecaetericum annum intelligit, sed adeo magnum, vt vix eius partem confectam putet vicesimam. Manilius quoque in genitura Metonis, postquam dixisset, eum, qui sub eodem themate nascetur, summū Astronomum fore, adiicit: *Cœlumq; nouum uersabit in orbem.* Hoc est, excogitabit nouam periodum παντὸς, & nouam conuersionem cœli: quasi eo omnium siderum ἀποκαταστάσεις referantur, quo Luna & Sol eidem puncto restituentur. Quis hæc negauerit absurda esse, puerilia, & nugatoria? Plus dicam. Non solum illi veteres hac opinione imbuti fuerunt, sed etiam quædam tabes & cōtagio eius mali ad principem Astronomiæ Hipparchum, atque ab eo ad Ptolemæum permanauit. Putarunt illi summi ac prope diuini viri, quoties Lunæ rationes cum Sole pariarent, ex eo definiendam esse anni veri, ac Tropici quantitatem. Hipparchus vero censuit in 304. annis illam præcisam rationem motus vtriusque sideris fieri. Iidem anni Iuliani sunt dies 111036. atque 111035. tantum

ad eam

ad eam ἀποκατάστασιν necessarios esse arbitratus est. Itaque 300. annos, neglectis illis 4. appendicibus, in quantitatem vnius diei diuisit, ex qua diuisione prodiit differentia 300. annorum Iulianorum, & totidem Lunarium, scrup. 4'. 48''. quæ de modo anni Iuliani 365. ¼. detracta relinquit modũ anni Hipparchici dierum 365. hor. 5. 55'. 12''. Hunc verum tropicum annum putauit & Hipparchus & Ptolemæus ipse: quæ quantitas nihil aliud est, quam annus Iulianus deminutus nonadecima parte differentiæ enneadecaeteridis Iulianæ, & enneadecaeteridis Lunaris. Atqui cum rationes illius anni collectæ sint ex differentia Solis & Lunæ, Ptolemæus cũ Hipparcho non dubitauit pronuntiare eum verum esse annum Tropicum, quasi Sol ad Lunam, non Luna ad Solem dirigatur. Nostri Astronomi, qui toties Ptolemæum peruolutarũt, quod pace eorum dixerim, nunquam animaduerterunt vnde natus esset ille annus Tropicus Ptolemæi. Nos vero, qui primi hanc rem cum aliis innumeris eruimus, eã fusius in commentariis nostris, de emendatione temporum explicamus. Quare, o bone vir, non est quod Lucanum tuũ in manifesta culpa post veteres deprehensum defendas, quod circulos ad planetas promoueri dixerit, cum Aratus, Eudoxus, & alii inerrantium ἀποκατάστασιν cum sole fieri dixerint, &, quod ineptius est, quo tempore Luna in idem punctum cum Sole restituitur, a quo nouemdecim annis antea profecta erat: cum denique Hipparchus & Ptolemæus Solis ratio-

nes ad Lunam dirigant. Nam plane Cicero in loco a nobis supra producto, omnia signa & stellas ad punctum Solis, & quidem eclipticum reuocat, vnde ea profecta antea dixit. An non plane explicat Lucanum tuum? An obscure loquitur, cum dicit τὰ ἀπλανῆ ad locum solis & eclipticum reuocari? nonne Solem epocham quandam cōstituit inerrantium, & errantium, quod tamen absurdum est? Id tamen neque tu, neq; populares factionis tuæ vnquam οὐδ' ὄναρ, quod aiunt. Pudet pigetque me cum tam imperito homine mihi rē esset, vt defendas deinde, quod dixit mistum Leonis sidus cum Cancro, inepte decania in medium producis: quasi vnquam de illis cogitarit Lucanus: quasi hoc ad rem faciat. Adeo mente captus es, vt non videas quare mistum cum Leone sidus Cancri dixerit. Ait enim sub Leone in illis locis nullam vmbram fieri. si illa loca ἄσκια sunt sub Leone, & sub Cancro, omnino itidem ἄσκια esse necesse est. Vnde vtrumque sidus ideo coniunxit, quod coniunctos effectus habere credidit. Hæc pudet repetere, quia in commentariis attigimus. Imploro nunc fidem omnem hominum, prouoco te quauis sponsione, ni ridicula, & prorsus a te aliena sunt, quæ de motu octauæ sphæræ balbuts. Hinc illæ lacrymæ, hoc est, quod vos, & alios sciolos decepit, qui ea in Manilio, & Lucano rimamini, quæ illis penitus ignota fuerunt. Nam licet Hipparchus primus omnium ex collatione suarum, & Timocharis obseruationum deprehenderit stellas fixas locum

cum mutare, & εἰς τὰ πεπρυμένα progredi: hoc tamen vix receptum sero tandem Ptolemæus in vsum reuocauit, & solidis rationibus illustrauit. Hoc hoc, inquam, vobis imperitis impositum, qui nihil scitis, nisi quod ex trivialibus scriptoribus didicistis, neque Ptolemæum accurate legistis. Ecce alio plumbeo pugione nos jugulas. Negas *varii mutator circulus anni* dictum de Tropico. exspecto quam mox dicas Lucanum Græce non Latine scripsisse. Ecce manifestus es hostis veri. *mutator circulus*, ô indoctissime, est περιφερειακὸς & τροπικοῦ. Mutator nonne ad verbum est τροπικός? Atqui est Colurus. Esto. Iam longe stolidiorem facis poetam tuum, quam antea. Quomodo enim eadem pars cœli simul potest esse, vbi colurus Capricorni & Cancrum secat? Quid hoc monstrum verborum est? An hoc modo te poetæ tuo recte satisfeciisse putas? Hæc tu solue, & eris mihi magnus Apollo. Itane Mercurius potest esse simul in eadem parte Capricorni & Cancri, aut si mauis, pars cœli, quæ Mercurium tenet, vt verbis tui poetæ loquar? Gratum vero est, quod συζυγιὰς planetarum negas a Sole fieri. Tamen hic pertinacia latebram quærit, & epicyclos, quos nunquam Lucanus nouit in defensionem paras. Nunquam hodie effugies, veniam quocunque vocaris. Obsecro vos, si epicycli sunt causa stationum, quid stationes ad Solem? Quam bene hæc Lucanum defendunt, ipse poetaster viderit. sed, quod toties dixi, imperitia antiquitatis hominem

decepit. Duo in affectibus Planetarum considerantur, magnitudo & stationes. Affectus voco, qui tamen nulli sunt sed potius patitur visus noster. Quod nunc maiores, nunc minores planetæ videantur, in caussa sunt ἁψῖδες ἔκκεντροι, ἀπόγειον, περίγειον. Quod stare videātur, in caussa sunt epicycli. Ex his veteres, & Plinius quidē solam apsidem agnoscunt. Epicyclum autem ignorarunt omnino, sed Solis vi planetas progredi existimabāt, & vapore repercussos regredi. Plinius de stationibus stellarum: *Percussæ in qua diximus parte & triangulo Solis radio inhibentur rectum agere cursum, & ignea vi leuantur in sublime. Hoc vno protinus intelligi potest visu nostro: ideoque existimantur stare. vnde & nomen accepit statio. Progreditur deinde eiusdem radii violentia, & retroire cogit vapor repercussas.* & infra: *Tantum interest, subeantur radii, an superueniant.* An non diserte Lucani versum interpretatur, *cursusque vagos statione moratur?* Sed & clarius de retrogradatione loquens: *Tanta est natura varietas sed ratio euidens. Nam quæ in vaporem Solis nituntur, etiam descendunt ægre.* Tantum abest, vt vllo epicyclorum præsidio muniti ad hāc θεωρίαν se conferrēt, vt Plinius non nisi ex sententia veterum dixerit ex vaporis vi stellas repercuti. Nam multis seculis ante eum Anaximenes dixerat totidem verbis, sed Græce, ὑπὸ πεπυκνωμένου ἀέρος καὶ ἀντιτύπου ἐξωθοῦσθαι τὰ ἄστρα. Quid aliud Plinii verba volunt? *Retroire cogit vapor repercussas.* Eat igitur, & epicyclos suos in aliud tempus differat: cum Lucano cōmodiot inter-

interpres non sit, quam Plinius ipse. Sequitur postremo pro coronide exclamatio hominis neque boni neque mentis compotis, cum eiusmodi versibus tam barbaris & ineptis, vt mirer saccos litium ei defuisse, quibus potius daret operam, quam tantum temporis in nugis perderet. Vnum fateor, neque negabo deceptum me esse codice meo, qui Germanos duces habet, nō Carmanos. Fateor, inquam, eam esse veram lectionem. & quamuis mirarer tam longe dissitos populos a Lucano simul poni, hoc tamen facile tolerabā in eo, qui & Tropicos, & Cancrum cum Leone miscet. Oretum gens est in India, vicina Carmaniæ, in qua septentrio quindecim tantum noctibus apparet, vt ait Plinius. & hoc est, quod perperam interpretatum me fateor in Lucano, deceptum vtique voce GERMANOS. Quod autem in editione non Maniliana LVCE *Bootes* editum sit, pro NOCTE: is sane siue est error operarum typographicarum, siue manus meæ properantis, sane non fuit error mentis. quod manifestum facit interpretatio mea. Itaque hic æquiore lectore mihi opus fuit, qui in longis commentariis, in poeta tam mendoso & obscuro interpretando manus lapsum excusaret. quæ ille, qui quid sit tantum auctorem interpretari, nescit, tantum abest, vt excusarit, vt impudenti mendacio dicat de industria me lectionem mutasse. Denique quam ineptus est, cum dicit me barbaricam sphæram cum Græcanica confudisse. Ego primus aperui, quid esset barbarica sphæra. At iste Astronomus dicit me

tam confuisse. Atqui nusquam turpius errauit, quam in hac re, dum putat sphæram Carmaniæ esse sphæram barbaricam, quæ tantum est Ægyptiaca: deinde qui putat sphæram Germanicam esse sphæram Græcanicam. En cum quibus heroibus nobis res est. Nos in secunda editione Manliana bonis & æquis lectoribus satisfaciemus. Neque tam nostri amantes sumus, vt nos reprehendi æquo animo non patiamur, modo ea modestia adhibeatur, quæ & loci & ordinis mei rationem habeat. Nam quos væcordia, aut insana libido præcipites in mea scripta egerit, næilli malo suo discent, quam melius fuisset vngues ab hac scabie contingere. Tu vero, mi Patisso, vbi primum hunc poetastrum videris, si secundam declamationem adornare in animo habet, mone hominem, vti primum omnes Grammaticos consulat, qui se Latine loqui doceant: deinde comparet sibi Marmelianas regulas quantitatis syllabariæ, vt emendatiores versus faciat. Præterea vt ab omni solœcismo, barbarismo, ἀκυρολογίᾳ abstineat. Alioqui malo in latomias iterum, quam tam malum carmen legere. Porro omnes auctores antiquitatis excutiat, vt sciat, qui progressus astronomiæ apud Græcos fuerit, antequam Eratosthenes, Timochares, Hipparchus eam expoliuerunt, ex illorum atque veterum collatis rationibus colligat, quos auctores Manilius & Lucanus legerint. Ita ne Lucano exiguam quidem partem astronomiæ attribuet, non magis mehercule quam Manilio. Præterea si Virgilium

& an-

& antiquiores poetas legerit, vix est, vt medium locum, fortasse ne subsellia quidem Lucano in penetralibus poetices relinquat, vbi tot proceres Heliconis ante eum primas obtinere animaduertet. Hæ sunt leges, quibus auctoratus ad dimicandum non cum eo, qui est homo infimi subsellii, sed cum iis, qui eum ad pestem ante oculos positam præcipitem dederunt, descendam. Interea libros meos de emendatione temporum exspecta quamprimum, si modo otium erit totos describere: qui vtinam iam publicum viderent. Nam sane nihil est, quod antiquius & carius sit mihi in præsentia. Cum enim rancida illa apologia in manus m[illegible] incidit, tum forte librum quartum ad vmbilicum perduxeram. Itaque abiecto pensō quotidiano, statim hanc epistolam eo calore effudi, quo Lucanus versus suos faciebat. Neque enim meliorem scribere per angustias temporis licuit, neq; sane persona hominis, quo cum mihi res est, meliore digna fuit: cuius tamen ineptiis dum respondeo, videor & loci & existimationis meæ oblitus. Ne tamen hoc nomine glorietur. Non enim ei respondeo, sed adolescentibus in futurum cauere volui, ne ab hoc genere semibarbarorum hominum sibi imponi sinant. Quod si duriuscule se acceptum dolet, meminerit hæc ludum iocumque esse, præ vt quas turbas dabo, si iterum simili dementia, stoliditas, vaecordia, aut aliquis genius non bene aduocatus eum in solœcismos & barbarismos impulerit. Neque enim iniuriis agere cum illo volui, quod sane ab

omni vitæ meæ instituto alienum est. probus; integer, bonus per me quidem esto. Indoctum tantum & ineptum vocaui. quod & ipse quidem, si hanc epistolam legerit, & aliquid hominis habet, negare non possit. Neque vnquam posthac poeticæ manus admouebit, quin illius meminerit, ἔρδοι τὶς, ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. neq; prius ad diuinæ Astronomiæ res tractandas sese conferat, quam ego ad soccos litium. Præterea sciat in hoc regno Franciæ omnibus scribendi datam libertatem: paucis autem vere & recte scribendi facultatem. Vale, mi Patisso. Datum prid. Id. April. raptim, & extemplo.

Maledictis si quis certat, audiat male.
Quam quis non præstat, ne exigat modestiam.

IOSE-

IOSEPHVS SCALIGER
BONAVENTVRÆ IRLANDO
iuueni doctissimo
S.

CVM antea Vertunianus noster ea mihi de te prædicare soleret, quæ mirum amorem tui mihi excitabant, postquam tuas literas accepi, eo mihi illæ iucundiores fuerunt, quo eam voluptatem, quam ex eius solum prædicatione capiebam, auctiorem mihi reddiderunt. Spero autem non tantum voluptatem, sed & fructum nos ex nostra amicitia percepturos. Ea enim est eruditio tua, quantum ex literis tuis humanissimis colligere potui, vt nesciã vtrum maior voluptas, quod præter ætatem doctus es, an fructus, quod tam doctus es, ad me redundare debeat. Ego vero, mi Irlandi, qui & ὀψιμαθὴς sum, & αὐτοδίδακτος, hoc præstabo tantum, vt quam in me non sentio, in te virtutem amplectar ac deosculer: & impendia mea ac sumtus reficiam vberrimis fructib. eruditionis tuæ. Quominus debes exspectare a me quod satisfaciat eruditissimis quæstionibus tuis. Desultores enim sumus, neque diu vestigia nostra eundem locum insistere passi sumus. Quo factum, vt in assiduo corporis motu peregrinatus quoque sit animus. Propterea neque familiares Musarum vestrarum esse possumus, qui semper hospites fuimus, neque Iurisprudentiam tam nouimus

quam amamus. Hoc enim in me tantum potuit illa, vt amores sui & studia mirifica in me excitarit: vt autem amplecti possem, neque per occupationes nostras, neque per tempora licuit. Quia tamen tantum valet apud me oratio tua, vt tibi aliquid negare nefas putem, dicam quod sentio, non vt te docere, sed ne vt non tibi parere videar. In lege. *Qui sella.* De seruitutibus rustic. præd. Ego nullam antiquitatis abstrusam aut reconditam notionem esse arbitror, ac qui actum habet, non licere ei rectam hastam ferre, merito, nempe propter assitas arbores fructiferas, ne scilicet ipsa hasta decutiantur fructus. Lege Colonica inter alia diligenter cauebatur ne minimo ictu perticæ arbor quateretur. Quanto magis in istis seruitutibus quæ ea gratia institutæ sunt, vt ei, cui debentur, vtiles sint, non ei, qui debet, inconcilient? Hastam rectam ferre solitos illos veteres, neque aliter, vel ipsa Romana marmora docere possunt: in quibus ita expressi sunt milites eo habitu gestantium hastam rectam, sed & Poetarum loci indicant. Viam latiorem quam Actum fuisse, & verum est, neque tu ignoras. Itaque in ea hastam rectam gestari sine vlla fructuum læsione palam est. Arbores enim finales assitæ non videntur ita posse in Viam late ramos agere, vt hastam rectam prætereuntis metuere possint. At in Actu angusto vel se contingere possunt, nexis, vt inquit Poeta, per mutua vincula ramis, quod fit propter angustiam spatii inter vtrasque arbores interiecti. In Actu igitur iubere

hastam

hastam demittere, quia hasta nihil pertinet ad iter, vel ad Actum. Hoc enim volunt verba Iurisconsulti: neque eundi, neque agendi gratia id fieri. & hæc est vera mens Iurisconsulti. In lege *silua cædua*. De verborum significat. Elegantissime *terram* vocat *integram*, in qua nondum pecus iniicitur, neque depasta est a grege. Ita enim loquebantur veteres. Lucretius eodem modo *fontes* vocat *integros* de quibus nemo bibit *Iuuat integros accedere fontes &c.* Quæ enim sequuntur non tantum explicant mentem Lucretii, quam illustrant locum Iurisconsulti. Extremum illud ponis in Epistola tua, de Iurisdictione Prætoris. Non video quomodo ex celebratissima lege *Lecta D. de rebus creditis*, possit elici Præfectum prætorio iudicasse. At esto iudicasse: Nihil habent cognatum neque commune Prætor & Præfectus Prætorio. Itaque Prætorem etiam illis temporibus iudicium dedisse, non autem iudicasse, certum est. Iurisdictio Prætoris non continetur Edicto perpetuo. Quid ait caput edicti? *Iudicio dabo*, nunquam ait Iudicabo, & sane quandiu Prætor in vrbe fuit, veteri more ius dixit. Postquam obsoleuit potestas Prætoris, & in desuetudinem abiit, nomen autem solum Prætoris mansit, tunc vt magistratus ille nulli rei, ita iurisdictio non vnius assis fuit. Quod accidit statim post tempora Constantini. Nota est tibi Nouella Iustiniani de Prætore Vigilum; ex ea potes expiscari quid olim fuit Prætor, quid postea esse desiit. Itaque quandiu fuit

Iurisdictio prætoris, tandiu more veteri fuit, hoc est, vt ius diceret, & non vt iudicaret. Specta formulam: Dabo, dicam, addicã. Post tempora Constantini sine dubio omnis & Iurisdictio & potestas ademta Prætori, nomen relictum. Neq; mirum. Vt enim Cæsares, qui Rempublicam inuaserunt, ne penitus popularem statum πλεονεξία sua expulisse viderentur, Prouincias cum Populo partiti sunt, & erant quædam Prouinciæ Populi Romani, quædam Cæsaris, (hoc vulgatissimum est) sic in vrbe Magistratum Populi Romani reliquerunt, hoc est, Prætorem; sed alium sibi nouum crearunt, vt Præfectum Prætorio. Est igitur Magistratus Populi, Prætor: Cæsaris, Præfectus Prætorio, & sane ita est: In dies creuit Cæsarum Tyrannis, ita populi maiestas cõtra imminuta. donec Cæsaris magistratus, popularem magistratum possessione eiecit; qui nullis postea vindiciis in veterem possessionem restitui potuit. Itaque Prætoris tantum nomen remansit, nihilque Prætor retinuit de prisca Maiestate; quam vt ludos ederet, missilia ad populum spargeret: quas ὑπαθείας nouę Constitutiones & Historia Constantinopolitana vocant. Itaque iis temporibus id vnum curabat Prætor, quomodo scilicet multa prodigeret de suo, & iactura rei familiaris, Populi beneuolentiã promereretur. infinita eius rei exemplã colligere potes ex 11. Epistolarum Q. Symmachi v. c. Præfecti vrbi: qui insaniuit sumtibus & profusionibus in Prætura filii. Ad quam rem adferam tibi verba ex historico

Olym-

Olympiodoro nondum edito, ita, vt olim ex Codice descripsimus: Πρόβος ὁ παῖς ἀλυπίου τελέσας, τὴν οἰκείαν πραιτοῦραν κατὰ τὸν καιρὸν τῆς Ἰωάννου τυραννίδος δώδεκα κεντηνάρια χρυσοῦ ἀνάλωσε. Σύμμαχος δὲ ὁ λογογράφος συγκλητικὸς ὢν τῶν μετρίων πρινὴ τὴν πόλιν ἀλῶναι τοῦ παιδὸς Συμμάχου πραιτοῦραν τελοῦντος εἴκοσι κεντηνάρια ἐδαπάνησε, ἔπτα δὲ ἡμέρας οἱ πράτωρες τὰς πανηγύρεις ἐτέλουν. In quibus verbis etiam vides multa quæ pertinent ad δαπάνας καὶ ἀναλώματα magistratuum: de quibus sæpius in Nouellis. Sed quo prouectus sum? γλαῦκ' εἰς ἀθήνας. Velim hoc mihi affirmanti credas, mi Irlande, dum memini tui, me mei oblitum esse. Vale VIII. Kalen. Ianuar. CIↃ. IↃ. LXXIIII.

IOSEPHVS SCALIGER R. D. suo I. C. iuueni doctissimo S.

Ego vero, mi D. multis de caussis te amo atque etiam diligo: Primum quia & virtute summa es & eruditione atq; humanitate literarum, præsertim iuris scientia instructissimus. Deinde quia optimo patre Iurisconsulto ac populari meo natus es. Itaque si nulla tua priuata caussa me moueret, vt te amarem, hoc tamen & patri tuo propter probitatem & patriam meam, quæ mihi cum patre tuo communis est, deberem. Nunc præter has caussas accessit virtus tua atq; eruditio: ita vt sit duplex merito caussa quæ ad te amandum me impulerit. Quare vnum quantum potero sedulo curabo ne te tui de me iudi-

cii pœniteat, neq; me iam Petauii nuper tecum amicitiæ institutæ. Quod quæris de locis Cæsaris, laudo industriam docti illius tui Fabri, quem dicis *Versis* pro *Græcis*, legisse. Tamen de eo nos propediem sententiam nostram, in nostris ad Cæsarem notis, dicemus. Hoc vnum mihi condonabis, vt te remittam ad illum locum, quem videbis aliquando in Commentariis nostris. De voce Ionvm in Plinio, puto recte sensisse Othomanum, atque vtinam ita bene in aliis: minus enim sibi inuidiæ, & nobis laboris quæsiuisset. De Præfectis Prætorio, post tempora, aut iam a temporibus Constantini, certissimũ est quatuor præfectos Prætorii fuisse. Caussa est, quia iam tum imperium non diuisum quidem fuit, vt temporibus Caroli Magni: sed societatem admisit. Itaque Orientale imperium fuit & Occidentale. Ita vides ab illis temporibus nunquam fere Imperatores Romanos sine socio adscito fuisse; Quare in Oriente Præfectos Prætorio habuerunt & in Occidente. Secundus post Imperatorem gradu fuit Præfectus prætorio. Quare habebat eadem officia, quæ & Impp. Hoc ex Notitia Imperii, item ex Constitutionibus, præsertim ex Codice Theodosiano patet. In Oriente sedes imperii fuit Constantinopolis: In Occidente Roma. Ita Constantinopoli, vbi erat Imperator, ibi & Præfectus Prætorio. & Romæ, vbi etiam socius Imperii, ibi & Vicarius Imperatoris, hoc est, præfectus prætorio. Quia tamen neque Constantinopoli, neq; Romæ vnus sufficiebat,

alter

alter in Occidente prætor, alter in Oriente creatus est. Primus igitur in Oriente, Constantinopoli, Secundus, in Illyrico. In Occidente primus Romæ, alter in Galliis, in vrbe Treueris. Ita inuenimus in Oriente Præfectum prætorio Orientis, hoc est, Constantinopoli, qui sub se habebat Asiam, Syriam, Pontum, &c. Præfectum prætorio Illyrici, qui sub se habebat Græciam, Mysias, Daciam & alia. In occidente Præfectum Prætorio Italiæ, hoc est, Romæ, qui sub se habebat Italiam, Histriam, Dalmatiam, Africam. Præfectum Prætorio Galliarum, qui sub se habebat Gallias, Britannias, Hispanias, antequam Hispaniæ regerentur a Proconsule. quod accidit temporibus Gratiani: auctor Seruius Sulpitius. Ausonis poeta fuit Præfectus prætorio Italiæ. Iam Præfectus Prætorio, cum esset eodem gradu, quo hodie sunt proreges, habebat sub se Vicarios. Quid est Vicarius? Est Diœceseos magistratus, hoc est, qui sub se habet totam diœcesim. Quid est diœcesis? est administratio continens sub se multas Metropoles: vt Metropolis continet sub se multas ciuitates. Exemplis adiuuemus rem ipsam. Præfectus prætorio Galliarum habet tres vicarios, Treueritanum, Lugdunensem, Viennensem. Treueritana diœcesis continet sub se Metropoles seu prouincias septem, vtramque Germaniam, vtramque Belgicam, tres in Britannia, Lugdunensis, quinque, nempe quatuor Lugdunenses, & maximam Sequanorum: Viennensis septem, vtramque

Aquitaniam, vtramque Narbonensem. Nouempopulanam, Alpes maritimas & seipsam. Vnusquisque illarum diœcesium magistratus, vt diximus dicitur Vicarius Præfecti Prætorio: quemadmodum Præfectus Prætorio est Imperatoris Vicarius. Sed Eccl. siasticus præsul diœceseos, qui est in eodem gradu cum Vicario, apud Græcos dicitur Patriarcha. Itaque Viennensis Præsul, si fuisset apud Græcos, dictus esset Patriarcha. Hoc reperies in historia Ecclesiastica, vbi reperies in vnaquaque διοικήσει factum fuisse πατειάρχων. Sed Latini nunquam vsi sunt eo nomine. Tantum Viennensis præsul vocauit se Primatem Primatum, hodieque ita præscribit se hoc titulo. Quare? quia sub se habet Primates duos, Primatem Aquitaniæ, & Primatem Narbonensis. Prima Aquitania, Biturigesprima Narbonensis, Prima Aquitania, Biturigesprima Narbonēsis Narbonēses. Lugdunensis qui in Græcia Patriarcha esse potuisset, in Occidente tantum Primas vocatur. sane, quia ipse est primas quatuor prouinciarum. Lugdunum enim est prima Prouincia Lugdunensis. Igitur eodem ordine & gradu Patriarcha, quo & Vicarius Præfectus Imperatoris. Vterq; enim diœceseos est διοικητής: hic ἐν κοσμικοῖς, vt Canones loquuntur: hic, ἐν πνευματικοῖς. Vterq; igitur tam Patriarcha quam Vicarius definitur διοικήσεως nomine. Διοίκησις, vt dixi, cōtinet sub se alias Metropoleis. frustra enim, vt alia plæraque, hodie διοίκησις pro administratione vni ciuitati attributa, cui præficitur Episcopus. Nam

hoc

hoc olim vocabatur πατριαρχία, quod hodie dicitur Episcopatus & diœcesis: sed frustra, vt dixi. Quis nescit in Nouellis Constitutionibus quid sit διάκρισις? præsertim apud Iustinianum. Possem & alia multa & valde vtilia adiicere: sed ὗς ἀθύρων, vt est in prouerbio, & certe ineptus & nugax sum, qui de his apud vos disputare audeo, ego præsertim & iuris Ciuilis & Imperatoriarum Constitutionum ignarus. Sed dum tibi obsequerer, omnem pudorem non abieci quidem, sed amicitiæ nostræ posthabui. Vale 8. Kalend. Ianuar. 1575.

IOSEPHVS SCALIGER IVL. Cæs. Fil. R. D. suo S.

Vtinam ad literas tuas ita rescribere possem, vt cum officium literarum a me requirere non possis, tibi de omnibus tamen, quæ ex me quæris satisfacere possem. Nam in limite Lemouicano sum, vbi non solum librorum sed & bonorum hominum maxima solitudo est. Cum enim ex Pictonibus discederem nihil librorum mecum forte attuli, quo saltem de hac regione, quæ tã ab omni humanitate & literis vasta est, me consolarer, & quod tempus cum hominibus nihili contero, id totum meis mutis magistris darem. Quominus a me aliquid dignum exspectatione tua depromi potest, doctissime D. saltem, vt de omnibus, quæ erudite in Epistola tua proponis, respondere possim. Quod tamen dubitas de Præfecto vrbis, quem ex Nouellis & Symmachi lib. 1. Item Cassiodori lib. 6.

ſupra omne Senatores, etiam ſupra Præfectum Prætorio ſediſſe ait, non mirum. nam temporibus illis ſeneſcentis Imperii ita Iuriſdictionem ſuam tuebantur, hoc eſt, intra centum millia in omni Iuriſdictione ſua. Quare inferior fuit Præfecto vrbi in eius Iuriſdictione, vt Præfectus vrbi inferior illo intra eius Iuriſdictionem. Hoc dico extremis illis temporibus. At temporibus Auſonii Præfectus vrbi caput Senatus erat: non tamen ante Conſulem ſedebat. Nam ſi Conſul rogabat ſententias, ſane infra Præfectum vrbi non ſediſſe neceſſe eſt. At fuit Præfectus Prætorio Italiæ alius a Præfecto vrbis. Auſonius nunquam fuit præfectus vrbis, ſed primum præfectus prætorio Italiæ. Quem magiſtratum neſcio qua calamitate diutius gerere non potuit, ſed, vt inquit ipſe, quaſi fortunam pœnitere videretur, quod diuturnum illum honorem illi conſeruare non potuiſſet, præfecturam Galliarum obtinuit. Itaque ait. Præfectus Galliæ & Libyæ & Latio. Nam & Galliarum & Italiæ præfectus fuit. At Libyæ Præfectus idem cum Italiæ præfecto. quinetiam alibi profitetur ſe ſecundam præfecturam habuiſſe, cum ait, *Præfecturarum titulo tenuere ſecundo.* Secundum titulum præfecturæ vocat Gallias. Ea enim erat Occidentis ſecunda præfectura, vt Italiæ, prima. Quare Alciatus immane quantum hallucinatus eſt in eo verſu interpretando in annotationibus in Cornel. Tacitum. Tu, quia librum non habemus, illum conſules apud Alciatum. Iuſtiniani temporibus

poribus duo tantum primum fuerunt Præfecti prætorio, illi videlicet, qui ante tum a Constantini temporibus erant: hoc est, Præfectus prætorio Illyrici, & Præfectus prætorio Orientis. Nam Occidentem Barbari occupauerant. Sed recepta Africa, ipse nouum addidit Præfectum prætorio: cum antea esset sub Præfecto prætorio Italiæ, & ibi præficeretur Vicarius ab ipso Præfecto prætorio. Nam ita Africa erat sub Præfecto prætorio Italiæ, vt Britannia & Hybernia sub Præfecto prætorio Galliarum. Formula Præfecti prætorio extat apud Cassiodorum libro 6. Sed qualis Præfectus prætorio Italiæ esse potuerit eo tempore, non video. cum pars Italiæ ab ipso Theodorico, pars a Græcis adhuc obtineretur. Itaque an eiusmodi exemplum extet, nunc non memini. De scholis Militiarum, hoc certo scias: quod in artificiis erat collegium, id in militiis fuisse scholam. Schola autem erat proprie corpus militum, quod ad caput certum referebatur. Itaque in Centuria militari erant decem Decuriæ, quæ olim tabernacula dicebantur. Vnaquæque Decuria, quæ ex decem militibus constabat, referebatur ad suum caput, quē Decanum vocabant, aliter autem caput scholæ. Hodie eius rei vestigia extant in Collegiis Ecclesiasticis, seu, vt vocant, Canonicis. Nam decimum collegii vocant alii Decanum, alii caput scholæ. Itaque in tota Prouincia Narbonensi & meliori parte Italiæ decanum vocant *Capischol*, hoc est, caput scholæ. Scholæ igitur ad id

institutæ erant, vt de minimis rebus conuenirent decanum suum. de grauioribus centurionem, de grauissimis Tribunum. Quotiescunq; legeris scholas in Constitutionibus principalibus ne alias præter has, quas diximus, censeas. De quibus abunde omnino scribere possum, si vt iam dixi, libros, quos consulerem, haberem. Scribam alias fusius. Tu hæc interim boni consule. Vale. Malauallæ in limite Lemouicano 4. Non. Febr. 1575.

IOSEPHVS SCALIGER, FRANCISCO VERTVNIANO SVO S.

Accepi protrepticon Puellę a te descriptum, a nobis Græce expressum, quo die me remisit quartana mea. Nam proxima die tentari me commotiuncula senseram, cuius rei tu testis es. Quamuis enim illa ad me non reuertitur, quo solebat comitatu, & pompa, tamen eadem ipsa est. Pridie quam λῆξις mea esset, in venatum aprum cœpimus, atque occidimus. Gratum etiam fuit quod de somnio matris misisti. non tamen mihi prius satis erit factum, nisi ab ipsa matrona præsente præsens rem ipsam scisciari, atque adeo ipsas audire ac reddere voces, potuero. Brugnoli nomen quidem teneo olim mihi a Mureto dictum, sed tamen Epitaphium ipsum, ita vt in Tumulo eius Venetiis conceptum est, ne Muretus quidem ipse fideliter narrare potuit. Quod tam ē dicebat, eiusmodi erat, vt facile agnoscerem diuinitus parenti meo somnium

nium immissum esse, & omnia quæ de illo pater retulit in versu: suos vera esse: ipsum præceptorem principis Benedicti aui mei fuisse, Noricum patria, professione grammaticum, hominem magni nominis. quid vis præterea? Cum leges patris somnium, stupescis certo scio. Ipse de Brugnolo scribit, & Brugnolum istum ignorat. De methodo Græcam linguam discendi Poloni illius amici tui, tantum dicam, vnicuiq; operam suam, industriam, laborem, & quod caput est, voluntatem ipsam esse pro methodo. Non tamen male iudicauit Sarmata ille, qui a minimis ad maxima progrediendum præcipit: Imo & tibi auctor sum, vt illum sequaris. Accepi alteras literas cum Commentario Contenti Pharmacopolæ in Dioscoridem, cuius ego doctrinam, industriam, atque acumen laudo. Non est quod dubitet de emendationibus Plinianis ex capite de Croco. Nam tam veræ sunt quam verum est, quod ipse deprehendit, Robertum Constantinum asinum esse in bonis auctoribus tractandis; Nullius enim ignorantiam infectatus sum: a me ipso enim incipiendum esset: impudentiam tantum ferre non possum: quam si ferrem in Roberto Constantino, mihi contra bellum gerendum esset cum modestia, cum qua mihi semper bene conuenit. Sed non tanti est Constantinus, vt modestiam meam ab eius impudentia superari sinam; hoc dico, quia, vt recte Contentus noster animaduertit, homo ineptissimus ex Plinianis male intellectis bonam sententiam se eruere posse sperauit: Et quod

Plinio ne in somnis quidem in mentem venit, tanquam Pliniaham mercem nobis vendicare conatur. Idem dico de Mathiolo, Amatho Lusitano, & aliis latrantibus caniculis, quibus Ladanum Plinii non bene volet, hoc est, qui Plinium putant λίθον & χιωτὸν confudisse. Vide quę ignorātia esset, imo quod flagitium, nescire vbi ad imperitis libris peccatum est in bono auctore. Plinii de Ladano verba sunt. *Similiter hoc est, ibi fieri tradunt, vt esse œsipum hircorum barbis genibusque villosis adhærens, sed ederæ flore deroso, pastibus matutinis, cum est rorulenta Cyprus.* Hæc sane, ita vti vulgo edita sunt, nihil aliud quam meræ nugæ sunt. Nam Plinius loquitur de Cistho, quæ autē hęc est imprudentia, cum loquetur de Cistho postea de ederæ flore verba facere? Qui Plinium reprehendunt debebant potius aduertere, magis peccare Plinium cū de ederа loquitur, cum tamen institutum eius esset de Cistho loqui, quam si nactus exemplar corruptum λίθον pro χιωτὸν, aut contra χιωτὸν pro λίθον legisset. Tolerabile enim est peccare, vbi habeas, qui præcat errori, quod solet accidere illis, qui in vitiosa exemplaria incidunt. At Iurisconsultus, qui de prædio Mæuii tractat, mox de prædio L. Titii verba facit, ineptissimus est. Ita Plinius cum de Cistho loquitur non potuit de ederæ flore loqui. Quid ergo est? Nempe id quod toties ex me audisti: non omnibus datum esse bonos auctores emendare. Hoc enim vulgo homines aut non audent, quia nesciunt, aut audent, quia impudentes sunt. Sed non hæc

agi-

agimus: non enim declamatores sumus. Aio Plinium pessime hac in parte, vt in multis aliis corruptum esse. Legendum enim, *genibusque villosis inhærens sphærulæ flore deroso*, cuius lectionis vestigia apparent in tiquis Plinianis libris, in quibus legitur, *sphærulæ flore deroso*. Sphærulæ est τὸ σφαίριον pillula, cum Plinius non haberet vocem qua Corymbum exprimeret, sphærulam dixit, vt ante eum Varro: & sane Grammatici Græci, cum κόρυμβος quid sit exponunt, aiunt esse σφαίριον ἄνθων. Eiusmodi corymbos habent ederæ, cisthos, & alia, vt vulgo notum est. Elegantissime igitur Plinius τὸ ἄνθος κορυμβοειδὲς sphærulæ florem vocauit. Sed quia contumaciissima bellua est ignorantia, expugnanda nobis est altero exemplo Pliniano, eoque corrupto ex capite de Coronamentis, verba eruditissimi scriptoris hæc sunt: *vtuntur & & sphærulis & corymbis ederæ flore purpureo.* Eruditus auctor indicat ἐπεξηγητικῶς Græcanico verbo quid intelligat per sphærulam, cum corymbos interpretatur. Sed error manauit ex consuetudine veterum librariorum, qui *Sferulis*, non *sphærulis*, scribebant. Eant igitur isti boni Dioscoridis interpretes Pliniomastiges, & doceant me quomodo ex ferulis coronamenta fiant, vel potius quæ cognatio ferulis cum corymbis ederæ. Quod si me docuerint viros putabo. Sed neque omni ex parte integer est Plinius noster eodem capite de Ladano: *cum est roralenta Cypria.* Sane si mentem Plinii, hoc est, Latinitatem ipsam contemplere, hæ

non vnius assis sunt, si triuiales istos magistros spectes, fortasse erit, cum Cyprus maxime rore abundat. Pulcrum sane commentum. Ita Plinius, non suo sed magistellorum more, loqueretur. Nos contra contendimus illud *Cyprus*, abundare. Expungendum enim omnino. Elegantissima est sententia, roso sphærulæ flore, cum scilicet ipsa sphærula rorulenta est, roris enim illicio florem illum appetunt hirci. Allatrent ergo Plinium docti isti viri, qui tamē belli sibi videntur si quod ipsi ignorant, Plinio imputant. At cui viro? sane tanto, vt non mirum sit, si vulgus illum improbet, cum minime auctor vulgaris sit. Hæc sunt quæ ad defensionem maximi scriptoris contra ineptissimos homines ex tempore depromsimus. Plura enim & meliora tibi & Contento nostro communicassem, si Plinium ipsum cum Theophrasto, ac Dioscoride in manibus habuissem. Sed tantum abest, vt eorum copia mihi sit, vt etiam atramento mutuatitio hæc scripserim. Cbartam etiam cui hæc illeui mutuo accepi. Tu Contento ipsi hæc communicato, & quia eum diligo industriamque eius ac studium maxime ex quibus potero augere volo, mone illum, n si graue est, de mendo alio quod in eodem capite de Ladano hodie in vulgatis codicibus Plinii legitur in his verbis, *itaq; attractis funiculis herbam eam conuolui, atque ita offas fieri.* Quid (malum) sibi volunt ista? attractis funiculis. Qui Latine nesciunt, illa pro arbitrio suo alius aliter interpretatur. Ego certo scio illud, *funiculis*, expungendum

dum esse & legendum: *Itaque a tractis herbam eam conuolui, atque ita offas fieri.* Tractę sunt longę illæ productiones lanæ, in quas scilicet extēditur lana, cum in lanificio netur: quæ Græci κατίγματα vocant. Ab eo Latini in panificio tractas vocant pastillos in longum productos, vt contra offas pastillos in rotundum glomeratos. Auctores Cato, Varro, & Athenæus, qui Latinam vocem τράκτας vsurpauit. Ait igitur Plinius herbam illam prius in minimas tractas componi, deinde ex aliquot tractis in grandiores offas digeri. Hæc ni vera sunt, niue hæc mens Plinii fuit, me qui volet sponsione prouocato. Quare non est, quod Contentus caussam suam testimonio Constantini meliorem, aut deteriorem fieri posse putet. Melius enim faciet, si scriptorem nihili nunquam in testimonium producat; quam si abutatur otio & diligentia sua. Igitur apud Plinium *a tractis*, est post tractas factas, vt Latini loquuntur. Sed hæc non intelligunt isti, qui nostram in emendandis bonis auctoribus diligentiam cauillantur Ego vero maximum ex eorum ignorantia fructum capio; qui videam eos non solum hæc nostra, quæ ipsi impugnant, sed etiam quæ ipsi scire videri volunt, ignorare. Illud quoq; monendi sumus, ne *Cysthon* pro *Cistho* scribamus. Nam κακέφατον est κύθος, significat enim in mulierē eam partem, quæ honeste nominari non potest At Ausonius nostras facetissime lusit in Grammatico, qui lugebat seplasiariam. monet enim vt caueat ne cysthon & cisthon eiusdem odoris pu-

ter. Cum igitur Plinius Cissum, hoc est, Ederam cum Cistho non confuderit, vt apparet ex correctione nostra, non est, quod diutius in eo laboret Contentus, vt de Cissaro, & Cittato testimonia adferat. Non enim hæc ad rem. Hoc tantum probandum est, falsum esse, quod Mathiolus, & alii volunt, Plinium κισσὸν & κίσθον confudisse. Quod autem edera κισσάρα & κίτταρα vocetur, mirum non est. κισσὸς enim aut κίττος edera est, ἄρον est Arum herba, cuius folia cum edera maximam cognationem habent. Compositum ergo κισσάρα ex Cisso, & aro. Quare male Virgilius Marcellus legit in Dioscoride κίτθαρον, cum legendum sit κίτταρον, vt & alibi. Nos eras, hoc est, pridie nonas Decembris proficiscimur. Tu si quid ad hæc habes respondeto, & Abennium aut huc mittito: vt tuæ literæ mihi reddantur, diligenter curabitur. Vale 3. Non. Decembr. 1574.

IOSEPHVS SCALIGER
Fr. Vertuniano
suo S.

Non dubium est quin id mendum, quod in Theophrasti codicibus est iamdudum, & ante Pliniana tempora inoleuerit, ipsique Plinio viro summo domi militiæque imposuerit, certissimum apud Theophrastum libro v 1. κίσθον, non κισσὸν legendum. Vnde propagatur error, non solum in libro, sed etiam in mente Plinii, qui Cisthon cum Cisso seu edera confuderit.

Verba

Verba Plinii capite de ederis hæc sunt: loquitur περὶ κισσοῦ δενδροειδοῦς: *signa eius folia maxima, atque latissima mammas erigentia*, videndum num apud Theophrastum legatur βλαστοῖς in illis verbis ex Gazæ interpretatione, non tantum foliis, quæ maiora latioraque habet, sed etiam germinibus: si enim in eodem Theophrasto, quem non habemus, legitur βλαστοῖς, hoc si ita est, non mirum, cur dixerit *mammas erigentia*, quod sane ab omni ratione remotissimum est, neque quas mammas edera habeat video, quæ animal non parit. Cissos edera rigens proprie vocatur, vt ait Plinius, quia si ea, quæ serpit humi, est χαμαίκισσος, sine dubio ἐκ τῶν ἀνέρπει, ea quæ surrecta est & rigens, erit κισσὸς. Indignum Leoniceno putare per κισσὸν speciem Cisthi intelligi. Doctissimi ætatis nostræ viri eodem modo decepti sunt; quo Plinius. Plinio Theophrasti codex mendosus; illis Plinius, & ipse mendosus, imposuit; in illis tamen requiro iudicium, vbi viderint Ladanum in segetibus nasci. ipsum in σιτοβόλοις φύεσθαι notant Græci, & nos scimus, & ipsi docti viri non nescierunt, quo minus excusandi, ne quid asperius dicam: Age, nascatur sane in segetibus. Ladanum non est planta, sed succus plantæ, vel ros, vel si vis, ἰξὸς aut lentor, non igitur magis Ladanum nascitur in segetibus, quam pix in montibus: sed Ladanum in lada, quæ est altera cisthi species, pix autem in pinum. Deinde quid est vtrunque Ladanum? nos vnum tantum veteribus notum scimus; ex quorũ fide & vnum

quoque esse Ladanum, non duplex asserimus. Omnium illud fortissimum argumentum est, quod Grammatici illa verba Plinii semper suspecta habebant. Sed restituamus Plinium nitori suo, qui sine dubio ita scripsit: *Et Ladano sistitur alvus, vitroque quod in segetibus nascitur contuso & cribrato: Bibitur ex aqua mulsa, item melitite vino.* Plinius non tractat peculiariter de Ladano, sed de iis quæ alvum adstringunt. Vitrum est ἴσατις, ex eius pastillis non parum compendii percipiunt Tectosages Luracienses. Vitruuius, Mela, Cæsar, Marcellus Empiricus, alii disertim ἴσατιν herbam a Latinis *Vitrum* vocari scribunt. Plinius a Romanis Glastum vocatum scribit. id eorum lingua & olim & hodie vitrum significat. Vitri herbæ duæ species, altera sponte nascitur, altera satiua ea est, quam in segetibus nasci ait Plinius. falluntur qui segetes tantum putant dici frumentum satum, dum omne, quod in arvo frumenti more scritur, dicatur seges. Deinde & in segetibus frumenti potest sponte sua nasci ἴσατις. Quod si obiicitur nobis Plinium intelligere plantam quandam, quæ Ladanum vocatur, non Ladanum quod e Cistho fit. Sane Plinius non debuit eius descriptionem omittere, cum facile confundi possit cum vero Ladano, idq; vel ob id maxime, quod duæ species eius facere videretur, cum ait *Vtroque*. Sed Plinium de vero Ladano intelligere dubium non est, qui cum postea descripsit, cum omnibus notum non esset: At Vitrum non descripsit, tum quia vulgaris herba, tum etiam quia non

non hic tractatur stirpium historia. Alibi enim abunde id facit. Non igitur Plinius per Ladanum plantam vllã intellexit. Describisset enim, vt iam dixi, vel eo nomine, vt ne cum vero Ladano confunderetur. Auellenda igitur ex animis doctorum hæc de Ladano Plinii opinio. Apud eundem Plinium lib. 26. eodem loco distinguendum: *Aluum sistit & chondris siue pseudodactamus; Hypocisthis, orabathion quibusdam dicta, malo granato immaturo similis nascitur, vt diximus sub cistho.* Apud eundem, *sed edere a flore deroso pastibus matutinis.* non audemus affirmare veram esse coniecturam nostram, *Sphærulæ*, sed mirum, si Plinius putauit eam herbam esse ederam, cur postea Ladam vocet. sane hic hæreo, sed credo, quod propius vero videtur, Plinium & hic quoque *κισσὸν* pro cistho legisse, & omnino historiam de Ladano ignorasse. Alioqui primum herbam non vocasset, quæ est *Σάμυον*. deinde cum in Arabia ex fruticibus elici dicat, hic, in Cypro, ex herba non scripsisset. postremo multa simul & ex herba elici & ex frutice. Nam in Cypro ex herba: in Carmania, & supra Ægyptum, ex frutice transfato per Ptolemæos ita videmus non sibi constare Plinium, & omnino vt concedamus eum scisse Ladanum quid esset, tamen nescisse vnde esset. Nam vide. Ait *attractis funiculis herbam eam conuolui.* Hæc ex Dioscoride transcribebat: & iniuriam optimo scriptori facit, tum quia herbam vocet, quam ipse *Σάμυον* vocauerat, & nos scimus fruticem esse, tum etiam quia non inte-

xit quid scribebat. nam attractis funiculis dicit herbam eam conuolui, ita obscure καὶ ἀτόπως, vt quid velit Dioscorides, manifestum sit, quid ipse velit, ne ipse quidem intellexerit. Quis vnquam intellexisset illud, *attractis funiculis?* Deinde peruertit verba Græci scriptoris ἑλίζεται, mutans ἐλίζεται. Tolerabile erat, si dixisset Ladanum, & pingue illud conuolui, non autem plantam ipsam. Ergo sibi contradicit statim; nam non multo ante dixit pingui ex herba collectam Ladanum vocari: nunc herbam conuolutam & in offas & tractus digestam Ladanum vocari. Vides nihil potuisse dici inconstantius, nisi fortasse aut similis, aut maioris inconstantiæ fuerit, non meminisse a se superius scriptum, Ladanum quod ipse toxicon ait vocari, non aliud esse quam hoc, quod attractis funiculis colligebatur. Porro hoc nihil aliud dicere possumus quam Pitium & Ladanum & Cissihon ignorasse. Hoc tantum dicamus non posse legi *Ederæ flore deroso*, cum iam herbam vocari dicat Ladam. Non puto eandem Ladam & ederam vocasset. Ibidem verba ita legenda. *Etenim illi Ladam vocant: huius pingue insidere.* rursus conqueror quod Dioscorides ἕλμινον herbam vocet. Libro 21. cap. 9. omnino legendum, vt emendauimus *sphæruis*. Apud eundem libro 24 cap. 10. lege *trinis digitis flore capto*: vbi superstitio veterum notanda, in tribus digitis, vt apud Ouidium,

Et digitis tria tura tribus sub limine ponit.

In eo putabant esse religionem. Politiani sententiam

tentiam & emendationem probamus. Quam inter Ederas diximus Cissos Erithranos, &c. Auicenna in hoc, vt & in aliis quoque nugatur. Notandum quotiescunque Auicenna diuerse de eadem re tractat, ipsum ignorasse quid esset. sciunt omnes, qui sedulo Auicennam triuerunt. Frustra hac in re Plinio patrocinatur Politianus. Vbi etiam ridiculus est, cũ ait, a Theophrasto florem ederæ χνοώδη appellari propterea, quod lanuginem habet intra se, vt rosa. inepte sane. nam χνοώδης flos est proprie Ligustri, Ederæ, Vitis. Eæ enim ἀντὶ τοῦ ἀνθοῦς χνοῦν potius habent. At nullus χνοῦς in rosa, sed flos rosæ constat ex foliis, vnde centenariæ rosæ a numero foliorum. At χνοώδης ἀνθὸς dicitur, quod folia non habet, sed pro eo χνοῦν. Perperam Leonicenus Ladam latinum putat. Tantum abest, vt latinum sit, vt Plinio homini Italo, quia id popularibus eius ignotum fuit, veniam demus, quod ignorarit. Ruellius lib. 1. c. 67 errat cum Plinio, qui ait succum illum conuolui, & in offas digeri. nam error fuit Plinii, qui εἰλίζουσι pro ὑλίζουσι legerat in Dioscoride. Alius error, cum dicit multiplicem Plinio Ladani legendi rationem esse. Ipse enim duas tantum agnouit, vnam sponte, hoc est, ex villis caprarum; alteram arte, hoc est, funibus attractis, vel neruo arcus ad illas plantas attracto. Prius vocauit terrenum, quia fer οἰουπῶδες, alterum factitium, quia ingenio hominum non sponte colligitur, &, vt verius dicitur, quia non φύσει, vt illud superius, sed θέσει. De Brassauola aliquid addidissem,

si tanti hominem feciſſem, vt eius ſcripta legere non pigeret. Sed quia iamdudum mihi perſuaſi, & ex eius ſcriptis comperi, nihil aliud eum virum fuiſſe quam cymbalum ineptæ medicorum plebis, eum miſſum faciam. Non dignus eſt, vt in hunc cenſum veniat. Stypticitas verbum eſt in officinis natum, non Pergami, neque in Co Inſula. Latine diſtringendi facultas, Græce τὸ συστλικόν. Hæc ad te fuſius quam antea ſcripſi, quia & chartulam & atramentum erogaui. Tu, amabo, quamprimum reſcribe. nam ante diem 13. Kalen. Martias in aulam profecturus ſum. Vale Malauallæ 4. Non. Febr. 1575.

IOSEPHVS SCALIGER FRANciſco Vertuniano ſuo S.

Nondum vt video occluſiſti ſeplaſiam tuam: Ladanum enim tuum iterum nobis in ea proſcribis, ne quid denique deſit vnguentariæ tuæ, ſed niſi fallor, abunde puto tibi ſatisfactum a nobis poſterioribus meis literis, quas ad te de eadem re nuper dedi, non dubito quin fideliter eæ tibi ſint perlatæ. in illis videbis, aut potius vidiſti, quid ſit mei iudicii de tota re, præſertim de Plinio noſtro, quem hac in re tueri non poſſum: quanquam meliorem partem culpæ in corrupta exemplaria, quibus vſus eſt, deriuandum putem, vt illud quod negari non poteſt μαζοῦς, pro βλαζοῦς legiſſe, tamen adeo cœcum fuiſſe, qui non viderit tam inepte μαζοῦς ſtirpi, quam βλαζοῦς animali tribui. Mitto quod Ciſſon

son Erythranon a Græcis vocari ait, quod nusquam ab illis proditum est, cũ potius ὑποκιθὶς ἐρύθρανον dicatur, vt tamẽ hoc ait ipse. Prudens, an deceptus Cisthum cum Cisso confundit, nescio: hoc vnum scio hac in parte non illi vitio vertendum fuisse, cum Cisthos frutex vulgo ab aliis κίσθος, ab aliis κίσσος vocaretur. Quod conuincit non Plinium κισσὸν vocasse κίσθον per se, sed in eo sequi vulgus. Propterea Cisthi descriptionem cum ederis commiscuisse. Sed de his satis. Venio ad Leonicenum. equidem de eo viro non nisi honorifice prædicare debemus, vel eo nomine, quod primus philosophiam & medicinam ipsam, cum humanioribus literis coniunxit. Primus enim ille nos docuit homines, qui sine bonis literis medicinam tractant, esse similes iis, qui in alieno foro litigant. Scis quid velim. Et mirum præterea accepi de eo viro. A pueritia, imo a cunabulis ipsis ad 30. annum morbo comitiali adeo tentabatur, vt cum ad se redierat pertæsus vitæ, pene sibi manus afferre vellet. Sed post trigesimum annum plane eo male defunctus, omnibus membrorum ac sensuum officiis integer nulla morbi suspicione, ad 94 annum peruenit. Et, si bene memini, triduo antequam decederet de vita, operam dederat lectioni. Fœlicem sane senectã, quæ prius portum apprehendit, quam nauigationis incommoda sentiret. Hæc ego præfare volui in honorem summi viri, qui cum summo honore legendi & docendi munus, cum summa tranquillitate vitæ cursum obiuit. Tamen multa

sunt quæ in eo homine requiras: & primum ridicule mauult Græcarum literarum cognitionem Plinio adimere, quam stirpium. At contra vulgo scriptorum euenire solet. Ipsi enim non sine eruditione scribunt, sed pleraque omnia sine experientia. Et facilius est me discere ex libris, præsertim in vrbe habitantem, aut melioribus occupatum, quã colles & prærupta montium perreptare, vt vnam stirpiculam eruam. Quin etiam necesse est, Plinium nõ vidisse Hypocisthiden, quia in Italia non nascitur, potius quam, vt concedamus eum Græcarum literarum ignarum fuisse. Quamuis enim in corrupta exemplaria non incidisset, tamen quia quid esset Cisthus ignorabat, propterea potuit Cisthum cum Cisso confundere: quia Cissum nouerat, Cisthum ignorabat. Vide quam vera loquar, quamquam aliena a sententia Leoniceni. Ego sane melius cum Plinio, Theophrasto, Dioscoride de Cisthi viribus disputabo, quam cum Contento nostro Pharmacopola de forma. Cisthum enim nunquam vidi, sed quid Cisthus sit optime scio. Quid est igitur quod vult ipse, Plinium nõ potuisse ignorare id quod vulgo Pharmacopœorum notũ erat? Pulcrum sane argumentum. Atego illi oppono Nicandrum, qui de iis rebus scripsit, quarum ipse prorsum ignarus erat. Oppono Aratum, qui ἀνασχολόγητῳ luculentissimo poemate τὰ φαινόμενα descripsit. Ridiculum est, mi Sanuertuniane, Leoniceni argumentum, atque Leoniceno indignum. Deinde putat se non magnam

iniu-

iniuriam facere Plinio qui ei detrahat Græcarum literarum cognitionem, vt eum sturpium peritissimum faciat. Quid? num potest facere vtrumque & literarum Græcarum & stirpium ignarum? nugæ. Videndum est etiam, Plinium pro literato homine accipi velit, an pro Pharmacopœo: sane pro literato, si sapit. At vt eius verbis loquar, non minus dedecus erit homini literato literarum Græcarum cognitionem adimere, quam Pharmacopœo stirpium. Tædet me illius ineptæ Epistolæ, quæ neque docte, neque Romane, hoc est, Latine, scripta est. Itaque reliqua quæ sequuntur non attingam. Pulcre enim a te animaduersum est de clausula Plinii, quam corrumpit. & alia omnia, quæ non repetam. Tu satis per te sapis, nec alieni consilii eges. Hoc tene, Plinium eruditissimum suæ ætatis hominem, Latinæ elegantiæ obseruatissimum, non minus aliquando in vertendis Græcis hallucinari. Hoc non solum illi, sed & Ennio, Attio Ciceroni accidit. At quibus viris? qui sunt columnia priscæ Latinitatis. De quorum erroribus satis alibi demonstraui. Vale Malaullæ in limite Lemouicano 6. Non. Mart. 1575.

IOSEPHVS SCALIGER FRANCISCO VERTVNIANO DOCTORI MEDICO S.

Ternas a te vno die accepi, sed omnes eodem argumento, addo etiam eadem indole animi tui, hoc est, illa amoris in te mei significatione:

qui erit vnus character tuarum literarum, vt cum eo obsignatas ad me mittes semper possim agnoscere tuas esse. Gratum etiam officium tuum, quo me erga puellam Catharinam Rupæam & matrem eius prosecutus es. Omnes literæ tuæ, vt iam dixi, idem continebant. In quo præcipuis duobus respondebo, *de Critico* & de verbo *Matte*. Ac primum de eo, quod prius ordine est, de Critico. Non est quod vos Asclepiadæ gloriemini de vetustate Medicinæ vestræ, qui nobis obiicitis Machaona & Podalyrium. Habet & ista doctrina quam Grammaticam vulgus vocat, neque tamen intelligit. habet, inquam, & vetustissimos suos vindices, Linum & Palamedem, & Cadmum & alios. Sed hoc nihil ad Criticum. Ita sane. Volebam tamen nescius ne esses, eam a maximis viris non solum cultam, sed etiam excultam fuisse. Qui enim de ea libros reliquerunt maximi viri, etiam in aliis studiis, fuerunt, Crates, Aristophanes, Nicander, Callimachus, Apollonius ille Rhodius, Chrysippus, alii Heroes magni. Illi igitur in monumentis suis nobis reliquerunt Grammatices partes tres esse, quarum primam τεχνικὴν vocarunt, secundam ἱστορικὴν, tertiam ἐξηγητικήν. Τεχνικὴν πραγματείαν vocant eam, quæ in elementorum & syntaxeos disciplina tota est. Ἱστορικὴν, eam quæ in mythologiis Poetarum, in Oratorum & Historiarum descriptionibus, locis, montibus, fluminibus versatur. & si quid simile. Ἐξηγητικὴν intelligi volunt, quæ non illis finibus contenta est, sed vlterius euagatur, & in abdi-

abditiora sapientiæ penetralia se insinuat: cū scilicet spurios versus Poetarum a veris & legitimis discernit, depravata emendat, falso attributa suis auctoribus asserit ac vindicat: omne genus Poetarum, Oratorum Philosophorum recenset, atque excutit. Hanc partem propterea κριτικὴν vocarunt. Atque vt veteres Romani quatuor partes anni singulas in tres alias diuiderunt, vt de Vere dicerent, ver primum, ver adultum, ver præcipitatum: ita etiam iure merito per illos gradus voluerunt φιλόλογον ad perfectissimam φιλολογίας cognitionem peruenire. Itaque primam illam πρακτικὴν omnes vulgo de fæce pædagogorum quotidie tractant, vt sibi videntur. In ea tamen excelluerunt clarissimi viri veteres, Herodianus, Tryphon, Apollonius Alexandrinus apud Græcos: apud Romanos autem Scaurus, Donatus, Cæsar ipse & Plinius secundus. Illam tertiam, id est, nobilissimam omnium, ac vere Philosopho dignam tractarunt Græci, Crates, Aristophanes, Aristarchus, qui propterea & vulgo κριτικὸς dictus est: Romani autem infiniti, inter quos Varro, Sisenna, Ælius Iurisconsultus & alii. Mediam quæ secunda est, imprimis Hyginus, Palæphatus, Stephanus & Cæsar etiam coluerunt. Quanto tertiam illam quam alias pluris fecerint, ex nomine intelligere potes. Non enim ab officio vocarunt, vt a tractanda arte primum πρακτικὴν, secundam, ab enarratione historiarum ἱστορικὴν: sed quia non omnium est, sed pauciorum, neque in quibusuis auctoribus, sed in nobilissimis versatur,

ἰδιαιτέραν, quasi peculiarem, vocarunt. Hæc nos de Critice, quam cum iam plene cognoscas, illi mercipretium iam recte dicere poteris. Quanti enim tibi indicanda sit, scire poteris. Versus Homeri illi tantum admissi sunt, quos Aristarchus probauit. Comœdiæ Terentii quas Calliopius. Sic Tragœdia vetus Achilles Aristarchi, quod ab eo emendata esset. *De Macte* quod petis, plane tractandum est nobis non κριτικῶς neque ἱστορικῶς sed τεχνικῶς. A significatione igitur. Mactum veteres Romani vocant auctum: herbam adultam Cato vocauit *Mactam*, nempe quod ita aucta esset. Macta hostia cum frugibus & mola, aucta erat. Sic macta ara, quod verbenis aucta & cumulata. Mactare hostiam postea, pro cædere hostiam, dicebant κατ' εὐφημισμὸν, ne scilicet cædem nominarent. Quare mactare pro cædere? quia nunquam cædebatur, nisi frugibus macta esset: a præcedentibus consequentia, vt vulgo Rhetores & Dialectici Scholastici loquuntur: vt veteres Chrysippæi, ἀπὸ τῶν προσηγουμένων τὰ ἐπιφερόμενα. Nunquam mactabant hostiam quin dicerent: Macta esto hac mola salsa. Sic cum Deo alicui vinum libabant: Macte hoc vino esto. Sed cur vocandi casu Macte. In hoc quoque est τεχνικὸν Grammaticorum. Nam mactus esto, dicendum erat, sed vtriusq; linguę auctores ita loqui solent. Theocritus:

ὄλβιε κῶρε γένοιο. dicendum erat ὄλβιος: Tibullus: *Hus venias hodierne*, hodiernus. Persius.

Stemmata quod Thusco ramum millesime ducis.

Mille-

Millesimus. Ausonius creber est in hoc genere loquendi. Quare & Macte, esto, pro mactus. Propterea non mitum si in Atticismo ἡ κλητικὴ confunditur cum ὀνομαστικῇ: cum contra hic videamus vocandi casum cum nominatiuo commutari. Sic igitur dictum, Macte esto virtute. Habes ἀκριβολογίας Grammaticorum, sed quæ seria ducant. Quid? nonne & veteres illi Asclepiadæ cũ ab arte deficiuntur ad præbra & Physica, & παιδάρια confugiunt. Sed hoc quod dixi eo tolerabilius, quo minus aliter dici potuit. Nam Grammatica quomodo tractabis, nisi Grammatice? Vale & me ama 8. Kalend. Ianuarias.

IOSEPHVS SCALIGER G.
Seguino Leucarum Iuridico S.

Accepi literas tuas, Georgium Agricolam. De ponderibus, & libros, quos vna coniecceras, a Glagnoto nostro: librum Gallicum *de nodo Veneris* totum percurri: cui rei quem Latinum aptum & idoneum titulũ attribuam, equidem impræsentia non habeo. Nam Veneris vincula in Pharmaceutria Virgiliana, quod auctor libri putat, aliter accipienda. Nam ea ad amorẽ conciliandum, & animum ab amore alienum in sua iura redigendum: At iste nodus ad contractum amorẽ dissoluendum. Et sane non puto huius fascini nomen proprium apud antiquos exstare: Atque adeo tantum abest, vt partem illam, qua viri sumus, fascinari solitam, vt hodie inter

nos Christianos, existimem, vt veteres illi non solum pietatis imperiti, sed etiam stulte superstitiosi, figuram pudendi virilis, ad fascini omne genus expugnandum multum valere crederēt: Itaque pueris veretilla e collo suspendebant. Et hinc factum, vt pars illa etiam fascinum vocaretur. Non fascinabatur ergo pars illa, quæ fascino aduersaretur: Non igitur nomen e vetustate petendum ei rei, quam vetustas ignorabat. Nam tuum γλωττόδεσμα sciunt periti Medici non posse in hanc rem conferri, & Chirurgia facile curatur. Est enim tantum linguæ vinculum, quo qui laborant in Euangelio μογιλάλοι dicuntur: a veteribus latinis, *attubi*: quod verbum nos olim in Ausonianis nostris lectionibus e tenebris eruimus: Qui enim scit quid sit γλωττόδεσμος, potius linguæ humanæ meminerit, quam ligulæ calceorum. Neque vero nego apte posse dici Veneris vincula, & nodos Veneris, sed non eo modo, quo Virgilius dixit, sed tamen quo Latinitas pati potest. Nam & Sallustius dixit *metum Pompeii*, non vtique quem metuebat, sed quo metuebatur. Ceterum auctor illius libelli nihil, quod ad pietatem faceret, prætermisit, sed plane omnia quæ ad rem. Magnum campum habebat ad spatiādum, imo me hercule ad desudandum: & multa præclara ad eam rem dici poterant. Exspectandum igitur aliud ingenium quod eam materiam vberius prosequatur. Vale mi Segune & ama. 8. Eid. Nouembr.

1590.

EX EPI-

EX EPISTOLA IOS. SCALIGERI Ad V. C. Claudium Puteanum.

Quæ καθολικῶς fiunt, ea Græci etiam κύκλῳ ποιεῖσθαι dicunt, vt κύκλῳ διδάσκειν παῖδα, id est, καθολικῶς, & totum artium orbem a Grammatica vsque docere. Sic Medici dicunt κύκλῳ θεραπεύειν, cum vel a minimis remediis ad maiora progrediuntur, ita vt nihil omittatur. Sic Caius lib. 1. Institut. cap. 11. dixit circulo seruos manumittere in testamento. Sic ille quisquis fuit, qui μικρὰν Ἰλιάδα scripsit, a gemino ouo Ledes ad excidium vsque Troiæ poema suum deduxit, hoc est κύκλῳ eam historiam docuit. Quo nomine id poema κύκλος a Grammaticis vocatur. Interpres Aristophanis semper κύκλος nomine id poema vocat. vt ἱππεῦσιν. illum versum; καίπερ γυνὴ φέρει ἄχθος ἑπείκειν ἀνὴρ ἀναθείη, citat ἐκ τοῦ κύκλου. Themistius ἀναλυτικῶν ὑστέρ. lib. 1. pag. 6. b. εἰ δὲ λέγεται καὶ ἔπη πανὰ κύκλον, ἀλλ' οὐκ ἐκ πάντα κύκλον ὑπολαβεῖν τὸν γεωμέτρην ὁ τοῦ κύκλου λόγος. *Cyclius* propterea vocatur ab Horatio lib. de arte poetica quod κύκλῳ τὰ ἰλιακὰ scripserit, puta ab ouo gemino. Et quia eius poema κύκλος dictum. Idem intelligit. cum ait;

Nec circa vilem patulumq; moraberis orbem.

Nam per *orbem* κύκλον intelligit, per *patulum*, quia qui κύκλῳ docent κατὰ πλάτος docent. *Vilem*, quia vt nimis anxii animi desilire in arctũ, ita proiecti & plebeii κατὰ πλάτος καὶ παχικῶς docere.

De loco Horatii ode 6. lib. 1 *Diceris Vario.*

Dicendum est, interpretes illum male semper intellexisse. Ales carminis Mæonii est poeta Epicus, vt Ales siue cycnus Lyrici carminis, Pindarus, vt Theocrito ὄρνιχες μοισᾶν sunt Poetæ. hoc intelligi potest, sed non mens Horatii. *Diceris fortis & victor, Vario Mæonii carminis alite*, est ablatiuus absolutus Horatianus, hoc est, quia Varius est Epicus Poeta. vel Vario canente, vt *quibus secunda, vate me, datur fuga. Vate me*, vt *Vario alite*. Græce ἐμοῦ θεσπιωδοῦντος, & ode 21. Eadem figura, *Principe Cæsare*, & manifestius, *neque in pessima ferres diuite me*, scilicet artiũ: & similis figura est. *Cur eget indignus quisquam te diuite? tu secundo Cæsare Regnes*. ablatiuo absoluto, vt Græci. ἐπὶ τοῦ φιλίπου βασιλέως. Noli dubitare quin sit *Vates biformis* apud eundem ode 20. lib. 11. Carm. quia prius erat Horatius, postea Cycnus. Nam & Cycnus quoque ἀοιδὸς & μάντις, oculo irretorto. Nihil certius est, alludi ad Græcam locutionem, qua dicitur inuidorum & cupidorum oculos διαστρέφεσθαι καὶ σκαμβοῦσθαι. Vale vir clarissime & me ama ex arce Ptulliacensi 111. Eid. Octobr. 1592.

EX EPISTOLA IOS. SCALIGERI ad Christophorum Puteanum.

De licis Ori Apollinis hæc accipe. Vulcanus pingebatur κανθαρόγυψ. Minerua γυποκάνθαρος, quia quum ceteri dii sint sexu discreti, soli illi duo sunt ἀνδροθήλεις. quum enim Vulcanus ex Iunone sine patre, Minerua ex Ioue sine matre

creati

fecati sint, ambo vtrumque sexum habere videntur. Ideoque duobus animalibus alteri soli fœminino, alteri soli masculino comparabantur. Scarabeus enim omnis est mas, vt omnis vultur fœmina. εἴδωλα ἀνατετμημένα, sunt quæ vocamus *Mummias*. Corpora Ægyptiorum dissecta & exenterata, qualia multa vidimus, quæ polinctores ἀρχιταρίχευται siue ἐνταφιασταὶ Ægyptii curabant, & condiebant; hoc est, quod vocatur hic κηδεύειν. Ea εἴδωλα in Triclinijs statuebantur, vt a filijs; nepotibus inter epulādum conspicerentur. Plene Herodotus & Didorus. ἀσφάγιον victimam vocat, cuius frontem cultro non signauerint, vt fiebat in victimis, quod Romani vocabant *immolare*. tanto odio prosequebantur illam feram, vt honorem illi non haberent, quem reliquis bestiis, quas nunquam mactabant, nisi prius cultro fronte præducta: alii videntur legisse ἀσφαγίαστον, vt dicatur, quod verum est, nunquam vesci solitos bestiis, nisi quæ prius iugulatæ fuerint, vt victimæ. Sed illam bestiam siue iugulationē fustibus aut malleo aut securi occisam cum suo sibi sanguine ad cibum parari, neque illi honorem illum haberi, quem reliquis animalibus quæ in epulas parabantur. Vale Lugduni Batauorum 11 x. Ed. Nouembr. CIↃ. IↃ CI.

IOSEPHVS SCALIGER N. M. suo S.

Agnosco in literis tuis ingenium erud tum, & non ad hæc solum, quæ proponis, sed etiam ad nobiliora factum. Verum vnum illi deest,

homo, qui eius sitim expleat, & abunde de omnibus, quæ quæsiuisti, satisfaciat. Quam enim exiles sunt opes ingenii nostri, sentio: & si quidem in his humanioribus studiis potuimus, omne id iam exhauserint curæ, bella ciuilia, ætas, & quod supra omnes calamitates deputo, genus vitæ desultorium, & nusquam conquiescens, in quo sero tandem sentio me consenuisse. Parebo tamen, mi N. M. & ne officio humanitatis desim, ostendam quãtum tua caussa velim. Scis quam nõ vulgaris eruditio sit in poematiis Ausonii, in quibus Gryphus ternarii fixit crucem melioribus æui nostri Grammaticis: quanquam conatus omnium elusit recondita & velo ænigmatum summota doctrina. Nam Syluius Ambianus nihil nisi triuiali moneta percussit. Bonus Vinetus non solum sibi, sed & eruditioribus, etiã in iis, quæ plana sunt, diffidit. Et quamuis in Commentario secundo, quod nuper post eius mortem recoctum est, multa de nostris lectionibus Ausonianis in suas diatribas transcripserit, nihil tamen, quo doctoribus Ausonius familiarior fieret, expromisit. Nescio an illam secundam editionem videris. Sed ea quæ proponis me vocant. Noli dubitare tres primores versiculos statim initio, vno spiritu transmittendos. Sed caue, ne tibi imponatur. Græcum est ἤ τεὶς ἤ τεὶς τεία. Idem valebat, ἤ τεὶα πῖνε ἢ μὴ τέτταρα. Nam aut τεία simpliciter aut ter tria. Ausonius putauit ter tria esse cubum: quod in aliis postea agnosces, non in hoc loco tantum. Et sane quod subiungit,

Impa-

Imparibus ternis nouies componere cœbum: Videretur intelligi de cubo, id est, de ter nouē. Sed non ita est, tum quia non ter nouies, aut ter tria ter, sed ter tria tantum potare lex magisterii sympositiaci iubebat, tum etiam quia ipse, quid velit, interpretatur: *Iuris idem tribus est, quod ter tribus.* Quæ sequuntur, valde deprauato sensu leguntur: castigandum:

——*Omnis in istis*
Forma hominis cœpit, plenique exactio partus.

Nam plane vetus liber, quo vsus sum, habebat, *cœpit*, non, vt vulgo, *cœpit. Omnis*, ἑλληνίζει. πᾶν τὸν pro ὅλον. sic πᾶσα Κελτικὴ Straboni, id est, ὅλη. Cæsar initio: *Omnis Gallia diuisa in tres partis*, id est, tota Gallia. Omnis vel totius hominis forma initium habet in his ad exactum vsque partum. Nouem enim menses vterum gestat mulier. Vides hic quoque nouenarium intelligendum, vt supra: In septimo & octauo versu non mirum si vulgata lectio te remoratur. Mendosa enim est: eam ita non dubitamus proponere:

——*Tres ordine partæ*
Vesta, Ceres, & Iuno, secus muliebre, sorores.

Tres, inquit, *progeniti fratres*, Iupiter, Neptunus, Dis pater. Totidem natæ sorores ordine, &c. *Secus* erat in nostro libro. Ita lege. Vides te non frustra dubitasse. Nam de Parcis postea. *Quam nouies terni glomerantem* hoc est, quam Cornicem, si viueret triplo tantum, quantum viuere solet, hoc est, 27. secula (viuit enim nouem) superaret tertia parte Ceruus. Cornix viuit nouē

secula: Triplum sunt xxvii. quibus si trientem adieceris, id est, ix. secula, ea fuerit cerui vita. Viuit enim xxxvi secula. Quam cornicem triplicantem suum æuum vincit ceruus vno triente ipsius tripli, id est, nouem seculis, vel ter terno Nestore. Ελάφος enim est τετρακόρωνος.

Ales Cinnameo radiatus tempora nido.

Quid est *radiatus nido?* Burdigalensis ille, si reuiuiscat, non agnoscat suum. Legendum *nimbo*, *Nimbum* vocabant, quam aliter *Sparsionem croci Theatralem.* Collum & caput Phœnicis rutilante fulgoris rubro veluti aspersum indicat. & noli dubitare verum esse.

Tres in Trinacria Siredones, omnia trina.

Vera veteris libri lectio. Vulgaris manca & hiulca. Scis ex lectionibus nostris τῆς κληδονιστικῆς τρία εἴδη esse, παλμόν, πταρμὸν, ψιθυρισμὸν. Ea dicit trina omnia. Et quid melius hac interpretatione? Et recte olim sciscebamus σειρηδόνας, quasi σειραηδόνας dictas esse. In xxvii. versu repone *depenso Marte*, vt nos olim ex libro vetere. cuius interpretationem pete ex Lectionibus Ausosonianis. In xxxiii. versu lege *qui sex spreuisse timebant.* In xxxvii.

Iuniadæ patrio inferias misere sepulcro,

Ex v. c. & ante, *tribus ordine bellis*, id est, trina editione ludorum cõmisit ternas pugnas Thracum, vel gladiatorum. Sed in xliiii. ita omnino legendum,

Parietibus quæ saxa locat, quæ culmine tigna,
Et quæ supremo comit tectoria cultu.

Quæ, ars scilicet. dixit enim, *tergenus artes. Tris*

coit

coit in partes numerus perfectus. Hoc verum est, primus numerus perfectus, hoc est, senarius, coit in numeros 1.2.3. quæ sunt partes ipsius, ex quibus cõpositus est. *Componi numerus* dicitur ex illis partibus, in quas diuiditur, aut ex quarum multiplicatione conflatur. Sed nullus numerus coit in eas partes, præter numeros perfectos qui rarissimi sunt, quales 6 28. Hactenus Ausonius bene. Sed sequentia produnt illum, quid esset numerus perfectus, nescisse, cum illi attribuit, quæ nouenarii propria sunt. Nõ enim componitur ex ter terno congrege, neq; in ter tria resoluitur. Hoc enim est proprium nouenarii. Bis igitur in eodem numero nouenario peccauit, & cum cubum supra vocat, & cum perfectum. *Congrege* autẽ de opinione ita olim in Ausonianis Lectionibus correximus. Quod sero tandem agnouit bonus Vinetus. *Tres primus par impar habet. Tres*, id est, ἡ τριάς. vt infra *Vnus*, id est, μονὰς Ternarius, inquit, primus omnium numerorum par, impar habet. Nam & ipse totus est impar, & binarius, quem comprehendit, est par. Habet & medium, id est, vnitatem. *Medium* Ausonius vocat excessum arithmeticũ, quod infra ὀμφαλὸς dicitur. quod ὀμφαλὸς medius in homine. Ternarius igitur, primus omnium habet par, & impar, & medium, siue ὀμφαλόν. Nam vnitas distinguit eum a binario. Sequentia absque ope veteris membranæ non assecuti essemus. ——*sed ipse,*

Vt tris sic, quinq; & septem quoq; diuidit Vnus.

Sed ipse Vnus, id est, ipsa vnitas, quæ medium

est, siue ὀμφαλός ternarii, & binarii, est quoque medium quinarii, & septenarii.

A
B C D
E F G H I

Et numero in toto positus. Et si ex toto numero, nempe nouenario fiat triangulum Isopleuron. A B C D E F G H I, ita vt A vnitas sit in centro, id est, vertice trianguli, distinguet omnes ternarios in progressu Cubi. Legendum enim ex v. c. *Cubo pergente.* Sed Cubum, vt dixi, perperam vocat, qui est quadratus. Vnitas, inquam dirimet omnes ternarios A B E, A C F, A C G, A D H, A D I. dirimit, vt medium, καὶ ὀμφαλὸς ipsorum, cũ vnitas sit, vt diximus, medium binarii & ternarii. diuidit enim in æquipares partes, hoc est, in binarios, & se ipsam. Ex impare enim ternario resoluitur par numerus, nẽpe binarius, & vnitas, hoc est, quod dicit, dirimere æquiparem partẽ de singulis ternariis. *Et paribus triplex spatium,* in versu LIX. non solum, inquit, triplex est spatium siue mediũ, omnium digitorum imparium, sed etiam omnium digitorum parium. Nam quemadmodum ex vnitate terna dirimũtur interualla in his imparibus, III. V. VII. IX. Ita etiam ex binario totidem sunt interualla inter omnes pares digitos, nẽpe hos, II. IIII. VI. VIII. Horum enim binarius est idem ὀμφαλός, siue medium, vt imparium vnitas. Vides quã clara sunt, quæ antea Sphinga implorabant. Et tamen puerilia sunt, neque in his subactum habuit ingenium. In versus cõiecit quæ non intelligebat. Nunc quia plana sunt, ea obuia, non dubito quin omnibus ludi-

brium

brium debeant. Sed tamen erant intelligenda: in his omnibus, quæ Cimmeriæ tenebræ erant, nihil aliud vult, quam ternarium esse interuallum numerorum imparium, ternarium item interuallum parium, cum vnus idemque ὁμφαλὸς siue medium sit & horum & illorum. In versu LXVIII. lego, *Quoi logos, aut methodos.* In septuagesimo versu Vinetus plane, vt in aliis, aliud agit. Sol erat tutela Rhodiorum. testes nummi Rhodii ex vna parte Rosa, ex altera Sole insigniti. Sol ergo est ἄναξ Rhodiorum, dominus, & tutela. vt Homero, ἴδμεν μεδέων. At Colossus ille ingens in foro Rhodio positus, erat Solis, non alius Dei, aut hominis, aut Herois. Proinde *regnata Colosso*, id est, soli. Versu LXXIII.

Prosa Asia in caussis numeros imitata Chororum.

Rhythmum quendam, id est legem pedestris orationis intelligit, quales sunt numeri Chororum, vt Pindarici, qui propterea *lege soluti* dicuntur Horatio. nam lex eorum est voluntas poetæ. Lege ex v. c. *quia sunt tria, terra, aqua, flamma*, non *flamma*. Versu LXXV.

Triplex sideribus positus, distantia, forma,
Et modus.

Distantia triplex, longitudo a quodam puncto in Zodiaco, puta a prima stella Arietis, Latitudo ab Ecliptica, Declinatio ab æquinoctiali, Vtrumque tam cis quam vls Eclipticam, & Æquinoctialem. *Forma* μόρφωσις. Sunt enim quædam in formas iecta, id est, quæ formam quandam componunt, cuiusmodi septem formant Vrsam minorem, viginti septem Vrsam

maiorem. Vnde μορφαὶ καὶ μορφώσεις, καὶ ἀστερισμοὶ dicuntur. Reliquæ quæ nullam formam constituunt, dicuntur ἀμόρφωται, cuiusmodi sunt vndecim circa canem. *Modus* est mensura, vt modus agri, est mensura & perticatio agri. Mensura igitur stellæ est diametrum ipsius. Quare ex magnitudine diametri sex gradus magnitudinum in stellis considerati sunt, vt dicerentur, primæ, secundæ, tertiæ magnitudinis. Hæc duo vltima male Vinetus, vt innumeralia. Ex veteri codice: *Geryones triplicis.* inflexio siue metaplasmus Latinus *Geryones*, pro *Geryonæ*, vt Euclidis, Orestis, Euripidis, non autem Euclidæ, Orestæ, Euripidæ, quod rectius erat.

Et tres fatidica nomen commune Sibylla.

Tres quia vetustissimi Græci, quos & Solinus sequitur, totidem duntaxat, non plures retulerunt. *Nomen cõmune, quod*, vt ait Varro, *omnium fatidicarum mulierum nomẽ fuit commune* σίβυλλα. Hæc paucula de pluribus saltuatim decerpsimus. Quæ si placuerint, gratum erit tibi paruisse non sine fructu, Sin minus, tamen & gratum erit, quoquomodo paruisse. Vale & nos ama. Lugduni Batauorum VI. Eid. April.

IOSEPHVS SCALIGER
Dauidi Riualdo a Flurentia S.

Quamuis senectus, quæ ipsa morbus est, alios secum morbos trahit, & in illis mortem memoriæ, tamen eius in me tanta vis adhuc esse non potuit, vt eos mihi ex animo deleuerit, qui

qui aut merito suo, aut alia re mihi noti fuerũt. Hæret adhuc memoria non solum tui, sed omnium, quæ ante biennium quum hic esses, inter nos περὶ προηγήσεως ἰσημερινῆς vltro citroque dicta fuerunt. Et quanquam ea, quia familiariter inter nos, & e re nata, vt solet. iactata fuerant, tam facile tibi excidisse putabam, quam inaffectate, ac præter exspectationẽ a me emissa fuerant. tamen magnopere lætatus sum, non solum tibi eorum memoriam ex literis, quas ad hominem omni exceptione maiorem Casaubonum scripsi, renouatam fuisse, sed etiam, vt de eadem re ad me scriberes, desiderium tibi nouum incessisse. Literas igitur tuas cum maxima voluptate legi, earũ duo summa capita fuere, χαλυβοβλασία ναυτικὴ, & προήγησις ἰσημερινὴ. Prioris in literis meis mentionem inieci aliorum potius sententiam eliciens, quam meam opponens. Proposui enim tantum non sanciui, vtquia illa declinatio per meridianos indagatur, meridiani autem ex hypothesi mea sunt mobiles, videant Astrologæ & Nauticæ rei periti, an ex hoc epichiremate caussæ & argumenta tam manifestæ discrepantiæ indagari possint. non enim proponerem, si scirem: sed potius demõstrationibus, vt id persuaderi possit, agerem: Quare siue ea est caussa, quam peto, inuestigari ex hypothesi mea, siue alia, maneat secura in sedibus suis. Nam non satis est ad eam rẽ Meridianorum inuestigatio. Prius enim disputandum de natura Magnetis, an eius proprium sit, vt semper in Septentriones tendat,

& si ita est, quum tamen videamus extra terminum propositum tot gradibus declinare, quærendum vnde hæc variantia, quæ profecto nulli alii rei, quam meridianis assignari potest. Sed ne solicitemus hanc quæstionem, consulendi sunt qui de Magnete scripserunt, præsertim Guilielmus Gilbertus Gloceſtrensis Philosophus & medicus Londinensis; qui ante triennium tres amplissimos Commētarios de ea re edidit, quibus magis mihi probauit doctrinam suā, quam Magnetis naturam. Nam incertior sum, quam dudum. Reliqua est altera pars epistolæ tuæ περὶ τῆς τῶν ἰσημερινῆς. Primus omnium Hipparchus ex obseruationibus τῶν ἀπλανῶν Aristarchi Samii, Cononis, & Timocharcidis animaduertit æquinoctia suo æuo εἰς τὰ προηγούμενα promota esse, quod quatuor κέντρα remotiora essent ab Epocha stellæ designatæ, quam fuerunt temporibus eorum Astronomorum. Quod quum vidisset, non dubitauit pronuntiare æquinoctia immobilia esse, sphæram autem τῶν ἀπλανῶν εἰς τὰ ἑπόμενα moueri. Nō solum hoc sibi persuasit, sed & Ptolemæo, Ptolemæus posteritati. Tantum valet præiudicata auctoritas. Sphæram etiam solidam innouauit, cuius polus arcticus abesset a cauda Cynosuræ gradibus 12. 24'. idque maluit sibi persuadere, quam, an ita res haberet, noctu cœlum ipsum consulere. quod non possum satis mirari: quum non solum eius æuo, sed etiam CCXVIII. annis ante illum cauda Cynosuræ non plus abesset a polo mundi, quam hodie abest, vt Eudoxus obser-

obseruauit. Quod validissime in libello nostro demonstramus. Rursus Eratosthenes qui 128. annis post Eudoxum scripsit, idem de eadem stella pronuntiauit, idem pronuntiarunt qui sub Augusto scripserunt. Si igitur ante Hipparchum annis 218. illa stella erat, vt hodie, quomodo constat ratio Hipparchi, eam abfuisse a polo mundi grad. 12. 24′? Nam si sphæra τῶν ἀπλανῶν, vt sanxit Hipparchus, mouetur in succedentia, & illius æuo cauda Cynosuræ aberat a polo grad. 12. 24′. sequitur, vt æuo Eudoxi remotior esset a polo, puta grad. 13. aut 14. Hoc enim ratio processus illius motus postulat. Atqui non plus distabat a Polo quam hodie. Ergo & sibi ipsi & omnibus qui hactenus eum sequuti sunt, imposuit Hipparchus. Nos certe colligimus omnes eius τῶν ἀπλανῶν ἀνατολὰς καὶ δύσεις, quas nemo vnquam intelliget, nisi prius globum construxerit, cuius polus arcticus absit a Cynosuræ cauda grad. 12. 24′. Quam rem cum summo artifici Tychoni Brahæ communicassem, obstupuit ad nouitatem & insolētiam ὑπο-χειρήματος, & merito. Non enim illi indicaram de constructione globi Hipparchæi, & distantia caudæ Cynosuræ a Polo illius globi. Quare videmus, quia cauda Cynosuræ eodē interuallo a polo abfuit ante annos CIↃ. IↃ. CCCCLXVII. quo nunc abest, nullum omnino motum esse sphæræ octauæ εἰς ἑπόμενα, sed τῶν ἑπομένων εἰς τὰ προηγούμενα, nam de motu non dubium est, præcedit enim hodie æquinoctium stellam in cornu Arietis plusquam grad. 28. quod tempore

Eudoxi committebatur fere in ipsa stella. Sed vtrum stella solem, an sol stellam relinquat, hic vero quæstionis cardo est. Hoc est altero stabili, alterum moueri necesse est, sed sphæram aut stellas stabiles esse iam ostendimus. Sol igitur & puncta eius æquinoctialia mobilia sunt; & quidem eorum progressus est, in anteriora manifestus 28. graduum a temporibus Eudoxi. Vidit hoc summus vir, alter nostri æui Ptolemæus, Copernicus; *Vos*, inquit, *putatis sphæram octauam in cõsequentia moueri; videte, num potius æquinoctia in anteriora processum faciant.* Inde vir ille omni laude maior, concludit esse ἰσημερίνην προήγησιν, non autem τῆς σφαίρας κίνησιν εἰς τὰ ἑπόμενα. Nam altero dato, tolli alterum necesse sit. si enim non est motus sphæræ stellarum in consequentia, omnino est motus æquinoctialium punctorum in antecedentia. Hæc recte Copernicus. Sed τὸ καιριώτατον omisit, vel quia non animaduertit, vel quia desperauit posse demonstrari. Nam quum æquinoctialia puncta mobilia sint, & circulum maximum, qui ad ea describitur per xx Sphæric. Element. mobilem esse omnino necesse est. Et si circulus est mobilis, & polus quoque mobilis. Proinde non est idem polus æquinoctialis, cum polo mundi. Nam polus mundi est immobilis, ille mobilis: & consequenter omnes circuli maximi per illos polos transeuntes, id est, meridiani, sunt mobiles. adeo, vt horologia & sciotherica vasa lineæ meridiani imposita, post aliquot annos decoquent fidem suam, quia linea mota

sit

sit a pristina epocha: cuius variantia egregia argumenta in vetustatis monumentis obseruauimus. Hæc demonstrare, aut videre intererat Copernici, qui fabulosum & ridiculum motum sphæræ primus arguit, & præcessiones æquinoctiorum primus sanciuit: qui si ea, quæ nos ἰσοτεκῶς ex priscis Astrologis obseruauimus, vidisset, quæ erat eius summa eruditio, statim manus dedisset, rem mathematice demonstrasset, quod sane non est arduum. Adeone quisquam auerso ab omni ratione iudicio est; vt quum concesserit puncta æquinoctialia mobilia esse, neget circulum maximum ab ea descriptum mobilem esse, & hoc dato, polos mobiles, quo rursus concesso, mobiles quoque meridianos esse? Qui hoc negat, quid illi mathematicis operam dedisse profuerit, non video. *At*, inquis, *non mutantur meridiani, quia transeunt per polos mundi, qui sunt immobiles.* Iam oblitus es συμπεράσματος nostri, non esse polum mundi eundem cum polo æquinoctialis. Nam ille est immobilis, iste mobilis. Itaque videmus necessitatem argumenti, & cum hæc ita sint, adhuc nos ignorare multa in sphæræ constructione & situ. Nam hoc modo necesse est æquinoctialem circulum, non esse rectum ad polos mundi; & multa alia, quæ prudens omitto, quia mihi cum Mathematico res est, qui melius hæc me docere possit. Quare audacter dicam, tam manifestæ historiæ contradicentibus pudorem possumus imponere, quum hæc nō solum ἰσοτεκῶς, sed & ἀποδεικτικῶς

explicare possimus. Vestrum vero est, & omnium Mathematicorum perpendere & discutere hæc accuratius. Nam non amplius refragandi locus est, sed videndi, quomodo hæc melius demonstrari possint, & ex demonstratis constructio & positus sphęrę corrigi. Plebeiis enim Mathematicastris hæc non dico, qui nihil vnquam præter libros Theoriarum legerunt, nec veteres consuluerunt, quos etiam si adirent, non intelligerent. De motu trepidationis iam explosa est fabula. de libramento Copernici, quæ res & ipsa futilissima est, aliquando dicemus, vnde hæc deliratio tanto viro incesserit: nam non multum differt ab impostura trepidationis. Quemadmodum veritas loco pepulit illam trepidationem, ita illum motum octauæ sphæræ eodem relegandum necessitas tandem coget. Sed mirum demonstrationes apud quosdam, qui Mathematica profitentur, nihil valere. fruantur suo iudicio. Nihil intra est oleam, nihil extra est in nuce duri. Hæc ergo summa responsionis nostræ: nos orare peritos harum rerum, videant, an hæc variantia acus magneticæ possint illustrari iis, quæ de mobilitate meridianorum diximus: nullum esse motum octauę sphęræ in consequentia: nos primos illud demonstrasse: inde necessario sequi προήγησιν ἰσημερινών. Hac concessa, puncta æquinoctialia, æquinoctiales circulos, polos eorum, meridianos per eos transeuntes esse mobiles. alium igitur esse polum mundi a polo æquinoctialis. Horologiorum situs mutare post aliquot annos. Eius pulcer-

pulcerrimæ rei nos historiam primos obseruasse. Nam ex Matheſi necessario id sequitur. Hæc est sententia mea, quam semper tuebor. Tu vero amplius cogita, ac nos ama. Lugduni Batauorum 16. Kalend. Maii Iuliani. 1604.

IOSEPHVS SCALIGER C. suo salutem.

Incidit in manus meas exemplum literarum tuarum descriptum a Vertuniano nostro. nam manus ipsa tua, quod mihi dolet, a nescio quibus, cuiusue culpa intercepta, hactenus ad me peruenire non potuit. Si tamen amicus quasi alter ego a veteribus dictus est: consequens est, vt manus Vertuniani tãquam tua a me accipiatur. Quæ etsi per se plurimum ponderis apud me habet, nullo tamen potiori nomine a me accipitur, quam quod ad amicitiam tecum instituendam, illo tanquam proxeneta vsi sumus. Quo nomine vtrique vestrum maximas gratias ago, illi, quod mihi ad tuam amicitiam primus aditum patefecerit: tibi, quod ea me non indignum esse iudicaueris, quæ vt inter nos firma maneat, postquam primum coaluit, omni genere officiorum præstabo. Illud vnum haud scio an præstare possum; id est, vt exspectationi de me tuæ satisfaciam, præsertim in iis de quibus per literas mecum agis. Quia tamen incertum est vtrum arrogantius sit, de re quauis proposita confidentissime respõdere, an amico aliquid petẽti denegare; malui quidem in hanc partem

peccare, quam illud tibi denegare, quod ipso amicitiæ iure quodam tibi vindicare potes. Ac primum quod νοερὸν apud Plutarchum libro Συμποσ. ζ. διὰ τί τοῦ μὲν οἴνου, &c. pro νέαρον in Aldinis editionibus excusum sit, extra omnem est controuersiam. id tuum elegans iudicium effugere nō potuit, quod Henricum Stephanum non fugit, qui in sua editione ita reposuit. Venio ad locum libri quarti, qui tibi immerito suspectus est, id quod tamen tua bona venia dictum velim, modo legeris, καὶ περὶ τῆς αἰτίας δι' ἣν πλεῖστοι τῶν ἄλλων, &c. Deinde lege καὶ ἀμωσγέπως προσήκοντας αὐτοῖς παραλαμβάνουσι. Illud vero quomodo legatur, quod aliquanto post sequitur, non parum refert. quod ego sine vlla controversia ita in integrum restituendum esse assero: ὡς ὁ Μένανδρος πρὸς τὸν κελεύοντα ταῖς λοπάσι περιφράττειν τὴν νύμφην, δεινὸν σὸ πρᾶγμα τῆς νύμφης λέγεις. Vides quam vera hæc sint, quamque aperte mentem Plutarchi præferant. Sequitur ἀλλ' ὅπως μὴ ἐπὶ πλεῖστον ἐγκαλεῖν ἑτέρους δοκῶμεν, αὐτοὶ μηδὲν λέγοντες, ἀποφαίνων πρῶτος εἶπον ἐγώ. Sed quis modus esse possit purgandi Symposiacorum librorum stabuli, cum tot prope menda sint, quot versus & commata? nam, vt de aliis taceam, in eodem libro capite Πότερον οἱ Ἰουδαῖοι σεβόμενοι, &c. lego ἀλλ' οὐ κανθάρου καὶ γρύλλου καὶ κροκοδείλου. Deinde οὓς ὡς ἁγιωτάτους ἱερεῖς Αἰγυπτίων ἄλλοι προφέρονται, & initio capitis ὅτι τὸ εἰκαιότατον κρέας, non δικαιότατον. Item οὐδ' ἀπὸ τρόπου τόδ' ἐστιν, ἔφη ὁ Λαμπρίας ὑπολαβὼν, ἀλλὰ τοῦ μὲν λαγωοῦ ἀπέχονται διὰ τὴν πρὸς τὸν ὄνον ὑπ' αὐτῶν μυσαχθέντα μά-

τὰ μάλιστα θηρίων ἐμφέρειαν. Deinde καὶ τῶν ὀμμάτων ἡ λιπαρότης, καὶ τὸ λαμυρὸν. & longo interiecto spatio, τὴν γὰρ λεγομένην νηστείαν ἀκμάζοντι τρυγητῷ ἄγουσι τραπέζας, &c. Item ὑπὸ σκηναῖς καὶ καλιάσι. Neq; dubium quin ita lacuna explēda sit, ὅταν ὀργιάζωσι τῷ θεῷ. ὧν πίστιν ἐστὶ δήπου, &c. Vide quātula seges quantā mendorū messem dederiti. Quod si omnia percurrere liberet, nō dubito, quin perpauca essent reliqua, quæ negotium legenti facessere possint: sed quia tunc primū occurrerūt ista, cum locum qua de re agitur consulerē, propterea ita vti forte in hæc incidi carptim annotaui, atque huic chartæ illeui. Venio ad tuum קיקיון de quo si in veterum sententiam discedere licet, præsertim Hebræorum, sequor eorum iudicium, qui Arabum אלבדוע *Elkeroa* esse dixerūt. Vix enim fieri potest, vt aliter sit, præsertim cum veteres scriptores sint, ex quibus hoc probant Kimhi & בעל עדור &, quod caput est, vetustus scriptor Hieronymus idem scripserit. si vero & quod sentimus libere pronuntiare licet, ego censeo nihil aiud esse, quam κίκι Ægyptiorum, stirpem etiam pueris notam, quæ in Syria & in Ægypto in iustā ficus magnitudinē attollitur: cuius facies ita cum nostro κίκαϊον conuenit, vt nulla alia esse possit. primum nomen קיק quid aliud est q̃ κίκι? Nam in Misna scriptū est שמן קיק pręterea גרעיניך quid aliud q̃ grana cici, vnde conficitur vnguētum nationi Asclepiadarum notissimū? At si aliquis mihi obiiciat commentū interpretis, oleū

illud prodesse ad refrigerandum, non magis officere nobis debet, quam ipsemet interpreti aduersari. Nam si oleosa non frigida, sed calida sunt, viderit ipse, quomodo oleum illud ad refrigerandum faciat, & nouam nos Physicam suam doceat. Sed nugæ sunt illæ, quæ non magis nos commouere debent, quam quod iidem plumbei interpretes dicunt, mare Arabicum exonerari in sinum Ioppæ; quod qui legit, risu abstinere potest? Quare omissis interpretum somniis Κητ, est verum κῆτι, nomine, figura, aliisque cum illo conueniens. Quod autem te torquet ἐφήμερον fuisse: cur non magis admiraris, id quod maius est, nempe subito Deum Opt. Max. illud produxisse? sane magis admirationem mouit, quod subito Deus illud produxerit, quã quod adultum statim aruerit. Quin & maioris miraculi loco habeas, quod tres dies homo intra viscera ceti spirare potuit, qui caput ad caudam ceti, pedes ad os & rictum conuersos habuerit. Hunc enim situm Ionæ in ventre ceti fuisse natura rei postulat; quod per pedes non videatur ita potuisse inoffense in capacitatem & ingluuiem monstri conuenire. Sed & illud disquirendum fuit, quod monstrum illud fuerit, nam lamiis non raro contigit, vt hominem integrum deglutirent. Quum vna dissecta in portu Narbonensi habebat hominem armatum intra viscera. Sed mirũ Ionam nullo quam simplici Orientalium vestitu munitum potuisse illæsum in rictus illos vastos & periculosos hinc inde præduris dentibus vallatos incidere.

Quod

Quod propterea vocauit Oppianus λυσίπτερα χάσματα λάμνης. Minus etiam credam physeteram, aut priſten, aut orcam. Præacuti enim dentes homini prope nudo non parciſſent. Reliquus eſt vnus μυσίκητος, quem nos Balænam perperam vocamus. nam ille pro dentibus ſetacea capillamenta habet, & videtur potius iſte is fuiſſe, in quem conditus fuerit Ionas, cum & capacitas non minor triremi ſit. Sed quicquid fuit, hoc certiſſimum eſt Dei Opt. Max. voluntate ac decreto accidiſſe. Hæc habui quæ tibi reſponderem. Vtinam tam vera tibi videri poſſint, quam ex vero amore profecta ſunt. Vale Abenni 4. Kalend. Iulias.

IOSEPHVS SCALIGER
Richardo Thomſoni ſuo S.

Quum tuas poſtremas accepi vna cum ſchedio Politiani, ex illis cognoui tibi nondum redditas fuiſſe meas, quibus te certiorem faciebam de Photii Lexico, & ſchediis ad me miſſis. Remitto tibi nunc Photium tuum; optimum ſane librum, & quem edi e re literaria eſt, quanquam omnia, quæ in illo ſunt, hodie in aliis, vnde ipſe hauſit, exſtant. Quia tamen laborem legentium leuare poſſet, quod in eo omnia congeſta ſunt, quæ ſpa ſim in aliis relegere labor eſt, non exiguam aſtud, oſi gratiam iniueris, ſi tam vtilem librum in publicum exire patiaris. Exſtat hodie magno cum fructu legentium ſimilis labor Varini Fauorini, qui æqualis fuit ſeculo Politiani.

Et quanquam apud ſtudioſos magna in gratia eſt, nihil tamen habet, quod non hodie in aliis reperiatur. In poſtremis meis petebam a te, vt ex Richardo a Monteacuto ſciſcitareris, nunquid verum ſit, quod de Opuſculo Tertulliani nuper reperto ad me ſcribebat. Mouit mihi ſaliuã Epiſtoſa ſua, & hactenus λάρος χάσκω. Ego tuis illis in Ariſtotelis περὶ ζώων ἱστορίας analectis cœnulas patris mei inſtruam, cuius Commẽtarii deſcribuntur adhuc. ſi quid amplius habes, quod φιλοπονίαν noſtram iuuare poſſit, comiter imperti. Nunquam enim otioſi ſumus: atque vtinam votorum noſtrorum vela ferrent typographi. Sed ab eis ventus nos deſerit, quominus ad portus noſtros vela faciamus. Aut enim recuſant edere, aut ſi recipiunt, ſuo commodo excudunt, & interea nos torquent exſpectatione, dum ipſi res ſuas agunt, noſtras negligunt. De loco Syneſii: ὅταν ἔτνους προκειμένου μετώπων ἐξέτασις γένηται. quando, inquit, in conuiuio Philoſophico oritur iocularis, vt ſolet inter epulas, diſceptatio de fronte calua, tu primus te prædicas, atque adeo de caluitio ſerio triumphas. ἔτνος oſtendit frugalitatem cœnæ Philoſophicæ. Eæ enim erant epulæ Philoſophorum ἕψημα ὀσπρίου, φακῆ, λέκιθος, quæ ἔτνους nomine comprehendũtur. Eiuſmodi eſt olla ἔτνους in cœna Philoſophi apud Gellium lib. 17. cap. 8. In conuiuiis autem Philoſophorum agitur non de vectigalibus reipublicæ, neque profecto de mathematicis aut grauioribus ſtudiis, ſed de iis quę bellaria ſunt cœnæ, hoc eſt, de friuolis, vt in

Sympo-

Symposio Xenophontis: ἐπὶ τίνι φρονεῖς μάλιστα, Σώκρατες; & hic apud Synesium de Caluitio. Iam προκείμενον ἔτνος dici, quod *appositum* Suetonius dixit, non ignoras, *anteponere prandium & ientaculum* dixit Plautus. ita vertes: *quando apposita lente frontium (caluarum) spectatio fit, aut examen.* Hanc, puto, esse mentem Synesii. Tu fortasse, si animum adiicias, melius comminisceris. atque vtinam. nos melius non potuimus. Vale, mi Thomson, & nos ama. Lugduni Batauorum 8. Kal. Quintilis Iuliani, 1600.

IOSEPHVS SCALIGER, Richardo Thomsoni suo S.

Tandem optatissimas literas tuas accepi. Mirabar qui factum esset. vt Laetius noster sine vllis a vobis discessisset. Iam instituebam querelam de silentio tuo. Sed acceptis tuis literis te culpa simul, & me cura liberaui. Mei Martialis vnicum tantum exemplar accepi. in quo πάρεργον τοῦ ἔργου κρεῖττόν ἐστι. Maximus enim Casaubonius Epistolam operi prætexuit, quæ nō minore me inuidia onerabit, quā Panegyricus Heinsii. Ego, quanquam illas dotes in me non agnosco, tamen amicos de me mentiri libenter patiar, modo hostes eius & mei eo adigātur, vt nihil quam suspendium cogitent. Ego Labbæo dederam illud opus meum vna cum Publianis, & multis aliis versionibus nostris, quas non ita contemno, vt iuuentuti vtiles fore nō credam. Tamen nescio, quod tædium Typographo

inceſſit omnia excudendi, quum ſolum Martialem tantum ediderit. Reliqua enim non minores fructus, addo etiam neque minus voluptatis promittunt. Quanti ego mea faciam, ex eo iudicare potes, quod nullum exemplar eorum retinere ſoleo. Omnia arbitrii & poteſtatis amicorum facio edere, aut, quod mihi gratius, perpetuis tenebris damnare. Phœnices literas, quod in extrema Epiſtola quæris, diu ante Moſem fuiſſe noli dubitare, eaſq; eſſ.. quibus olim Hebræi, hodie vero ſoli Samaritæ vtuntur. Multa vetuſtiſſima numiſmata eruuntur quotidie in partibus Tyri & Sidonis, in quibus Characteres illi ſine vlla mutatione exſtat. Nam lingua Hebraica eſt quæ in vſu fuit Chananæis, hoc eſt, Phœnicibus, tempore Abrahami. Syriaca vero qua vtebatur antea Abraham, locum habebat duntaxat, in tractibus Ephratis, quæ degenerauerat ex Chananæa, propter frequentem vſum & aliarum gentium commercia, quæ in Babyloniam negotiationis cauſſa ſeſe conferebant. Aſſyria enim, vt omnia priſca monumenta teſtantur, prima omnium regionum culta fuit. Ibi ſunt natales primi hominis, ibi ante diluuium poſteritas Adam manſit. Poſt diluuium conſtructa fuit magna Babylon, & omnes ripæ Euphratis ampliſſimis & opulentiſſimus vrbibus prætextæ erant, quum interea coloniæ ex illis regionibus in Syriam, & Phœniciam deducerentur, quæ adhuc æuo Moſi.., & infra illa tempora, linguæ Aſſyriæ primæ indelibatum & incorruptum ſermonem conſeruarent, quia peregrini

tegrini raro ad eos penetrarent, qui eorum linguam contaminarent. Ipsi Chananæi eos, qui ex transeuphratensibus partibus ad illos veniebant, Hebræos, hoc est, περατὰς vocabant: & ita primos Patriarchas, & deinceps eorum posteritatem vocatos, adhucque vocari nemo nescit. Propterea, quia illi non ea lingua, quam ex transeuphratensi regione reportabant, vtebantur, sed quam in Chananæorum finibus didicerant, lingua illa non Chananæa, sed Hebræa dicta fuit, quemadmodum lingua Syriaca, qua Iudæi tempore Christi vtebantur, Hebraica dicitur, quum tamen non esset Chananæa, sed Assyria. Literæ, quæ in vsu sunt hodie Iudæis, Hebraicæ nobis dicuntur mendose; quum verius dicerentur Iudaicæ. At Iudæi ipsas vocant אשוריות Assyrias, recte. Ab exilio enim Babylonico eas reportarunt, quum hactenus Chananæis vsi fuissent, vt Samaritæ ab vltima vetustate faciunt. Quare nullas literas excogitauit Moses, vt Ecclesiastici scriptores prodiderunt, neque aliquid innouauit in literis, aut sermone Chananæo. Laban loquitur Syriace, Genes. xxxi 47. Iacob lingua eius loci, nimirum Chananæa, extulit id, quod Laban materna sua Syriaca. Et tamen Abrahamo & Labani, vt idem genus, & patria, ita etiam eadem lingua communis erat. Abraham igitur loquutus primum est Syriace; deinde & ipse, & posteritas eius Chananæo sermone vsi sunt, quem integrum in Ægypto conseruarunt. Syri Maronitæ, antiquiorem Syriasmum Hebraismo quouis pignore contendunt,

quæ est summa imperitia. Nam est perinde ac si Idioma Italicum Latino vetustius esse dicerent. Certe מלך prius est, quam מלכא & multa alia, ad hanc pertinaciam expugnandam adferre possumus. Concludamus vnā linguam vetustissimam esse eam, qua sacra Biblia conscripta sunt: eam primum integram & incorruptam in Assyria fuisse, deinde peregrinorum commerciis contaminatam. In partibus autem Syriæ ad tempora prioris templi non solum inter Hebræos, sed etiam inter Sidonios, & Tyrios diu obtinuisse, quod quidem eorum numismata testantur. Iesuitæ ediderunt Romæ anno superiore ingentem commentarium in Ezechielem adeo luculenter, vt ea editio elegantiam omnium aliarum lōge superet, vt nobis retulerunt ii qui viderunt. Nam propter immanitatem precii huc non adfertur: & sane sacculus meus illos sumtus facere non potest. Si quis isthic ex opulentis proceribus Angliæ illum librū parauit sibi, poteris in eo videre multa insignia Chananæorum numismata Samaritanis literis inscripta, ex quibus haurire potes, vnde sitim tuam expleas. Ego sane discrucior, quod illud opus per pauxillos dies nondum inspicere potui, neque spes est videndi, nisi quis id sibi emerit. Sed nimium diu te tenui. Vale

Lugduni Batauorum, 9. Kalend.
Octobris Iuliani,
1607.

**
*

IOSE

IOSEPHVS SCALIGER
Karolo Labbæo suo
salutem.

Neque tu frustra querebaris, me literas tuas non accepisse, neque ego te nihil ad me scribere. Querelam nostram vna dies composuit, in qua ego omnes tuas vna accepi, cum versiculis quibusdam. Itaque de hac re quietus esto. De Arelatēsi Archiepiscopatu frustra. Omnes Metropoles iure ipso sunt Archiepiscopatus. Quot erant prouinciæ sub Præf. prætorio Galliarum, tot supersunt hodie Archiepiscopatus. Sed Arelate nūquam fuit μητρόπολις, vt pote quæ sub Viennensi esset. Sed in Decretis Gratiani memini me legere pallium Arelatensi Episcopo missum, quæ sunt ornamēta Archiepiscopalia. Sed tantū differunt ab Archiepiscopatu, quantum Consularia, & Decurionalia ornamenta a Consulatu, & Decurionatu. Eodem modo sub Salomone Comite Britanniæ Aremoricæ missum pallium Episcopo Dolensi in gratiam Comitis. Vnde per multos annos se pro Archiepiscopo gessit, qui tātum erat Episcopus. Pallium est circulus ex subtili panno, quatuor aut quinque digitorum amplitudine, ex quo duæ ex eodem panno propendent fasciæ, ita vt quum circulus humeris Antistitis impositus fuerit, duæ illæ fasciolæ a pectore, & a tergo dependeant. Quibus honoris caussa illud gestamē datur, nomen Archiepiscopi, non vtiq; Archiepiscopatum cōsequuntur; Vidi sæpenumero notitiam Episcopatuum per prouincias Galliarum, in

qua Arelatensis Episcopus dicitur Viennensi Archiepiscopo suffraganeus. Ante annos xxiii. quum essem Aquis Sextiis, ibi hospes meus præses ampliss. Curiæ secundus ostendebat mihi Notitiam ante ccc. annos scriptam, in qua adhuc Arelatensis præsul non Archiepiscopus, sed Episcopus sub metropolita Viennensi censebatur. Quandiu est, postquam illudius ei attributum, aut per dissimulationem concessum est, & quatuor suffraganei adscripti, haud temere dixerim. Hoc vnum scio, rem non esse vetustam. In xiv. Archiepiscopatibus regni Galliæ duodecim sunt iure ipso Archiepiscopi, vtpote μητροπόλεων præsules, duo autem, noui Tolosa & Arelate. Tolosa a Iohanne xxii. noua prouincia facta, attributis illi septem suffraganeis, ne quid haberet, quod quereretur Narbonensis Archiepiscopus, ex cuius prouincia ille Episcopatus expungebatur. Arelatensis autem an vnquam institutus fuerit, an per tacitum consensum in eo iure, quod sibi vindicauit, ad hunc diem manserit, nescio, &, vt dixi, res non est vetusta. Itaq; qui tibi obiicient μεμυκέναι ex Decretalibus, potes eos subnouere hac exceptione, SI METROPOLITA EST, verum est: & contra falsum, si Arelate ante quadringentos annos & infra illud tempus, adhuc erat sub prouincia Viennensi, omnino nouum esse Archiepiscopatum: & miror doctos viros hoc non aduertisse. D Græcis Martialis noſtri iterum te conuenio. Vnum moneo, in primo Amphitheatri Epigrammate me legere,

Nec

Nec Triuia templo molles iactentur Iones.

Nam vulgata lectio ineptissima est, quæ Criticorum nationem mira vaticinari adegit. Ιωνες, Ιονες, vtrumque dicitur. Diu est, quum Scriuerium de hac lectione monui. Quæ vero bona illi cõtuli ad Martialis eius editionem exornandam, ne hilum quidem nostrorum Græcorum editioni prosunt. Gnauiter proceditur in meo Eusebio. quando exibit——θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Vale 15. Kal. Martii. 1606.

JOSEPHVS SCALIGER
Karolo Labbæo suo S.

EXegisti a me ter quater interpretationem Iambi Laberiani, quasi per illam staret, quominus editioni reliquorum Græcorum versiculorum nostrorum opera dari posset. Quid si non verto, aut vertere non possum, ergo reliqua non prodibunt? Quominus locus sit querelæ, ac moram me editioni obiicere dicas, quia tibi nolui parere, en tibi mitto illorum Latinorum Græcam interpretationem totidem versibus, non vtique totidem flosculis & veneribus. Sunt tamen Græca, neque Latinitatem redolentia, tametsi a Latinis ne latum quidem vnguem discessimus. Quod si me in quibusdam dormitasse putas, id vero non mirum. E somno enim versus me facere sciunt omnes amici, hoc est, quum somnus aut per senium, aut per curas me relinquit citius, quam sat est homini dormire. Non mirum igitur si adhuc dormio in illis ver-

sibus, quos vix experrectus, ita vt Latina memoriter tenebam, expressi. Accipe igitur illos, & noli amplius mecum expostulare, de Arelatensi Archiepiscopatu vix tandem me tibi persuasisse gaudeo. Quod antiquitus Archiepiscopatus esse non posset, causam aperui, quia erat tantum ciuitas, non metropolis, idque Viennēsi metropoli attributa. Postquam vero Constantinus tyrannus ibi sedem imperii collocare voluit, eamque alteram Romam vocari edicto sanxit, ideo Arelatenses puduit Viennensibus attributos esse, vt etiam hæc ambitio progressu temporis ad ipsos Episcopos Arelatenses peruenerit, qui aduersus Viennensem Antistitem primatum prouinciæ sibi vindicare, aut saltem aliam prouinciam a Viennensi separatam instituere conati sunt. Quod quidē per pertinaciam sero obtinuerunt. Sed quando, mihi prorsus ignotum est. Obtinuisse vero, vt etiam Archiepiscopi vocarentur, ex eo paret, quod suffraganeos habent, quos non possent sine edicto regum Franciæ, & sanctione sedis Romanæ impetrare. Quando id adepti sint, vt ignoramus, ita id sero contigisse, idque barbaro seculo, non dubitamus. De contentionibus inter Arelatensem & Viennensem Episcopos super hac ambitione multa produci possunt, item de pallio ipsi Arelatensi a Romano Pontifice misso, quod est argumentum, Arelatensem non fuisse Archiepiscopum, sed Archiepiscopalibus ornamentis. Arqui scimus longe differre Consulem, & hominē Consularibus ornamentis. Deniq; omnis

hæc

hæc ambitio ex sanctione illius Constantii tyranni deriuata est: cuius constitutionem vide in Ausonianis nostris. Amplitudo quoque vrbis, vt etiam Gallica Roma vocaretur, & multa alia, tam decrementa vrbis Viennensis illos ambitionis igniculos excusitabant. Sed de his plura, quando voles. Vale Lugduni Batauorum Prid. Aprilis Iuliani 1606.

IOSEPHVS SCALIGER
Karolo Labbæo suo S.

Tandem accipe Eusebium nostrum: an tanti fuerit a tot & tantis viris eum exspectari, vos videritis; Mihi sane nihil grauius fuit, quã eum tam frustra tandiu exspectatum fuisse. Itaque temporis beneficium est, quod tãdem prodiit, nõ typographorum. Accepi Passeratii libellum de cognatione literarum, magis vtilem nobis, quam auctori glorioſum. Rari erunt, qui eo sciant vti. Nos quanti sit, ex eo æstimare possumus, quod paucorum hominum est, & plures habebit, qui non capiant, quam qui eo capiantur. Ego sane in censum bonorum eum dedico. Epigramma ** sine Grammatico non intellexissem. Risi tantum, quantum stupui de Ciuili. quid quod magis miremur nostra tulit ætas, quam hominem viuere XLIII. annos, postquam sepultus est? quam auide eam historiam egi? Quam diu est, quod nullum scriptum me am varie affecerit, commiseratione, admiratione, voluptate. Non parum de me meritus

es, qui hæc me ignorare non passus es. Memini de Arelatensi Archiepiscopatu quod ex Zosimo Papa scribebas: quam Epistolam scito commentitiam, & ridiculam esse, vt & eiusdem nomine duas nuper a Cælestino monacho editas in Bibliotheca Floriacensi. Quis tam cœcus, vt non videat, quantum sibi permiserũt homines, quibus plus otii, quã fidei superfuit? Ego multa monasteriorũ, Capitulorum, Episcopatuum diplomata vidi, Regum, Imperatorum, Ducum nomina, & scripturæ vetustatem præferentia, quæ vix vlli commentitia esse suboluit, nobis autem primo oculi conjectu odore falsitatis suæ nares nostras percussêrunt, cuiusmodi illud in fine operum Agobardi de donatione Alberici Episcopi. Anno enim Christi 830. Kalen. Decembr. Indictio erat 9. non 8. a 24. Septembr. Nondum enim Indictione Romana vtebatur Ecclesia Gallicana. Epacta erat secunda, non quartadecima. Erat annus 27. non 14. Imperii Ludouici. Hæc ψευδεπίγραφα ideo reges veros, & veras donationes præferunt, quia de illis constabat. De annis autem regum, & Epactis ideo erratum, quia amissis veris diplomatis, vel incendio, vel alia vi maiore, instauranda fuerunt instrumenta, ne monasteria prædiis donatis fraudarentur. Sed qui instrumenta commenti sunt, reges quidem nominare, & prædia donata designare potuerunt, quod eorum memoria per manus tradita esset: annum autem regis, indictionem & cetera id genus certo referre non potuerunt per imperitiam. Eruditorum enim

enim est ea designare, non autem τῶν τυχόντων. Vale prid. Eid. Iulias 1606.

IOSEPHVS SCALIGER STEphano Uberto Aurelianensi S.

Quod serius ad tuas literas respondeo, noli putare, Vir clarissime, aut negligentia aut oblivione commissum esse. Nuper. n. eas accepi, duobus mensibus postquam datę sunt. Si prius accepissē, si nihil aliud, certe ipsa voluptas, quā ex illis cepi, non passa esset me diutius silere. Quod enim toties optaveram, vt in quendam incidere, quo cum de Arabicis serio loqui possem, neque hactenus infelicitate quadam mea id cō tigerit, id vltro fors mihi, & quidem vnde nunquam putassem, obtulit. Tu enim διαφεμὶς mihi occurristi, qui multa me docere potes, quum ibi diu fueris, vbi non solum linguam, sed etiam mores hominū discere potueris. Aliquot quidem Christianos mihi videre contigit, qui a pueris linguam ipsam aut a Mauris, aut a Turcis didicissent. Sed, quod præcipuum erat, vt literas Arabicas scirent, id vero ipsis deerat. Parum enim ab illis discere possumus, qui Arabice scribere nesciunt. Scis enim duas aut tres literas ab ipsis Arabibus eodem sono proferri, vt quum aliquod verbū ab ipsis pronunciatur, in quo T litera sit, nescias vtrum ت an ط scribendum sit. Præterea Turcæ aliter, ac Pœni pronunciant. Itaq; συνίνη ἐπιστολεία plane est, & exile subsidium omne, quod aut ab illis sperare

possumus, qui literas Arabicas nesciunt, aut ab ipsis libris qui Latino charactere Arabica concipiunt. In vtrisque enim luditur opera. Quum igitur ego incredibili amore huius linguæ raperer, & ad explendam sitim meam, viua voce mihi opus esse viderem, neque tamen id consequi possem; quod vnicum mihi supererat perfugium, eo vsus sum, vt me ipso magistro vterer, quādoquidem meliorem nancisci non potui. Non paucos auctores euolui; magnam siluam verborū collegi: Grammaticos eius gentis consului: Lexicon ingens collegi. Scis quantum profecerim? Quo plura congero, eo me huius linguæ imperitiorem esse sentio. Postquam auctorem quendā bene videor intellexisse quum ad alium me contuli, in alio mundo me versari puto. Aliquoties ab Illustrissimo Domino Mauritio, & illustrissimis ordinib. literæ ad me mittūtur, vt eas interpreter. Earum aliæ a Muhammedanis, qui in India Orientali opes suas & regnum fundauerunt, scriptæ sunt, aliæ a Mauris regibus. In Indicis plana via mihi visa est. In Mauritanicis multas salebras reperi, quæ cursum meum morarentur: vt anno superiore literæ Marrociani regis continebant longissimum titulum triginta versibus rhythmicis conscriptum adeo obscuris verbis, tropis, & schematibus, vt vix tria verba assequi potuerim. Sequebantur tres aut quatuor lineæ, quæ rem ipsam cuius gratia literæ conscriptæ erant, exponebant, ita vt prologus fabula triplo maior esset. Legi etiam diploma Reguli cuiusdam Arabis, in quo

in quo verba quidem omnia Arabica agnoui, sententiam autem nullam odorari potui. Itaq; si scirem Ciceronem, si reuiuisceret, non intellecturum stylum Cancellariæ Pontificæ, aut dispunctiones Baldi, & Bartholi, in maximam desperationem huius linguæ discēdæ adductus fuissem, quod nescirem sermonem illorum diplomatum alium esse a puro illo, quo Aben Sina, & reliqui illi docti viri vsi sunt. Multum igitur falluntur, qui ex lectione vnius Epistolæ Pauli se perfectam Arabismi cognitionem adeptos esse gloriātur. Quotidie ego post lectionē tot scriptorum cogor cum Socrate dicere, me hoc tantum scire, quod nihil scio. Et tamen aliquid semper molior, vt si insciti am expugnare nō queo, saltem illam inultam non sinam. Aliquem vsum linguæ Persicæ mihi cōparaui, quia Pentateuchum eo sermone interpretatum habeo & alia quædam, ex quibus non solū iustum Lexicon, sed etiam præceptiones Grammaticæ confici possunt. Nam opulentum etiā Lexicon sed Turcice expositum habemus, quo plane totius linguæ verba omnia continentur. Quod si nobis adesset qui bene Turcice & loqui & scribere sciret, non solum Persici, sed etiam Arabici sermonis magnum Thesaurum dare possemus, quum Arabicum Lexicon penes nos sit, quo locupletius apud Turcas exstare nō puto, sed tamen Turcice explicatum, in quo potius Turcica ex Arabicis, q̄ illa ex Turcicis intelligere possumus. Elegantissima & luculentissime scripta sunt illa. Sed in Arabico prolegomena

hi hunc errorem ademtum esse. Is quem cogitabam, cliens illustrissimi Cardinalis Borbonii, accepta Lutetiæ laurea medicinæ, statim Marrocum sese contulit, vbi septem annos desedit, quod desiderio Arabismi teneretur, sine quo multa in medicina ignorari dicebat. & quidem recte iudicabat. Sed quo minus voti compotes fiant, qui Arabismi studio isthic resident, multas equidem causas adferre possem. duæ tamen hæ præcipuæ sunt. prior, quod barbari illi suspicassimi sunt, & Christianos putãt ea gratia tantum Arabica discere, vt legem Muhammedis discerere, & postea confutare possint. Altera causa est librorum penuria maxima, illorum dico, quæ studia nostra iuuare possint. Nam futilium & nugatoriorum magna copia est, qui eorum ridiculam legem interpretãtur, & phreneticam Theologiam exponunt, cuiusmodi multos vidimus, aliquot etiam habemus, quibus carere præstat, quam illis locũ inter bonos scriptores dare. Olim optimæ artes in illa gente floruerũt, quum rerum in Hispania potiretur, & opes suas in tota Africa stabiliuisset. tunc enim discendis liberalibus disciplinis gymnasia cum opimis reditibus liberalitate Regum tam in Hispania quam in vrbe Marocensi instituta, & honoraria annua Doctoribus. ac Magistris attributa. Scis adhuc collegia Maroci exstare, sed reditibus suis nuda, postquam artes bonæ in illa gente frigere cœperunt, quod malum iam etiam (heu seculi infamia) inter nos glisscere incipit. Florentibus igitur Arabum rebus, tũc summa me-

ma meliorum literarum imperitia in tota ecclesia Latina erat, quum bonæ disciplinæ inter Muhammedanos maxime vigerent. Et profecto quicquid Latini scripserunt, postquam illos insciticæ suæ monuit Arabum industria, id totum Arabibus acceptum debent, Philosophiam, Medicinam, & Mathematica. Nam nullum Græcum scriptorem habuerunt, quē non in Arabicam linguam prius, deinde ex Arabica in latinam translatum legerint. Ptolemæi magnam Syntaxim prius ex Græca Arabicam, ex Arabica Latinam factam tractare cœperūt. Sic Euclides prius Arabice deinde Latine conuersus, tādiu inter nos obtinuit, donec capta Constantinopoli exules Græci nos docuerūt relictis lacunis ad ipsos fontes nos conuertere. Sed iam quod supra attigimus, artes in Africa pene exstinctæ sunt. Si quid Muhāmedanis bonæ messis reliquum est, id vna vrbe Constantini residere puto. neque fallor. Inde igitur quædam bona exemplaria peti possunt Arabica & Persica, idque Iudæorum ope, qui prius immani mercede conducendi sunt. Tametsi enim nos inexpiabili odio prosequuntur, tamen nihil tam carū penes eos est, quin spes nummi ab illis extorquere possit. Præterea sunt inter illos non pauci, qui Arabice bene sciunt, & docent & quia Hebraicæ linguæ rudimenta meliore methodo ab illis collecta sunt, quam præcepta Arabismi a Mussulmanis, ideo melius, quam illi, Arabismum docent. Adde quod Christiani, qui Grammaticam Hebraicam didicerunt, plus Arabismi in

vno die, quam quiuis Mussulman sus quantumuis bonę indolis in mense solido cõequi possit. Venio nunc ad epistolam tuam. Quod ais Arabismum, quo Mauri hodie vtuntur, ἰδιωπικὸν esse, & a prisco desciuisse, vt Italicum a Latino, id non ignoramus quidem in multis linguis cõtigisse. Sed q̃ro vnde hoc fiat, quod omnia scripta eorum hodierna, epistolæ familiares, syngraphæ, cantilenæ circulares emẽdatissimo Arabismi genere conceptæ sunt? Nam & diplomata regum, quæ habemus, eo modo vetere lingua cõscripta videri possint, quo Imperatores Germani, & quidam alii reges, ac Respublica Veneta edicta sua, & si qua sunt id genus, conscribere solent. Sed cantilenæ Mauritanicæ, quæ penes me sunt, puro Arabismo conceptæ sunt, eisdem syllabis desinentes instar rhythmorum nostrorũ. Mercatores Massilienses, qui inter Ægyptios Mussulmanos negotiantur, & a prima pueritia Arabismum Alexandriæ & Cayri imbiberunt, quum ego de multis eos interrogarem, quæ ad illam linguam spectãt, nihil nisi mere Arabicũ, & emendatissimũ respõderunt. Et sane nos scimus, Ægyptios hodiernos illa lingua loqui, qua libri meliores cõscripti sunt. Syri Maronitæ Liturgias suas & diurnalia duplici lingua legunt, Syriaca vetustissima, & Arabica. Syriacã non intelligunt, nisi qui Grammaticis operã dederũt, non magis quam Christiani Latinã sciunt, nisi ex præceptis Grãmaticæ. At Maronitæ Arabicã vocant maternam & vulgarẽ, vt mihi vnus Meredinæus natione indicauit. Ea fœminæ, rustici, pueri

ci, pueri vtuntur in Ægypto, in Palæstina, in Phœnice, & reliqua Syria. Non dubito tam in Africa quam in Syria esse, quorum dialectus βαρβαρίζει. Sed agrestes quos ipsi بدويين non autē aulicos & vrbanos, qui حضرى ate vocantur, & nos quoque scimus verū esse: quemadmodū in Pictonib. soli rustici Pictonice, nobiles vero & honesti viri dialecto aulica vtuntur. neq; magis puto differre Arabismū vernaculū a prisco, q̄ Pictonismum ab aulicorum Gallorū sermone. Aliquot Syngraphas quoq; negotiatorū Alexandrinorum & Cayrensiam vidimus mero & castigato Arabismo cōscriptas, ita vt nobis interprete opus non fuerit. Pronūtiationem vero ita inter eos variare mirum non est, quū memoria patrum nostrorum eadē diuersitas in Latina lingua animaduersa fuerit, p̄sertim in Gallis Francoceltis, quos Latine loquētes Itali putabant Gallice loqui. Anglorum vero etiā doctissimi tā praue Latina efferunt, vt in hac vrbe, quum quidam ex ea gente per quadrātem horæ integrum apud me verba fecissent, neq; ego magis eum intelligerem, quā si Turcice loquutus fuisset, ego hominem rogauerim excusatum me habere, quod Anglice non bene intelligerem. Ille, qui eum ad me deduxerat, tantum cachinnum sustulit, vt mea nō minus interfuerit pudere, quā ipsius ridere. Sed & Turcica lingua aliter Constantinopoli aliter in partibus Anatoliæ pronuntiatur. Cuius testes ha-

beo homines summa fide, & qui diu inter Turcas vixerunt, vt taceam mirum discrimen inter pronunciationem, & scriptionem. Scribunt ת & pronuntiãt Beng. & alia ad eum modum, quæ non memini. Quid? nonne idem nos Galli facimus? Non Angli in quorum idiomate magis eminet ea diuersitas, quam in reliquis totius Europæ. De Punica vero lingua, quod scribis longe aliam esse hodiernam, quam Carthaginiensium, eius specimen egregium exstat in Plautina Pœnolo: nos scimus Afrorum, Numidarum, & Maurorum linguam, qua Beduin; siue agrestes vtuntur, tam differre ab Arabismo, quam Teutonismum ab Hellenismo Eius linguæ meminit Iohannes Leo in sua Africa, neq; pauca de ea scribit. Nos quædam eius ἀποσπασμάτα habemus in libro Astrologi Tunicien sis Arabico. in quibus ne minima quidem nota Arabismi comparet. At Plautinæ Pœnoli dialectus parum abest a puritate Hebraismi. Tempore enim Elissæ, quæ colonias Pœnorum in Africam deduxit, vniuersa Phœnicia & Palestina puro Hebraismo vtebatur, & literis quæ hodie supersunt apud Samaritas, & puræ sunt Phœniciæ. Vide vicissitudinem rerum. Lingua, quam Hebraicam vocamus, & qua vtuntur sacra Biblia, falso eo nomine a nobis appellatur, quum sit Phœnicia. Ea intemerata mãsit in Assyria a primo vsq; homine, donec commerciis & negotiationibus exterarum gentium defecit a prima puritate, & in eam linguã defciuit, quæ Syriaca

Syriaca vocata est; & iam tempore Abrahami & Patriarchum in vsu erat, vt perspicue constat ex Genesēos 31 47. vbi tumulum Iacob Phœnicia lingua *Galed*, Laban Assyria *Iegarsahadutha* vocat. Quum Abraham venit in Canaan, quæ est Phœnicia, Assyria & transeuphratēsi lingua vtebatur, vt illi opus fuerit Phœnicium vt pote nouo inquilino discere: Isaaco, & Iacob opus non fuit, vt pote qui in ipsa regione nati essent. Exteræ nationes longo post tempore, atque adeo ipsi Israelitæ eam linguam Hebræam vocarunt, ab Abraham, qui quod ex transeuphratensi regione venerat, Hebræus vocatus fuit. Id enim proprie est homo, qui ex transeuphratensi regione venerat, hoc est, Græce περάτης, vel περατικὸς עִבְרִי. Ita enim primus Abraham, & deinde eius posteri vocati. cuius rei vetustima memoria extat Genes. 39. 14. Ab eo igitur Cananæa, siue Phœnicia lingua vocata est Hebraica, propter Hebræos, quia solorum Hebræorum libri, qui ea lingua vtūtur, nobis noti sunt. Hæc ergo vicissim do q̄ proposui, notanda est: quod in regione Assyriæ, in qua nata est ea lingua, propter innumeratū gentium cōmercia, & varias mutationes imperiorum, florem illum & nativum nitorē diu obtinere non potuit quum integer manserit in Phœnicia propter rarū exteraruth gentium appulsum ad eos tractus, qui exteris explorati non fuerūt antequam Sidonii & Tyri imperium maris obtinerent. neque tamen propterea statim indoles illius linguæ mutata est, vt apparet ex annalibus Phœnicum, quorum frustra extant apud Iosephum, & Philonē

Bybliensem, citante Eusebio. Dido igitur, quæ & Elisa, linguam Phœniciam cum characterib. in Africam intulit. Et lingua tamen tempore Plauti a prisco Hebraismo desciuerat, vt ex Pœnolo patet, & literę Punicæ mirum quantum ab illis Samaritanis diuersæ, quod nummi Carthaginiensium testantur. neque enim figura conuenit, neque ordo legendi. Nam Hebræi & veteres Phœnices a dextris sinistrorsum, Pœni Carthaginenses contra a sinistris dextrorsum more Græcorum & Latinorum legebant. Quæ huc pertinent, neq; per modũ epistolæ hic locũ habere possunt, pete ex Diatriba ei rei in Eusebianis nostris dicata. امشي كلب كافر illud. كافر quo nos vocare solent recutiti Ismaelitæ, mire pronũtiant Turcæ, quo scripto repræsentare nõ possum, quomodo me docuit Iustus Raphelengius, qui Cõstantinopoli Turcismo operã dedit. تعرف لغت العربية οἶδας διάλεκτον Αραβικὴν frequẽtius dicũt, q̃ sine illo لغة. *Naref*: Ita sane pronuntiant, sed tamen quod scribendum sit اعرف انا.

Nam Elif, quod initio positum est, ὀξὺν ἀνεφώνητον, scribitur, non pronuntiatur, cuiusmodi Alef Hebræi vocãt furtiuum. Ex illis quæ posuisti quum vulgo vsurpentur, & mere Arabica sint, non autem ἰδιωτικὰ, potes iudicare integrum

teg rum & incontaminatum Arabismum adhuc inter illos superesse. Saluam mihi mouisti de illo iuuene Turca. Vtinam illius opera per aliquot menses nobis vti liceret. Sperarem, qui vix carceribus emissus sum, me posse breui metam contingere, & tales fructus producturum, quales ab homine Latino nullus Arabs exspectare posset. verum nobis nō licet esse tam beatis, quibus omnia semper aduersa fuerunt, vt non satis deplorare infelicitatē nostram possim, quā πάντη πάντοτε καὶ ἐπὶ πάντων quotidie experior. Versionē illam Alcorani nō sine caussa amo. Interpres n. facit fidem, se peritum illius linguæ fuisse, sed Deum immortalē, quam inepta est vulgaris illa, quā habemus, interpretatio: quæ quū primo, vt appareret ex præfatione Petri Cluniacensis, fideliter administrata esset, postea ambitione audaculi illius, qui eā exornandam suscepit, vt Latinius loquentē faceret, ita deprauata est, vt raro cōtingat aliquid esse, quod ad mentem Arabicorum faciat. Itaq; nemo ex ea translatione speret se Alcoranū intelligere. Quidam Italus iamdudum idiomate suo expressit Latina, non Arabica, quæ nunquā vidit, neque si vidisset, intellexisset. Tamen ausus est in liminari epistola scribere, se ex Arabismo vertisse. Lexicon meum domesticum (nam id in extrema Epistola te scire velle scribis) constat ex viginti millibus vocum plus minus, sed quia non omnes sunt primitiuæ, vt Grammatici nostri loquuntur, vt Hebræorum magistri, radicales, non possunt esse pauciores octo mil-

libus,& tamen ex tanta segete paruam messem colligo, qui mihi conscius sim, quantum mihi superest, vt eius linguæ mediocrẽ peritiam consequar. Auctores, ex quibus illum Thesaurum collegi, hos tantũ memini: More hanneuochin Arabice a Rabbi Mose ben Maimon cõscriptus litera Iudaica nõdum editus, cuius Hebraicam quoque interpretationem habemus. Liber plenus bonæ frugis, abstrusæ eruditionis, & Theologis Christianis apprime necessarius. Nouum testamentum integrum luculẽta litera, in Thebaidos deserto conscriptũ. Tres Euangeliorum paraphrases diuersæ. Apocalypsis alia ab illa superioris Noui testamenti. Pentateuchum Arabicum Rabbi Sahadiæ Gaon, cum eiusdem Persica interpretatione. Pentateuchon aliud manu scriptum alio Paraphraste anonymo, cuius dictio valde a superiore diuersa, Characterc Iudaico. Pentateuchum Christianum Arabicum in Africa, aut Hispania conscriptum, characterc Mauritano, vetustissimum, optimæ notæ, sed lacerum. Auisena, Euclides Lexicon Raphelengianum Latino Arabicum. Character Latinus est Longobardicus, vt falso vulgus vocat. Arabicus Mauritanus, elegãtissimus. optimus liber, ex quo non solum multa hausi, quæ ad Arabismum, sed etiam quæ ad sermonis Latini cognitionem pertinent. doleẽdum integrum non extare: & absque me fuisset, qui folia lacera conglutaui, & fragmẽta omnia collegi, iamdudum fere totus periisset. Diurnale Maronitarũ characterc Syriaco Horologium, hoc est, horæ matutinæ,

tutinæ Preces Christianæ, & quædam Beati Ephrem Syri charactere Syriaco cum interpretatione Syriaca. Dictionarium Gratinatense Hispano arabicum. Alcoran, omnium librorum, quos videre memini, elegantissime scriptus. Astrologia Muhammedis Tunicien sis cũ Commentario. Optimus liber, quem fortasse, si vita suppetat. Latine reddemus. Scriptus est charactere Mauritanico. Lexicon Syro arabicon ex lexico Bar Aly Syro, & alio anonymo tineis corroso a nobis concinnatum, & manu nostra descriptum. Psalterium Nubiense, Psalterium aliud alio Paraphrastè calamo exaratum. Aliud ex Syriaco inter lineas Syriai, quod non ex 70. interpretibus Græcis, sed ex Hebraico interpretatum est. Liturgiæ tres Elkupti, ex quo explari Marcus Velser curauit eas Romæ ab alumnis Maronitis collegii Gregoriani Latine verti, in quo munere quantum errauerint, Velsero ipsi per literas indicauimus. Colloquium ductũ Mussulmanorum ex Mecha redeuntium de nugis Alcorani, liber elegans. Chronicon Samaritarum ab exessu Messis, ad tempora Antoninorum Augustorum, charactere Samaritano. Nomacanon, siue liber ciuilium legum in folio, charactere Maritano, accurate & luculento. Geographia per septẽ Ptolomæi Climata. Lectionarium vetustissimum Arabum Christianorum. Arabica sunt sine punctis diacriticis. Græcus textus e regione appositus ex Prophetis & Nouo testamẽto litera quadrata, q̃ capitalem vulgus vocat. quod est argumentum vetustatis non infimæ. Quia puncta diacrita absunt, quæ lite-

ras similes, sed potestate diuersas a se discernunt

vt ق & ق ن & ن

propterea non nisi a peritis linguæ legi possunt. Florilegium ex Chrysostomi homiliis in quatuor Euangelistas, sine punctis diacriticis, quorum commentariorum lectio eo operosior, quam superioris libri, quod in Lectionario adiuuamur interpretatione Græca e regione apposita. Hic vero diuinandum semper fuit, antequam sententiam assequi nobis contigerit. Atque hæc quidem meminimus, ex quibus lexicon nostrum contexuimus, neque tamen præstare audeamus aliquam mediocrem Arabismi cognitionem nos adeptos esse. Hoc audacter profiteremur, si Turcam aliquem studiorum nostrorum adiutorem haberemus. Sed de Postelli Grammatica pene exciderat monere, eam ex vulgaribus Arabum magistrorum præceptionibus collectam esse, vt nõ nisi interpretis vice functus sit. Quare bonam operam eum nauasse, deque Arabismo eo nomine optime meruisse, dubitandum non est. Sed de eo hoc certo prædicare possum, eum Arabicæ linguæ non adeo, quantum videri volebat, peritum fuisse. Nam præter quædam, quæ parum cauisse videtur in historia Orientali, ex familiari eius colloquio id plane deprehendere potui. Eodem enim cubiculo vsi sumus, & meo lecto illi cessi, quum sperarem me ex eius congressu quotidiano aliquem fructum percepturum. Sed nondum hebdomada

integra

integra mecum habitauerat, quum in carcerem coniectus fuit, homo quem insania ab omnis malitiæ suspicione vindicare poterat. Et qui aliter de eo iudicant, longe decipiuntur. Imperitiam Arabismi potes animaduertere ex interpretatione primi capitis Alcorani, quam matrem vocant Mussulmani, quam omnem, præter tria aut quatuor verba, infeliciter reddidit. Sed iam sentio me modum epistolæ excedere. Vale. IIII. Eidus Martias CIↃ. IↃ. CVIII. Lugduni Batauorum.

IOSEPHVS SCALIGER
Claudio Salmasio S.

ΗΘος χαρακτὴρ ἔστιν ἀνθρώπου λόγος. Id ve um esse ex binis literis tuis percepi, in quibus non solum mores tuos, sed etiam doctrinam, qualis esset, deprehendi. Ecquas gratias tibi habebo, qui quod vix sperare audebam, id mihi vltro obtulisti? Epigrammata, inquam, illa Græca: quæ ideo desperaueram, non quod ab optimo & eruditissimo viro Gruttero nostro me quidquis impetraturum diffiderem, sed quia neque fas videbam esse codicem ex Bibliotheca educi, vt huc mitteretur, neque putabam esse isthic, qui molestam illam prouinciam Græca describendi suscipere vellet, & voto meo satisfeciſti, & diffidentiæ ante exspectatũ succurriſti. Quod tantum beneficiũ tuum quo genere laudis prosequar, aut quomodo prædicem, equidem nescio. Scito tamen me illud inter prima beneficia habere. Quod igitur consilium a nobis petis

de illorum Epigrammatum Græcorum editione, non auctor tibi sim obscœna, & ἀνάγνωστα illa edere, tum quod non solum animos castiores offendere possint, sed etiam maledicorum linguas in te prouocare; tũ quod pauciſſima sunt, vt illis carere non magna iactura sit. Reliqua etiamsi puerorum formam, aut alia quæ commendant, non ideo flagitiosa sunt, nisi fortasse secundum Bucolicon Virgilii, & quædam Tibulliana de libris tollenda censemus, & priscos fere omnes poetas ita euiremus, vt etiam interficiamus; quod stultissime in Martiale a quibusdam asinis factum videmus, qui, vt alia taceam, vbi LASCIVVS apud Martialem legitur, in aliud nomen mutarunt, quasi lasciuos aliquos vocare sit flagitiosum, aut lasciuus idem semper significet, quo alicuius aut salacitas aut libido notatur. Risi, quum ea, & similia legerem. Non igitur paruam a studiosis gratiam iniueris, si totum ἀνθολογίας volumen cum illis, quæ hactenus desiderata sunt, edideris, & omnia in sua capita conieceris. Multa legimus apud Suidam, quæ videbantur in vulgata editione non exstare. Sed tu, quantum ex chirographo tuo colligo, ea animaduertisti. Callimachi Battiadæ multa agnosco, quæ illius esse Doricus character satis probat. Reliqua Callimachi nomine, vt stylo, ita dialecto differunt. quæ vt non negem esse illius Battiadæ, ita temere non affirmauerim. Sane magna discrepantia. Sed omnibus de hoc libere iudicare per me licebo: quandoquidem ego ipse con-

iecturæ

jecturæ meæ diffido. In quibusdam ego furta duorum summorum poetarum Latinorum deprehendi. Nam illud, ἥμισυ μὲν ψυχῆς ἔτι τὸ πνέον totum expressit Porcius Licinus vetus poeta *Aufugit mi animus. credo, vt solet, ad Theotimum.* Tantum nomen pueri mutauit, qui in Græco est Κηφισσός. οὐκ εἶσ' εἰς Κηφισσόν; ita enim legimus. Si Gellius, qui opponit elegantiam Latinorum Græcis poetis, illud Epigramma ad verbũ ex Græco imitatum sciuisset, profecto nunquam illi in mentem venisset, vt, quum ingenia Latina extollere vellet, & Græcorum lepori opponere, poemation in medium produceret, quod non Latini, sed Græci argumenti est. Alterum furtum est Horatii sermone II. lib. I. *leporem venator, vt alta in niue sectatur*, &c. Habes totidem fere verbis, ὦ γρευτὴς, Ἐπίκυδες, ἐν οὔρεσι. Hæc satis erant ambitiosis & famelicis ingeniis ad instruendum aliquot capita Miscellaneorum, aut Variarum lectionum. Vtinam τὰ Μελεάγρου vna misisses, vbi singuli poetæ singulis floribus comparantur. Idem περὶ τῆς Φιλίππου νεαρῆς σελίδος dico. Nam quæ delibata ex illis ad me misisti, non sinunt patienter me cetera desiderare. Fac, amabo, ne diutius illis caream. Si tanti desiderium meum, vel potius preces feceris, vt omnium horum autographum tuum mittas, curabo, vt summa diligentia & optima fide omnia tibi remittantur. Quæ vero iam accepi, si per idoneum hominem tibi recte curare potero, propediem accipies. Sin minus, ad proximas nũdinas differam. Sed for-

tasse interea non deerit opportunitas. Tamen prius Stephani ἐθνικὰ a te exspectamus, si quidem parata habes. in illo auctore melior pars literarum Κάππα & Λάμβδα deest: & præterea multa sunt suspecta, alia perspicue vitiosa, quibus sine codice mederi ne optima quidem ingenia possint. Quid est, quod e re literaria magis facere possis, quam hæc publicare? Sed quomodo vlla interpretatio Latina e dignitate adiici possit, non video. Est enim mecum Lexicon, vt Pollux, cuius qui versionem Latinam dedit, magis sese illo facto traduxit, quam commendauit. Hæc est sententia mea, non qui te a tua dimouere postulem; Nam si tibi ita videtur, nolim te a proposito tuo deterrere. Melius tamen tibi consultum fore credo, si hoc labore supersederis, ex quo tenuissimus ad imperitos, nullus ad doctiores fructus, ad te vero nulla gloria peruentura sit. De hoc deliberabis, sed ita ne mora deliberationis editionem, quam auide exspectamus, impediat. O quam præclare de omnibus merebere, si nos diu ea carere non patiare. Vale. Lugduni Batauorum. IIII. Eid. Mai Iuliani. CIↃ. IↃ. CVII.

Editionem ἀνθολογίας poteris augere multis Epigrammatis, quæ passim apud auctores leguntur, & aliis præterea quæ in veteribus inscriptionibus exstant. Quum in eo fueris, vt prælo eam committere tibi decretũ sit, ego de omnibus tibi consilium dabo, & addam, quæ fortasse non ingrata erunt.

Iterum vale.

IOSE-

JOSEPHVS SCALIGER
Claudio Salmasio suo S.

Auli Silentiarii ἔκφρασιν, καὶ στέφανον Meleagri, accepi. Has epulas gratiores fecit condimentum a literis tuis, longissimis quidem illis, sed nimium breuibus pro modo voluptatis, quam ex illis cœpi. Sed de illis postea. De Silẽtiario prius vt animi, sic poeseos Græcæ, quatuor tempestiuitates fuisse animaduerti. Prima fuerit illa, in qua principes Homerus & Hesiodus. Hanc potes iudicare atque adeo vocare ver poetices, pubertatem potius, quam infantiam. Excipit eam æstas non feruida quidem, sed quæ ex illo vere vestigia non obscura retinuit, in qua Onomacritus, Solon, Tyrtæus, & quisquis fuit auctor τῶν ἤοιων, καὶ τῆς ἀσπίδος, quam præpostero iudicio Criticorum natio Ascræo illi attribuit. Autumnus ab æstate non degenerans præstantissimos homines extulit, sed maiorem partem Grammaticos, in quibus τὴν πλειάδα ponas licet. Quid ingeniosius Callimacho, quid Apollonio pressius, quid Theocrito amœnius? Hactenus bene cum Musis agebatur. Initium hyemis suaues fœtus protulit, Dionysium τὸν περιηγητὴν, quem cum poetis τῆς πλειάδος contendas licet, & Oppianum longe illi dissimillimum, quem nimis floridus character non passus est sese intra modum continere. Sed posterioris seculi poetæ, dum illam vbertatem affectant, nihil præter strepitum verborum, & ampullas attulerunt; Qui in hoc genere licentius

velificati sunt, primas obtinet Nonnus ille Panopolitanus, cuius redundantiam in Dionysiacis excusaret materia, nisi in Euangelii paraphrasi maiorem immodestiam, vt ita loquar, professus esset. Eum ita soleo legere, quomodo mimos spectare solemus, qui nulla alia re magis nos oblectant, quam quod ridiculi sunt. Parcior & castigatior quidem Musæus, sed qui cum illorum veterum frugalitate comparatus, prodigus videatur. Neque in hoc sequimur optimi parentis nostri iudicium, quem acumina illa & flores declamatorii ita cœperunt, vt non dubitarit eum Homero præferre. Huius Musæi aut æqualis aut non multo posterior Silentiarius vsus est vitio seculi sui, quæ tamen virtus erat, strepitus verborum, ambitus sententiarum, compositio Dithyrambis audacior. Eiusmodi est ἐκφρασις ista. Quod vno verbo exponere poterat, maluit binis, trinis versiculis producere. Me quidem ista non offendunt, qui seculi morbum noui. Sed qui nihil præter illos veteres legerit, quum ad hæc se contulerit, tres continuos versus non patienter leget. Iuuat tamen nos, quod templi illius augustissimus adyta omnia nobis reserauit, vt illi gratias non tanquam poetæ, sed tanquam Historico agamus. Iambus autem, quem operi præposuit, adeo infans, ieiunus, hiulcus, ἀπέσατος est, vt tyronem potius, quam maturum poetam agnoscas. Legendus tamen est & nobiscum agi præclare arbitremur, quod summo Dei beneficio ea nobis superstant, quæ salua esse permagni

gni intereſt reipublicæ literariæ. Pauciſſimi harum rerum guſtum habent, non quod eis ingenium deſit, ſed quia illarum vſum aut nullum, aut perexiguum habent. Nos in hoc aliquid nobis tribuimus, non quod ingenio meliore ſimus, quam illi, ſed quia diutius in illo ſtudio verſati ſumus. Dicam libere: neminem hactenus vidi, qui bonum Iambum Græcum faceret aut, quod minus longe eſt, qui quid ſit bonus Iambus, ſciret. Omitto Græcos. Maximus ille Criticus, quam pueriliter de Tragœdiis Senecæ iudicat? Diuinam Tragœdiam Troadas magiſtelli potius, quam Senecæ opus eſſe ſciſcit. In hoc qui illi aſſenſum accommodet, præter imperitos harum rerum, reperiet neminem. Nam illa Tragœdia eſt princeps omnium Senecæ, quas nouem aſſerimus eſſe. Octauam autem Memor s fratris Turni eſſe non dubitamus. Quid de ſeniore Critico dicas, qui in Ariſtotelis poeticen Commentarios ſcripſit, & tamen verſus a ſoluta oratione neſcit diſtinguere? Hæc, quæ priore loco dicenda mihi erant. Pergo ad Epiſtolam tuam. Non multum te morabor; Vtinam χριστιανικὰ, quæ ſunt ἀνέκδοτα, nobis aliquando mittas. Exſpectabimus ea, vt tertio hoc beneficio tibi nos deuincias. Non poſſunt enim eſſe non vtilia, quandoquidem vetuſta ſunt, vt quam gratiam a ſtylo non poſſunt, eam ab argumento ineant. Quod addis de Xylandro, non illi ſoli contigit ταροῤῥῶν. Cauſſam harum hallucinationum nullam inuenio, præter properantiam. Qui enim eum

familiariter nouerunt, aiunt mercedem a mercatoribus inuitatum scripsisse, vt familiam aleret. Nam quemadmodum qui eius eruditionem compertam habuerunt, per inscitiam eum peccasse nunquam concedent, ita qui tenuitatem fortunarum eius non ignorabunt, facile ea παραγράμματα excusabunt, atq; condonabunt, quia neminem latet eum summam vigiliarum suarum in celeritate posuisse, quæ, si intra modum sit, diligentia est: si fines migret, est præcipitatio. Tuum est & indicare, ne rudiores in illos scopulos offendant, & excusare, ne animaduersio illa propior sit obtrectationi, quam castigationi. Doctis & probis semper honos suus & reuerentia debetur. Contra maledicos inuitos pati non debemus, nisi forte contemnere malimus. Nam superbi magis offenduntur silentio, quod se contemni putent, quam responso, ex quo triumphum captant, quasi digni, qui meliorum odium aut irā meruerint. Vale Lugduni Batauorum XII. Kalend. Decembris Iuliani CIↃ. IↃ. CVII.

IOSEPHVS SCALIGER
Claudio Salmasio S.

Nunquam ab epistolis tuis discedo, nisi doctior. vel in hac, quam proximis nundinis accepi, quam me beasti tum ex alieno, tum ex tuo? Nam quid dicam περιβωμίτης, quem in illa posuisti? De cuius vetustate dubitare nō possunt, nisi qui veteres poetas accurate non legerunt, neque

neque vero menda portentosa, quibus deformatus est, impediũt, quominus spectata sit eius venustas, quam melius perciperemus, si integriore & emendatiore frui liceret. Sed hæc vlcera non tangere melius fuerit. Illudunt nobis coniecturæ nostræ, quarum nos pudet, postea quam in meliores codices incidimus. Quædam blandiuntur mihi, quæ tamen totius poematii intellectum non præstabunt. Eiusmodi ludicra duorum generum sunt, vt scis, γρῖφοι, καὶ αἰνίγματα. Priorum obscuritas est in verbis, posteriorum in sententia, quæ facile deprehenditur, si ansam aliquam habueris, hoc est, si aliquid occurrat, quod non ignoretur, vt apud Gellium ex Varrone de Termino, non ignoratur, quis *Ioui ipsi magno noluit concedere.* At aliter in Gryphis occurrit, in quibus quot verba, & tot αἰνιγματώδη sunt, præsertim in hoc & Theocriteo βωμίσκῳ, & in Fistula. Videor tamen, & si quæ mutauero, vera omnia præstare non ausim, sententiam plane assecutus esse. Ara hæc est Corinthi, in qua nulla victima immolabatur, de qua nihil memini me legere, Perspicua tamen sententia est, ὁλκὸς οὐ με λάβρος ἱερῶν λιβάδεσσιν, οἷα χάλκην ὑποφοινικεῖν τέγγει. *Non largus tractus aut fusio* (sanguinis) *me tingit, victimarum aspersionibus* (cruore) *qualiter purpuram puniceam. Imo secespitæ Naxia cote subactæ parcunt peculo Panos.* Id est nulla victima hic cæditur. παμάτων, non παμμάτων. aliter πώεα ab eadem origine. οὐ στροβίλου (non στρομίλου) ἰξὸς εὐώδης μελαίνει τρεχνέων με Νυσίων. Strobilus, fructus pro ipsa arbore.

Non viscus, id est, liquor, *pinnum*, resina scilicet, *me inficit fuligine stipitum Nisiorum*, hoc est, pinnum Nysi, aut Nysæ insulæ. nullum lignum hic crematur, quia nullæ adolentur victimæ. τρέχνος est στέλεχος. *Inspicis enim me aram finitimæ terræ lateribus, neque Abylæ compactum glebis.* μήτε τ' ἀγχούρου, supple γῆς τ' ἀγχούρου. ἀντὶ τῆς ἀγχούρου. vt τ' ἀγαμέμνονα pro τὸν ἀγαμέμνονα. τ' αὐτοῖς, τοῖς αὐτοῖς. Vbi sit ea ἄχουρος καὶ ἀγχιτέρμων γῆ, non dubium est, quin in agro Corinthio, vbi ipsa Ara; Alybe est in Thracia. Sunt & alia eiusdem nominis. neque ἰσόῤῥοπος μοι esse potest ὁ κερατίνης ille βωμός Deli. *Simul enim cum Diis ipsis*, id est, eodem tempore, quo Dii nati, *nouenarius numerus Terrigenarum me fabricauit.* Qui sint illi Terrigenæ nouem, quæratur. τάων, ἀντὶ τοῦ τῶν, vt Gallimacho νησάων, quanquam pessime & sine exemplo. *quorum Terrigenarum artem* πάλμυς ἀφθίτων, *rex immortalium Deorum Iupiter* ἔυασε, *iubilauit, laudauit.* Σὺ δ' αὖ πιὼν· *Tu autem hausta aqua de Pirene fonte, quem Gorgonis filius Equus eruit*, δύοις, id est, δυμίασον, thus incēde, odores adole. Nam & alibi memini θύειν ἀντὶ τοῦ θυμιᾶν a veteribus vsurpatum. *Thus igitur hic crema, & libamenta inuerge. Audacter ad me accedere potes, vt pote quæ sim pura a serpentibus, quales occultat illa Ara in aruis Thraciæ* (νεοῖς. non νέοις) *quam tibi* ἀνέθηκεν, ὦ τριπάτωρ (quisquis ille sit) *dedicauit fur purpurei arietis.* Arietem purpureum, vel aureum, in quo erat fatum καὶ στοιχεῖον Mycenarum Atreum surripuisse, notius est, quam vt demonstratione egeat.

egeat. Sed an hic de eo intelligendum, non magis mihi constat, quam quis sit ille τριπάτωρ, cui fur Arietis Aram posuerit prope Myrinem in Lemno. Vides manifestam sententiam, neque dubitandum. Omnino est Ara, in qua sanguine nō litabatur, vt illa γενέτωρος in Delo. Quemadmodum verum sensum præstare possumus, ita de emendationibus cur dubitemus, facit, quod inter scribendum sub acumen calami natæ sint. Tu, cui ab huiusmodi studiis recens memoria est, non solum nostra boni consules, sed etiam quæ minus recte a nobis animaduersa, emendabis. Crinagoræ versus totus est in Cimmeriis tenebris, χείονται νεφροῖς πῖαρ ἄπεστι νόσου. Quid monstri hoc est? Ait inalpinos Ligures furaturos, sese munire vnguine, vt canes fallant. Hodie non curant canes, sed aperta vi grassantur. Sed quis expediet illum versum? An legendum πῖαρ ἄπιστον ὅσον. Sed hoc est, nugari ὑπιλιπές in σύριγγι valde mihi placuit. nihil verius. dignum plane ingenio tuo. Optarem illum Gazensem legisse, sed quod commodo tuo fiat. Nolim enim tuas bonas horas morari. Vale Lugduni Batauorum prid. Eid. Iulii Iuliani CIↃ. IↃ. CVIII.

IOSEPHVS SCALIGER LECTISsimis adolescentibus Christophoro & Augustino Puteanis S.

Patrem vestrum, charissimi adolescentes, me non amisisse, iam sentio, quem video in vobis

viuere; Parentis effigiem filo corporis exprimere hoc omnibus cum aliis commune est: virtutes patrum tam rarum natis est exprimere, quam patribus virtutum suarum ac morum exempla suis relinquere posse. Quum itaque eo patre nati sitis, vt tam bonæ indolis natos gignere non potuerit, nisi & ipse talis fuisset; mihi gratulor, quod mihi contigerit eum amare, qui per natos suos reuiuiscit, & ad vos tam amicitiæ suæ, qua nos complexus est, quam virtutum suarum, quas imitaremini, transmiserit exemplum. Certe totum periisse nunquam putabo, qui se totum in vobis reddit, totus in vobis exprimitur. Frustra igitur amissum queror, quem hodie viuere experior. Itaque neq; amorem, quo me ille prosecutus est, vna cum corpore eius exstinctum puto, sed in vobis continuatum iri confido: neque vnquam eo iure, quod ille in me habuit, vos fraudari æquum censeo. Habete igitur me, chari Adolescentes, paterno iure vestrum & alterum, si vobis ita placet, patrem charitate, amicum officio.

Valete Lugd. Bat. x v. Kalen. Ian.

Iuliani CIↃ.IↃ.XCVIII.

**

*

IOSE-

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI IVL. CÆS. FIL.

Ad Isacium Casaubonum

EPISTOLÆ

CCXI. selectæ, paucæ.

ISACIO CASAVBONO Iosephus Scaliger Iul. Cæs. F. S.

EXIMIA eruditio tua, mi Casaubone, expressit a me primum admirationem tui, deinde etiã amorem; quem si non, vti debeo, palam & apud omnes profitear, malignus sim æstimator non solum tui, sed etiam literarum, quæ in hac senectute studiorum, & pene interitu suo te vindicem vnicum nactæ sunt, a quo dignitati & vigori pristino restituantur. Cum primum mihi saliuam mouissent Theophrastei Characteres tui, dicam serio, de potestate mei exiui, neque me continere potui, quin ea de te prædicarem, quæ & meritũ tuum, & amor meus postulabant: quanquam quicquid de te dixero, omne infra virtutes ingenii tui fuerit. Quantum enim memoria repetere possum omnes, qui de literis bene meruerunt, nullus succurrit, qui aut meliora, quam tu, præstiterit, aut de quo præstantiora sperare

possimus. Sic mihi persuasi: neque me fallit opinio mea. Omnia me tua delectant, eruditio, iudicium, oratio. Nihil eorū prædicauero, quin prius laudauero. Ceteri fortasse, qui meliore iudicio sunt, plura dixerint de te, vt faciunt, sed præcipua laudum tuarum nemo libentius commemorauerit, quam ego. in quo si mihi indulgere videor, non tamen tibi adulabor. Neque enim is sum, qui in laudandis aliis officii, aut existimationis meæ obliuiscar. Nos vero, qui nihil vnquam, nisi abortiuum edere potuimus, nihil aliud, quam vestigia tua premere possumus, & quæ a nobis infeliciter tentata, ea tibi explicanda relinquere. Tuum enim est hoc facere, non eorum, qui ab omni doctrina & humanitate imparati, nostra potius carpūt, quam corrigunt. Dignitas earum literarum, quas illustrandas susceperamus, fecit, vt omne, quod scripsimus, curiose rimati sint aduersarii. ærugo autem & malcuolētia eorum, vt aliuorsum, ac a me scripta sunt, accipiantur. Sed tu quantum ab eruditione potes in illis animaduertendis, tantum ab æquanimitate poteris in excusandis. Desultoria enim semper fuit vita nostra, neque vllo loco me consistere passa est siue infelicitas mea, siue vis maior, ita vt optimum studiorum coagulum otium mihi semper defuerit. Deinde & illa, quam in te non agnosco, ὑφιλάθειαν καὶ ἀυτοδιδαξίαν facile mihi parabunt patrocinium, quod ab hostibus exspectare non possum, qui mihi obtrectant, non ob eam, quæ in me est, sed quam in me hariolantur esse, vir-

tutem.

tutem. At hæc querela erat alius loci & temporis. Tu, mi Casaubone, fac, vt amicitia tua nobis pateat, ad cuius aditum vsque nos admiratio tui deduxit. Si quis est, qui in eam admitti, & non postremum in ea locum habere debet, is ego sum. Strabonem, Athenæum, Suetonium tuos auidissime exspecto. Quicquid ex ingenio tuo prodibit, erit plane & πατρὸς τὸ πᾶσιον. Binas a te accepi literas, pene eodem tempore, quarum prioribus cum heri respõdere vellem, alterę me in ipso articulo oppresserunt. Vtinam plures accipiam. Vale Lugduni Batauorum. Nonis Mai CIↃ. IↃ. XCIIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Isaaco Casaubono suo S.

Et literas tuas, postquam scriptæ fuerunt: & Suetonium minoris formæ post literas tuas longo interuallo accepi. Et harum & illius nomine maximas tibi gratias ago. Nuper vero ab amicis accepimus te in Volcis Arecomicis lares posuisse. quid meæ sententiæ esset, quod ex me scire auebas, tametsi non plane profiteri ausus eram, tamen ad animum tuum migraturientem non paruum protelũ fuisse illas meas vltimas literas sentio. Ille terrarum mihi præter omnes angulus ridet. non te pœnitebit instituti, siue voluntatem tuã secutus es, siue consilio meo paruisti. Vtinam liceret mihi res meas componere ex sententia mea. Vnum ciuem donarem Magalonensibus vestris. Sed iamdudum intelligo me

mihi natum non esse; ne meas quidem res mihi natas. Nam quid de illo homine iudicare debes, qui in Nitiobrigibus prædia sua habet, in Turonibus libros, in Batauis larem? qui totfariam distractus est, nuspiam integer esse potest. Domum habeo, inquilinus sum. Bibliothecam habeo alienis libris vtor. Nobilis sum, dubitatur. contradicitur, dedi operam literis. ignarissimus sum, & omnis eruditionis alienissimus. Ne quæras alios testes. Hoc dicunt omnes, qui volunt id esse, quod negant nos esse. Sed ad te redeo, qui Arecomicos Allobrogibus prætulisti. ἀγαθῇ τύχῃ. Ego interea hic ῥητορεύοντας βατράχους audiam, dum te perstrepent lusciniæ. Nam illæ Dauliades numquam in hæc palæstra aduolarunt hactenus. Quare triennium solidum illarum querelas desideramus. Me nubila hic intra parietes summouēt. Te in media hyeme sudum aeris, & amœna camporum oblectabunt. Quid quæris? Inuideo tibi. Ceterum de hac humanissima gente quod querar, caussæ non est. Eorum hominum comitas facit, ne in his horridioribus tractibus vllam amœnitatem mei Garumnæ desiderem. Et quantum video, me componēt μακαρίτων εἶεν. siquidem illi summo Parenti omnium placet. Nam ille solus dirigit vela nostra. interea senescimus. Ad incommoda quæ adfert ætas, accedit huius cœli inclementia, ne vno itinere ad mortem properemus. Quotidie noui inimici succrescunt. Veteres amici abeunt. Pithoeum superiore Nouembri amisimus. Douzam iuniorē Ianuario. Aiun

etiamt

etiam Flor. Christianum ambobus viam præiuisse. Non vererer, ne non satis firma valetudine essemus, ad longiorem vitam sperandam, nisi mœror & luctus ex amissione tot carorum capitum nobis manum iniiceret, & ad eos, quos flemus, traheret. Flemus, flemus eos, mi Casaubone, neq; dolori moderari possumus. Sed quid te in partē lacrimarum vocamus? Satis est nos flere, & te reip. literariæ reseruari, quæ maxime opera & ope tua indiget ad literas subleuandas in hac orbitate studiorum. Quare perge, neque pigeat laboris, præsertim in Athenæo, quem si tu nobis non restituis, a quo sperare debemus? Equidem opella nostra nulli precii est. Sed si vna essemus, non dubito, si non studia tua iuuare, at saltem laborem leuare possemus. Quod inpræsentia possum, vide, num ea, quæ mitto tibi, quæ meminisse propius potui in vitis Imperatorum, alicuius momenti sint adiuuandæ diligentiæ tuæ, non iudicio instruendo: neque enim ea confidētia sumus, vt speremus te a nobis aliquid posse discere. Hoc tantum ea gratia fecimus, vt scias me nullum laborem refugere, si modo tibi parere possum. Quod non placebit, prætereundum erit. & quidem vereor ne plura tollenda relinquendis. Edes igitur, si mihi credis, illos optimos auctores, quo nihil vtilius facere possis. De Polybianis iam admoneram amicum nostrum, sed non respondit ad ea quæ sciscitabor, neque plane videor satisfeciisse in illis, quæ quo meliora fieri possent, indicabam. Liber de Pallio adhuc postulat industriam

exornare. Potes etiam aliorum scripta iuuare. Te quoq; in hac re non solum fautore, sed patrono opus est mihi. Deeo iam ad te scripsi, neque semel ad clariss. Thuanum. Est quidã monachus Georgius, qui Chronologumena a cõditu rerum ad tempora Maximinorum descripsit. Hinc illum ad suavsque tempora excipit Theophanes quidam. in eo libro fere totus est Eusebii Chronicus labor. Quare eũ peto vtendum idoneis quidem fideiussoribus me bona fide restituturum. Si hoc impetro, luculentissimum Eusebium edemus, quem iam multis partibus excoluimus. Peto a te, vt in hac caussa me iuues, neque vnquam desistas priusquam rem impetres, Bozenuallius dabit operam, vt tuto mihi deferatur. Et nostra amicitia, &, quod caput est, publica vtilitas exigit, vt me omni ope, consilioque tuo in hoc negotio iuues. Si repulsam fero, non tamen victũ me fatebor, & quod bonitate caussæ eblandiri non potui, pertinacia extundam. Nunquam quietum Thuanum esse sinam, nisi mihi satisfaciat, & iustissimæ petitioni mei. De verbo παρεβολεύσατο, iam memini iudicii tui. & gratum est, meam coniecturam limatissimo iudicio tuo confirmari. Idem dico περὶ τελετῆς vel λειτουργίας, quam Desideratam vocari a glossario minime dubitabam. מורה הנבוכים non potest satis laudari. Ego non solum illum librum, sed etiam omnia illius Magistri opera tanti facio, vt solum illum inter Iudæos desiisse nugari dicam. Habeo illum librum manu scriptum sermone Arabico, charactere

ractere Iudaico. Quidam doctus Iudæus conuertit eum Hebraice, quem & nos quoque habemus. Sed qui Latine vertit, Hebraica non Arabica conuertit, & quidem sæpe hallucinatur: neque mentem auctoris assequitur. Non puto hodie Arabicum exstare inter Iudæos Europæos, neq; inter Christianos, præter meum. De Zabiis, scito esse Chaldæos, צבריים Arab. *Tzabim*. Dicti a vento Apeliote: quasi dices Orientales. Liber de hac gente, eorum ritibus, religione, ac moribus, quem toties citat Rambam, exstat adhuc in manibus Arabum Muhammedanorum. Hacaoth male scribitur pro Hattaoth חטאות. Magna seges mendorum est in Latino. Præter illa, quæ ab insciitia interpretis peccata sunt, accessit & insciitia librariorum, aut typographorum. Nam fere semper legitur specialem, vbi spiritualem legendum erat. Ex compendio natus est error. Ex eodem fonte manauit Prophetiæ pro Philosophiæ. Bonitatem, vbi breuitatem legendum erat cap. 32. lib. 1. Sequenti capite altitudo naturalis. scribendum, aptitudo. Infinita possem eiusmodi referre, si locus & tempus postularet. Bereschith Arabicum, quod nactus es, est Rabbi Saadiæ, vbi male בלק pro בלק. Nam Iudæi

forte cum puncto exprimunt per suum ך

neque vnquam scribunt Arabica, nisi charactere suo. Iaq; qui volet Arabice discere a Iudæis, operam ludet. Ego deprehendi Rabbinum Kimhi, & Aben Ezra nunquam characteres

retulimus quæ de Parabolanis in Codice imperiali legebamus. Et quidem tu recte παραβολεύεσθαι vbique in Chrysostomo in παραβολεύεσθαι mutandum censes. De hoc plura poteramus, nisi vereremur γλαῦκ' εἰς Αθήνας. Vtinam per te illud ῥαβούλιον Astrampsychi nancisceremur. Oro te, φιλτάτη κεφαλὴ, vt per te impetrem vsuram illius libri ad mensem vnum. Curabo, vt recte & bona fide reddatur. Eusebius noster typographum non moratur, sed illum typographus, qui nouos characteres ex Germania exspectat. Malo te videre, quam audire, quid illi auctori profuerimus. Græca meliorem partem ex obliuione media excitauimus: & omnia sine vlla exceptione reddidissemus, si nobis cuiusdam libri, qui in Bibliotheca regia est, copia fieret. Sed frustra semper illius Bibliothecæ opem imploraui. Nam qui debebat homini nihili imperare, is vero illi cucurbitæ obnoxius est amplissimus, & laudatissimus amicus noster. Itaque non est tanti tota illa Bibliotheca, & quicquid vspiam puluerulentorum librorum est, vt Scaliger vel vlli monarchæ supplex sit. De Astrampsycho iterum aurem vello. Gratum est me tibi homini tanto de Desiderata persuasisse. Cui putas alii me persuadere posse? Vix vni puto: neque flocci facio. Iam ad marginē libri mei notabo præclarum illum locum Chrysostomi, quem tibi debeo. Et Chrysostomus & tu mecum facis. quare tertium testem exspecto? Sat est. Vale. Lugduni Batauorū. Nonis Augusti Iuliani, die meo Natali, quo 62. annus mihi init. 1601.

IOSE-

IOSEPHVS SCALIGER Isacio Casaubono suo salutem.

Non diu est, quum ad te scripsi. Buzennallius, qui ad vos proficiscitur, vir tui studiosissimus, tibi meas reddet. De raritate literarũ mearum quod cõquereris, scito a me cessatum non esse: sed hominum negligentia factum, ne meæ literæ tempore ad te peruenirent. Et hoc alii quoque conqueruntur, quibus videor cessare quod rarius, quam vellent, a me accipiant. Ego, mi carissime, meam culpam, non alienam præstare teneor. Nihil vero mihi iucundius quã hoc mutuum literarum officium, & aliquando nimis raras me a te accipere conqueror, ne te solum putes, qui iuste mecum hoc expostulare possis. Accepi libellum Astrampsychi, cuius quædam habeo, aut certe ab eo auctore hausta sunt, a quo ille hausit. Postquam defunctus fuero molesta prouincia, quam inuitus tracto, vt gratum facerem iis qui mihi clitellas imposuerunt, totum illum librum recensebo, & statim remittam tibi vna cũ literis ad clarissimum Memmium, quibus illi gratias agam de comitate ista. Non solũ ipse hoc nomine de me meritus est. Exstant & patris eius in me merita, cuius Bibliotheca mihi patuit, vt vltro sua offerret, & sæpe libros vtendos etiam non roganti mitteret. De Bibliotheca regia tibi gratulor. Cui iustius patuerit, quam tibi? Potes tu hinc multa in tuos hortulos deriuare, hoc est multa in publica commoda expromere, & tua scripta

tuam. Annotaram neque pauca, neque leuia. Sed liber mala manu aliqua mihi sublatus est. Scis tamen antea recte legi in vetustioribus editionibus, vt Sibylla non mendax, &c. Retulit enim latine, quæ illa Græce dixerat, Καὶ Σάμος ἄμμος ἔσῃ καὶ Δῆλος ἄδηλος, καὶ Ρώμη ῥύμη. Si potero alicunde animaduersiones meas nanciſci, impertiar. Tu interea meo beneuolo in te animo fruere. opus de emend. Temp. menſe Maio abſolutum iri ſpero. Hoc volui dicere, editum. Nam iamdudum opera noſtra nõ deſideratur. Typographi ceſſatio eſt, non mea. His nundinis multa in nos prodibunt. Nobis plane conſtat de circuli quadratione, tametſi omnes obganniant. Cum omnium furor detumuerit tũc dicemus, Poſcimur Aonides. Et ſane quod perperam demonſtrauimus, nunc certum eſt, ita demonſtratum iri, vt obtrectationi amplius locus non ſit. Vale mi Caſaubone. Lugduni Batauorum 3. Eid. Februarii Iuliani. 1597.

IOSEPHVS SCALIGER
Iſacio Caſaubono ſuo S.

Magnum ſcrupulum mihi exemerunt literæ tuæ, quem priores iniecerant, cum ex illis non obſcure colligerem tibi diſplicere longiorem moram iſthic. Et certe propius vero erat, vt te diſcedeſſe exiſtimarem, neque minorem mihi metum fecerant literæ tuæ, quam tædium tibi rerum earum ſtatus, quem certiorẽ tibi optabam. Nunc ex literis tuis poſtremis hoc boni ſaltem

saltem percipio, quod per illas omni metu mihi carere liceat, quia te adhuc hærere Lutetiæ intellexi. Sed plus debeo literis amplissimi Gillotii nostri, quæ non solum omni illo timore me liberarunt, sed etiamnon vulgari gaudio affecerunt, quod ex illis intellexi te nõ ad aliam vrbem migrasse, sed ad alias & quidem meliores ædes. &, qui fuit cumulus gaudiorũ nostrorum, te regem bono animo esse iussisse: tibi ab illo omnia meliora promissa. Non meream montes auri, vt aliũ nuncium accipiam. Quare, mi amice, est quod tibi & mihi gratuler. ingenio & labore vicisti inscitiam; posterius monstrum vinces inuidiam virtute & probitate tua. Qui tibi inuident, vltro tibi supplicium dabunt. Scripsi ad te vberius per adolescentes optimos Bituricenses, a quibus serius tibi meas redditum iri puto, quod in Anglia plusculum temporis triuerunt. De loco Pauli Apostoli καὶ περὶ τοῦ παραβολεύεσθαι minus mirum est te Græce peritissimum ita sentire, quam amicum nostrum optimum & doctiss. senem nõ vidisse τὸ παραβουλεύεσθαι τῇ ψυχῇ non esse ἑλληνισμὸν, etiam concedamus τὸ παραβουλεύεσθαι Græcum esse. Sed vetus interpres Latinus omnino τὸ παραβουλεύεσθαι legit, & Syrus quoque & idem Arabs voce vsus est, quæ sonat nullam sui rationem habere, καὶ ῥιψοκινδυνεῖν. Sententiam recte reddidit amicus ille noster, sed perperam illud putat respondere τῷ παραβουλεύεσθαι τῇ ψυχῇ, quod negamus Græcum esse. Sed valde placet *parabolanum* in versione illa veteri codicis Puteani: & nos quoque huc

Arabicos didiciſſe. Itaque quod per ג ſcribendum erat, ipſi putant in Arabiſmo ſcribi per ג. item quod per ג ab Arabibus, per ג concipi putant. quia pronuntiatio Gimel apud Arabas in omni ſyllaba eſt, vt apud Gallos in Ge, & Gi, hoc eſt, mollis. Quando autem Arabes Ga volunt vſurpare vtuntur Ain cum puncto, quod eſt illorum G Germanicum. At Hebræi & Syri no habent G E, G I Gallicum, ſed eorum Gimel eſt ſemper Germanicum, hoc eſt, durum. Ita ergo concipiendum erat illud comma Saadiæ, quod characteribus Iudaicis appoſuiſti. ** Sed aliud Targum habeo manuſcriptum, ex quo idem comma producam, vt comparare poſſis inter ſe. ** Potes facile internoſcere, quæ differentia ſit vtriuſque Paraphraſtæ. Hebraice peritis facilis aditus eſt ad veſtibulum huius linguæ. Sed intra ſacrarium non niſi poſt multos annos admittuntur, vt illi μυσταγωγούμενοι. Sunt enim quidã, qui ex lectione vnius Epiſtolæ Paulinæ trihorio prodierũt Arabes, & alios docere voluerunt. Nos τυφομανίαν illam περιαλλόμεθα, qui experimur quotidie, quanti nobis conſtet parum didiciſſe & multum æſtuaſſe. Sed de his plura & vberius, vbi voles. Quando tuum opus de Critica prodibit? laudo conſilium de Critica Maſoritica. nam nullam aliam habent Iudæi, & poſterior eſt editione Talmudis. Delirant, qui puncta vocalia ſimul

simul cum lingua nata esse putant, quos ratio, vetustas καὶ ὀφθαλμοφανίαν ipsa insanire vincit. Nihil de ea Critica reliquum hodie est, præter magnam Masoram, quæ cum libris siue Bibliis sacris edita est. Eam recte exponit Elias vnicus huius ævi Criticus, & Aristarchus Hebraismi. Moneo iterum, vt me iuues de Georgio Monacho. Vale φιλτάτη κεφαλή. Lugduni Batauorum 6 Kalend. Nouembris Iuliani 1601.

IOSEPHVS SCALIGER
Isacio Casaubono suo S.

Omnibus tuis literis respondi, quas ad me dedisti ante mensem Decembrem. Binas postea diuerso tempore accepi; vt dubitare non debeas quin omnes tuæ redditæ mihi sint. Rabulistis remisi, quia eiusdem exempli vnum habeo. Itaque velim quamprimum certiorem me facias, an acceperis, vel potius te accepisse. Nam ille, cui dedi, tibi reddidit. Non enim credidissem librum, nisi spectata eius mihi fides esset. Sed vt me liberes solicitudine, oro verbo vno significa te accepisse. De Georgio Monacho gratissimum. Itaque quanta eius in exspectatione sum, non scribo, quia te scire non dubito. Aliud exemplar exspecto ex Augustana Bibliotheca, sed lacunosum, & multis partibus regio inferius, & quantum coniicere possum, simile illi, quod est in Vaticana. Respublica Augustana non inuita eius vsuram mihi concessit. Itaque causæ non erat, cur illius regii copia mihi denegaretur. Iam pluspquam annum cessat meus

Vbi legatus legionis dicitur Subconsul legionis: vt non mireris proconsulem pro legato vsurpari apud Tertullianũ. In Epistola ad Philippenses τὸ παραβουλεύεσθαι neque a Syro paraphraste recte redditur, neque ab Arabe, qui Syrum potius, quam Græcum contextum sequitur. Quod enim vterque posuit, idem significat, hoc est ἐξευτελίζειν astahan. Thema est *Han* & *Hin* quod proprie φαῦλον significat. Vnde *Hina* φαύλως, *facile*. Et Hispanice *Aina*, cito. Nam quarta pars, vt minimum, Hispanicæ linguæ est mere Arabica. Itque *Aina* tam Arabice quam Hispanice idem est. Mittam tibi propediem Epigrammata Martialis quæ ego versibus Græcis reddidi, noctu in grabato. Nam in hac senectute sæpe mihi somnus interrumpitur; & vigilanti succurrunt multa, quæ olim legi, quæ memoria videtur vadimonio sistere. Ea statim totidem versibus, neque raro totidem verbis concipio; & quantum possum, vt mere Græca videantur, laboro, hoc est, vt auctor eorum potius Epigrammatum, quam interpres videar. Ex illa congerie Epigrammatum, quæ mane ita, vt meditatus sum, in librum quendam confero, selegi omnia ea, quæ faciunt ad spectacula, quæ tibi dicaui, quod testor Epigrammatio quod in fronte libelli præposui. Sed quia multa animaduerti, quædam etiam non leuis momenti correxi, distuli mitteretantisper, dum mihi otium detur ab re molestissima, qua nondum me extricare possum. An acceperis literas, quibus te monebam de capitulis Arabi-

Arabicis Geneseos, scire hauco, & vt significes quam primum oro. Geographum Arabem, quominus verterim, causſa est moles occupationum, quibus sciens indui me. Sed sera pœnitentia est. Grammaticam Arabicam (nam de hoc quoque quærebas) nullam vidi, præter Postellianam. Sed Arabice scriptas quasdam habeo: quæ nihil docent, nisi puros Arabismos, vt Phrynichus Atticismos. Possemus conficere optimam, & vtilissimam. Sed multi auctores relegendi essent. Itaque illi pelago cymbam committere vereor. Tempus enim me potius quam facultas desereret. Vale Lugduni Batauorum prid. Eid. Ianuarii Iuliani 1962.

IOSEPHVS SCALIGER
Isacio Casaubono suo
salutem.

Non possum satis mirari infelix fatum literarum mearum, quæ nũquam, aut vix tandem perferũtur. Equidem, carissime, ad omnes tuas me puto respondisse, quæ quidẽ in manus meas peruenerunt. Quid si & tuæ non meliore conditione sunt, quam meæ? Nam illis, quas ad me nuper ex ante diem Iduum Iunii scripsisti, quereris ad ζητήματα tua non responsum a me. Ego scio quæ quid a te propositũ fuerit, eiusque solutionem pro captu meo me dedisse, aut saltem aliquam in meis literis mẽtionem factam, quæ tibi fidem faceret nihil in tuis literis ne minimum quidem esse, cuius rationem nõ habeam.

palam, vsque ad proconsulatum Tiberii. Hem proconsulatum Tiberii. E- quando proconsul Tiberius? mitto proconsul. quando in Africa Tiberius? nam certe non potest intelligi nisi de Imperatore. alii enim omnes cum nomine ipso citantur, Tiberius Iulianus, Tiberius Cornelius, & quidem compendio TI. solus Imperator suo prænomine tantum designatur. Cum igitur constet hic de Imperatore agi, quomodo concedemus proconsulem in Africa fuisse, in qua nunquam fuit? Quæ dicam, præsto mea fide non absurda esse, sed an vera sint, tui arbitrii facio. Tiberius Cæsar edicto sustulit cruenta sacrificia Gallorum auctore Plinio. An dubitas, quin & Afrorum infanticidia aboleuerit? mihi tam constat, quam alterum. neque debemus dubitare. Sed proconsulem vocat Tertullianus. Non, si mendum tollamus. Legimus enim, *vsque ad proconsulem Tiberii.* Scis in veteribus inscriptionibus millies legi, *Legatus Augusti proprætore prouinciæ Asiæ, Africæ, Galliæ, Britanniæ* Illi legati proprætore dicebantur proconsules Augusti; exstat inscriptio Britanniæ, quam debemus Cambdeno, in qua legatus Augusti proprætore Britanniæ vocatur *Proconsul Augusti.* Itaque Tertullianus, qui meminerat se legere sub Tiberio sublata infanticidia Africæ ab eius proconsule, cuius nomen non succurrebat, dixit, id quod erat, sub legato Tiberii, vel, quod idem est, sub eius proconsule, sublata illa sacrificia fuisse. cuius rei argumentum adducit, quod in actis Africæ legebatur, legionem,

nem, quæ in Africa tunc prætendebat, operam suam præstitisse illi proconsuli, quē nominare non potest, quia nomen nō succurrebat. nam si propius verborum Tertulliani rationem putes, videbis τὰ ILLI esse τῷ δεῖνα. Non enim colligitur hoc tempore Tertulliani accidisse. imo ex Chronologis Africæ eius sacrificii abrogationē contigisse sub magistratu illo, quem miserat Tiberius. Ipsos proconsules, & legatos imperatorū aliquando subconsules dictos fuisse reperio in veteribus inscriptionibus. Atque hæc sunt, quæ tibi respondere possum. Meliora enim non habui. Sed tu doce me, quare Seuerus, filius eius Caracalla, Antoninus Heliogabalus, Alexander Mammææ, Macrinus, Aurelianus, sæpissime in veteribus inscriptionibus Proconsules vocantur. Hoc non mediocriter mirari soleo, quia causam ignoro. Inscriptio Britannica, cuius modo memini, est Mussel-burgi in Scotia. APOLLINI GRANNO. Q. LVCIVS. SABINIANVS. PROCOS. AVG. nimirum *Proconsul Augusti* dicitur, qui alias *Legatus propratore*. vt Romæ, LICINIO. ITALICO. M. F. CLV. PRISCO. LEG. AVG. PR. PR. PROV. BRITTANNIÆ. Vides Q. Lucium Sabinianum proconsulē Augusti prouinciæ Britanniæ, cum eadem potestate, qua Licinium Priscum legatum Augusti proprætore prouinciæ Britanniæ. Subconsul vero, quod dicebam, est legatus. Inscriptio Brigantii reperta : SEVERIVS. SEVERIANVS. SVBCOS. LEG. III. ITAL. F. GORDIAN.

Eusebius, propter illius exemplaris exspectationem, quod si nactus non essem, omnino consilium de edendo Eusebio abieceram. Cur enim incoatum opus ederem, quod absolutius dare poteram? Venio nunc ad tuas priores earum, quas nuper accepi. Excerpta Chronologi tui non tibi prius reddere possum, quã Georgium accepero, ex quo Chronologus ille non pauca desumpsit. Itaque prius mihi constare debet, quid alteri desit, quod alter habeat, quam librum tuum tibi remittam: remittam vero statim, ac cum Georgio contulero. Nemo est, qui maiore religione reddat, quæ fidei suæ credita sint, neque vnquam conquiescit animus meus, donec fidem meam probem illi, a quo aliquid accepi. Vtinam ille Vbertus huc se recepisset. Impetrassem a Curatoribus Academiæ, vt ad professionem admitteretur. Hoc meo suffragio adeptus fuit ante biennium quidam ex Iudæo Christianus, quo ego in Talmud præceptore vsus sum. Sed ille obiit diem, & mea studia orba reliquit. Ego mi Casauboni, multa volumina Arabica versaui: magnam siluam verborum mihi ex illa lectione comparaui. Nihil tamen aut parum me præstitisse sentio. Adhuc tyro sum. Et tamen videas, qui ex lectione vnius Epistolæ Pauli, aut Actorum Apostolicorum, nihil sibi putant reliquũ esse ad absolutam illius sermonis cognitionem. Quantus est τύφος illorum, qui ne Latine quidem sciunt? Sed de iis, qui Hebraismum degustarunt, in aditu blandiuntur illa lingua, propter

pter cognationem. Quum vero intus admissus fueris, commendatitiæ accipiendæ sunt, quia longinquum iter instituendum. De Hebraismo idem dico. Nam nemo est hodie, qui sola lectione Bibliorum sacrorum se ipsis Iudæis cognitione Hebraismi præstare non putet. imo Iudæos nihil scire asseuerant: quo hominum genere nihil vidi imperitius, & in quibus magis sensum humaniorū literarum desideres. Quid faciat? ita viuitur. & velis nolis, ita hæc se habēt necesse est Sed inuideo illis, qui illo Vberto hodie fruuntur, vbi vbi ille sit. Ego illius cōgressu multum profeciſſem. Vtinam nanciſci possem, qui Turcice intelligat, & scribat. Nam multi quidem Christiani Turcice loquuntur. pauci, & fere nulli scribunt. Penes me sunt Arabica Turcice explicata, quæ si intelligerem, tunc possem mihi tuto arrogare, quod quidam sibi lectione vnius Epistolæ Pauli. De nomine Heliogabali quod quæris, quædam tango in meis Eusebianis verum nomen nummi præferunt ALAGABALVS, id est, Deus Gabalitarum, & rationem reddimus ibi. Quod a quibusdam Heliogabalus scribitur, hoc fit, vt quidem bene nosti, quod Græci nomina barbara ad eum sonum deflectunt, qui proxime abest ab Hellenismo. a Sole enim ita Græci vocarunt. Et nihil verius est. De Salambone nihil dico. Hoc tantum dicam, verum nomen Veneris Babyloniis fuisse μύλιττα, vt incomparabilis scriptor Herodotus prodidit, hoc est, γαμέτεις. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur*

Mihi enim potius defuero, quam officio meo. Quare ad quæ non respondeo, ea fuerunt in illis literis, quæ mihi redditæ non sunt. Ego vero binis, aut trinis literis tibi significaui de Georgio Monacho, illum mihi redditum fuisse. Totum percurri. Vtinam Africanum, & totum Eusebianum Chronicon, & alia præclara monumenta, quæ ille habuit, non desideraremus. Longe meliora præstitissemus, quam vel Africanus, vel Eusebius. Ex illis tamē reliquiis, quæ ex illius monachi thesauro depromsi, tantum profeci, quantum nō possem lectione omnium scriptorum, qui hodie exstant. Tamen iniuria facta est illi. Nam ille digesserat χρονογράφιον suum per canones, & historias suis temporibus assignarat. Librarii vero eas historias ἀνεγνώσθη coniecerunt in tumultuariam congeriem: præterea miserum auctorem in multis mutilarunt: quod præter alia certissima argumenta colligitur ex ipso auctore, qui quędam promittit, quæ non comparent. Accessit improbitati librariorum lectorum scelus, qui quædam folia amputarunt. Itaque multa desidero, quæ expleant sitim meam, quæ tanto mihi acrior incessit, quanto certior desperatio tot damna reficiendi. Habeo tamen vnde instruam editionem meam, & talem præstem, qualem nemo exspectat. Sed opus tempore, tum propter difficultatem operis, quia multa inter scribēdum suboriuntur, quæ impetum meum morantur, tum etiam quia quatuor libri pro vno manu mea describēdi sunt. quod satis est homini seni fatigan-

fatigando. neque illum laborem moraremur, nisi occurrerēt eæ, de quibus iam dixi, difficultates, in quibus ea præcipua, quod multum deliberandum est, antequam possim inire rationem tot rerum suis locis & temporibus restituendarum. Multum equidem debeo illi Georgio, & nonnihil tuo Chronographio Consulari. Quamuis enim auctor homo ἰδιώτης fuit, tamen illi secundū Georgium, plus debeo, quam vlli alii scriptori. Eum tibi remittam, quum recte, cui dare possim, nactus fuero. Interea magnum curriculum mihi conficiendum est antequam ad metas perueniam. neque propter editionem mei Eusebii ideo tuas Notas in Spartianum & eius socios differre debes, tum quia nondum in procinctu est meus Eusebius, tum etiam quia nostra te nihil adiuuare possunt. Rationem enim temporum duntaxat disputādam suscepimus: ἱστορικὰ vix delibamus, nisi vbi χειρουργίαν κριτικὴν poscunt vulnera quædam, quæ nisi sanentur, irrita est omnis temporum disputatio. Itaque per amicitiam, & per sacra literarum oro te, ne diutius differas opus, quod non nisi præstantissimum esse potest, quia eius tu pater es. Præterea satisfaciendum votis & precibus nostris & amicorum, qui hoc a te exigunt. Si commodo studiorum tuorum fieri posset, vt illud Lexicon Fessanum trilingue ad paucos dies mihi vtendum mitteres, multum sperarem inde iuuari posse ad locupletādum Thesaurum nostrum. Sed opus est delectu in eius tractatione. multa enim idiotismi vulgaris habet: quale

illud *Sacoul Chonsan ἀντὶ τῆς πίσσης ἱππικῆς* Hoc non est ex prisco Arabismo. Nam in Africæ ora maritima, quam proprie Barbariam vocant hodie, vrbes loquuntur lingua Arabica quidem, sed quæ satis ab illa veteri defecit, non tamen adeo a sua matrice remota, vt Italica a Latina. Rustici autem fere vbique vetustissima lingua Africana vtuntur, quæ nihil cognationis habet cum Arabica. Actus publici, edicta, leges, contractus, diplomata regia pura Arabica concepta sunt. Sed & prouerbia quoque, de quibus spem feci sli, saliuam adhuc mihi mouent. In prouerbio Pythagoræ didici verbum, quod nesciebam *Chakas σκαλεύειν*. Qui tantum thesaurum Arabismi mihi paraui, *καὶ ἐταμιδόμην*, adhuc profiteor inopiam meam. Hoc non facerent, qui trihorio prodierunt doctores Arabismi, & quum quædam ex nouo Testamento interpretarentur, quia nihil aliud præter illa pauca legerant, & fieri non poterat, vt lectione tam paucorum verborum, tam breui tempore omnem Arabismum ediscerēt, sed occurrebant multa verba, quæ nunquam viderant, eorum verborum ex Lexico Munsteri Chaldaico interpretationem petebant: quod quoties mihi risum sustulit? Vix tamen persuadebis illis, quin etiam ipsos doctores legis Muhammedicæ in Arabismo anteeant. Nam de Hebraismo nefas dubitare, quin ipsi docere possint literas Hebraicas etiam consummatissimos Iudæos. O mi Casaubone, rari sunt inter nostros, qui mediocriter Hebraice sciant, quum tamen

rari

rari sunt, qui omnino nesciant Hebraice. Quid de Græcis loquar? quis hodie nescit Græce? Sed quis est doctus Græce? Non dubito esse aliquot: sed paucos, & quos non noui ne de nomine quidem. Te vnum noui & memoriæ auorum, & nostri seculi Græce doctissimum, qui vnus in Græcis præstiteris, quæ post renatas apud nos bonas literas omnes nunquam præstare potuissent. Si quis est hodie, qui & tenuitatis ingenioli sui sibi conscius sit, & qui libenter ac intrepide id profiteatur, is ego sum. Tamen propter vsum aliquem literarum, quem mihi non ingenium, sed longa ætas fecit, hoc consecutus sum, vt de istis rebus nemini concedam, de quibus iudicium ferendum est. Itaque multos habes testes eruditionis tuæ, amatores, admiratores: sed qui de præstantia doctrinæ tuæ certo iudicare possit, ego aut vnicus sum, aut qui ceteros hac in re longo interuallo vinco. Omnes quotidie hauriunt ex tuis scriptis, acceptum tibi referunt, tantum te amant, quantum ex lectione tuorum scriptorum proficiunt: sed qui eum sensum habeant eximiæ eruditionis tuæ, quos lectio lucubrationum tuarum afficiat, vt me, neminem esse puto: & hæc vna ratio est, quia eum vsum harum rerum non habent, quem ego habeo. Hoc vnum doleo, neminem hodie ignarum esse, & neminem doctum. Sed rapior veritatis studio, & extra terminum expediui iaculum. Redeo ad nostra Arabica. Oro, vt illorum prouerbiorum vsuram per aliquot dies concedas. auctorem

Abuobid non memini. Vtinam accipiam simul cum Lexico Festano. De Hrynsio magis mirareris, si & adolescentem nosses, & eius poematia legisses. quæ aliquando edet in publicum. Itali nihil habent, quod Transalpinis obiiciant. Noli putare illum iuuari ope nostra. Ego potius eo vtor magistro. Non excessit x x i i. annum. Ideoque si de eius meritis prædicauero, amori potius, quam vero id concedere videbor. Quare malo aliquando ipse scriptis suis virtutis suæ fidem faciat, quam ego prædicatione mea. Vale. Lugduni Batauorum. x. Kalend. Quintilis Iuliani. CIↃ. IↃ. CII.

IOSEPHVS SCALIGER
Isacio Casaubono suo S.

In limine ipso Epistolæ tuæ occurrit quæstio de loco Chrysostomi in Acta περὶ τῆς Μονάδος quam ipse non exponit, sed ex loco Anastasii Sinaitæ a te producto licet colligere ἑξακισχιλιοστὸν ἀριθμὸν Μονάδα apud Calculones dictã fuisse. quod satis mirari non possum. Ἐγὼ δὲ θαυμάζειν οὐκ ἔχω μοῦ αἰτίαν. Nusquam enim alibi legi: & absque Anastasio fuissem, quid esset illa μονὰς apud Chrysostomum, nulla coniectura assequi potuissem. Sed de sex millium numero, satis constat, veteres Theologos putauisse mundum duraturum tot millia, quot sunt dies Hebdomadis. quia vero τὸ ἑξάημερον opera creationis sibi vindicat, septimus autem dies quietem, propterea aiunt confidenter sex millia quidem annorum

norum duraturũ mundum, ſed ſeptimum millenarium alii alias interpretãtur, quod longum eſſet referre. Et propterea in ſex ætates mũdum diſtinguunt propter ſenarium numerum, & vltima tempora præter illas ſex ætates ad aliud referunt. Itaque quod legimus apud Heſychium, plane ex Theologis illis eſt, vt alia multa apud illum eruditiſſimũ Gloſſographum. Μονὰς ἀριθμὸς ἢ ἓξ μοῖραι τῶν ἑπτάδων. Vides tuam hanc μονάδα eſſe, eamque ἓξ ἐκ τῶν ἑπτά. Nam ita potius legendum, non ἑπτάδων. niſi dicamus τῆς ἑπτάδος omnes μονάδας vocatas fuiſſe ἑπτάδας. quod concedi poteſt. Hoc vnum certum eſt, Heſychium in animo habuiſſe ſex de ſeptem millibus, dici μονάδα. Cuius cauſſam quis reddere poteſt? Iam Chryſoſtomus Homilia VIII. in IIII. epiſt. II. ad Timotheum, qui eſt locus, quem indicaſti in tuis literis ἀτοπώτατα dixit ὑπὸ τῶν ἑξακισχιλίων ἀριθμὸν ἅπαντα ἄγεσθαι, καὶ ἐν τούτου κανόνι πάντα μερίζειν, καὶ πολυπλασιάζειν. Denique hunc numerũ eſſe, in quo πάντα, ὥσπερ in cardine quodam, στρέφεσθαι. Quæ verba ſi propoſueris Logiſtæ cuidam vel mediocriter vel exquiſite docto, vix eſt, quin te cũ tuo auctore riſu excipiat. Vere dicam. Ego multum faueo Chryſoſtomo, propter illud flumen eloquentiæ, quod nunquam lutulentum fluit, ſed ſemper ſibi ſimile eſt. Hoc tamen non poſſum diſſimulare, quod in eo ſcriptore deprehendi, quum ab illis diſceſſit, quæ ad ſacram paginam pertinent; Chryſoſtomum non agnoſco. quale eſt hoc, quum dicit ſex millium numerum omnia comprehẽdere,

& omnes partitiones recipere, quum certe multæ sint, quas non recipiat, quales septem, & nouem, vt alias taceam. Iocularia sunt. Longe absurdior, ineptior, & stolidior Anastasii sententia, qui & eadem dicit, & præter illa vult eum numerum πάσης ἀριθμητικῆς ἐπιστήμης σημαντικὸν esse. vlteriusne potuit progredi, vt ludibrium deberet Logistis de triuio? Caussa tantæ imperitiæ est hallucinatio, quæ senarium numerum, cum sex millibus annorum cõfundit. Vetustissimi Patres, qui περὶ ἑξαημέρου scripserunt, aiunt merito in sex diebus πᾶσαν τὴν κτίσιν absolutam, quia senarius numerus est perfectus, quod ex partibus suis, quas aliquotas vocant, componatur, I. II. III. & propterea mysticum aliquid esse in sex millibus annorum, quos duraturo mundo attribuunt. Vide Augustin. de Trinit. lib. 4. eundem lib. 4. de Genesi ad literam: & alios. Ergo numerus sex est perfectus, & ex suis partibus constat, ὁ δὲ ἀντιστοιχῶν αὐτῷ ἀναγωγικῶς ἑξακισχιλιοστὸς ἀριθμὸς nihil tale potest habere, quum ab vnitate, ad decem, vnus sit tantũ perfectus numerus VI. a X. ad C. numerus XXVIII. a centum, ad mille, CCCC. XCVI. vt est in propos. vltima Elementi IX. Quare vides & Chrysostomum, &, qui illum sequitur, Sinaitam Anastasium attribuisse sex millibus, quod senario simplici debebant, id est, τῷ ς, quod competit τῷ ς. Didicimus ergo Μονάδα esse ἑξακισχίλια, quod magis magisque admirationem auget. quæ maior erit, si ad verba Chrysostomi mentem aduertamus. τάχα ἂν ἑκατὸν μονάδες λι-

τρῶν

τῶν χρυσίου σωμήχθησαν. Omnium nec Monarcharum Christianorum, etiam ne Turcarum quidem annui reditus cum illis compositi hanc summam colligere possint. Nam centies sexies mille pondo auri sunt coronatorum Solatorum Franciorum 8640000. hoc est vt Calculones (quos χρυσματιστὰς vocat Chrysostomus ipse) milliones LXXXVI. & præterea quadringenta millia coronatorum. Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Vides absurditatem: cetera mando tibi. Hoc ego tamen hodie me didicisse fateor, veteribus Calculonibus sex millia μονάδα esse. quod ne mirer, nemo vnquam a me impetrare poterit. Addebas de quibusdam in Petri Galathini disputationibus. Scito illos libros esse compēdium duorum ingentium voluminum, quibus titulum Pugionem fidei fecit auctor Raimundus Sebon Monachus Dominicanus eximius Philosophus, sed nimis allegoriis, & anagogis indulgens, vt non solum ille pugio fidei ostendit, sed & liber de Theologia naturali. Ii igitur libri adhuc exstant in collegio Foxensi Tolosano. ex quibus omnia hausit Petrus Galathinus Franciscanus, qui nomen auctoris tacuit, vel, vt sibi opus vindicaret, vel quia acerrimum semper intercessit inter Dominicanam familiam & Franciscanam odium, vt ne hodie quidem τὰ ζωπύρια desint pristinæ simultatis. Multa sunt in illis disputationibus, quæ sine delectu legere periculosissimum est. non pauca etiam cōficta vel a Christianis, qui Hebraismum didicerunt, quædam quoque

à Iudæis, qui ad Christianos non ex pietate, sed ex iniuria gentis suæ defecerunt. Denique vt pauci sunt, qui in Hebraismo videant, quod videre eos oportebat, vt Hebraice docti dici possent: pauciores vero qui fructum solidum ex scriptis Iudæorum colligere potuerint hactenus: ita pauciſſimi sunt, qui eo iudicio Galathini librum legere possint, quo possint aliquid in lucem promere, quod literas sacras illustrare possit. Itaque nimii sunt in vtramque homines in libris Iudæorum aut reiiciendis, aut amplectendis. quod longius disquirere, vt rei dignitas postulat, non sinit modus epistolæ, quem excessisse video. Itaque de eo alias. Nam libri opus est hoc, non epistolæ. De duobus illis, de quibus ad me scribis, alter fuit hospes tuus, alter est homo nulli rei: cuius te nullam rationem habere non solum auctor sum, sed etiam hortator. Simplicii Epistolas nullas vidi: qui nec omnia quæ extant eius Scriptoris opera habeo. Tanta est infelicitas mea. Spes quædam affulget ex Italia. Chrysococcum & Fastos tuos Siculos iam scis ex prioribus meis literis me accepisse. Vale. 111. Eid. Septemb. Iuliani. CIↃ. IↃ. CIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Isacio Casaubono suo S.

Ad omnes literas tuas, quas equidem acceperim, respondisse me puto, præter penultimas & postremas. Prioribus quærebas περὶ μονάδος apud Chrysostomum. Respondi quid esset iudicii

dicii mei super hoc loco. Literas te sero acceptum scio: accipies tamen, si iam non accepisti. Ἑξακισχίλια vocari μονάδα magis mirari possum, quam interpretari. Scio tamen περὶ ἑξακισχιλίων rationem totam esse veterum Theologorum, qui ἐκ τῆς πρώτης κτίσεως ἑξαημέρου conantur eruere durationem mundi. Atque adeo sibi persuasere totam durationem septem millibus annorum definiri, quorum sex millia mundus perpetuis laboribus agitabitur, in septimo millenario quiescet. Vide præter alios Lactantium lib. 7 cap. 14. Itaque duratio mundi est Hebdomas millenariorum: quorum sex sunt labor, vltimus quies. Quod autem μονάδα vocet Chrysostomus τὸν ἑξακισχιλιοστὸν ἀριθμὸν, & post eum Sinaita, cuius locum produxisti, videndum, nũ potius millenarius vocandus sit μονάς. Nam ἑβδομὰς sunt septem μοναδες. Tamen Hesychius videtur idem velle: μονὰς, ἀριθμὸς ἢ ἑξ μέρη τῶν ἑπτάδων. Melius intelligerem, si scripsisset τῶν ἑπτὰ. Certe intelligit sex de septem vocari μονάδα. Cuius ego rationem non capio. Quod autem alibi in Epistola Pauli Chrysostomus & Sinaita ille aiũt ἑξακισχίλια esse perfectum numerum, & omnia continere, est merum delirium, quod vel mediocriter docti derideant. Nam hallucinatio hinc est, quod senarius numerus perfectus est, quia constat ex partibus suis, 1. 11. 111. At propterea non omnes senarii compositi, qualis ὁ ἑξακισχιλιοστὸς, erunt perfecti, quod volunt boni illi Patres. Hæc est caussa illius ἀλογίας; sed cur τὰ ἑξακισχίλια sint μόναι, profecto

huius cauſſam nullam comminiſci quiui, neq; vllam puto eſſe, præter opinionem Theologorum, qui ex ſuis anagogicis hęc introduxerunt, & conſecuti ſunt, vt nullus eſſet locus rationi, vbi eorum auctoritas agitur. Addideras Schedium vocum quarundam Mauritanarum, quarum interpretationē a me poſtulabas. reſpondi tibi aliis literis, non eſſe mera Arabica, illa, ſed Mauritanica, & in vſum Idiotiſmi Hiſpanici recepta: quorum omnium ſi explicationem quæris, inuenies in Lexico Nebriſſenſis Hiſpano Latino. *Argamaſſa*, opus ſigninum. *Acofar*, æs fuſile. *Alcobas*, receptaculum. Paucula ſunt, quæ non inuenies in Nebriſſenſi. *Almogaraues* ſunt milites, quales Martoloſſi. Eorum meminit Roderigus optimus ſcriptor rerum Hiſpanicarum & Mauritanicarum. Multa ſunt in idiotiſmo Toletano μιξομαυετανικὰ, & non mere Arabica, vt maior pars eorum, quæ in ſchedium tuum conięcta ſunt. Vulcanius iamdudum tibi per literas gratias egit de Cyrillo ſuo ab orco per te reuocato. Nihil te remorabitur in libris meis de emendatione temporum, poſtquam legeris Canones noſtros Iſagogicos, quos ante Notas noſtras Euſebianas ponemus. Interea ſcito me non ignorare multa in numeris a Typographis peccata, multa a me aliud agente emiſſa, quæ omnia ſperamus nos poſtremis curis emendaturos. Sed miraberis interea quæ in Euſebio præſtiterimus: vt ἀνταγωνιστὴς noſtris pudorem imponamus, quibus ne minima quidem pars eorum, quæ effecimus, ſubolere poterit. quid

ſubole-

fubolere? qui inquam, ne intelligent quidem quum videbuntur. Nam vt aliter animatos, ita aliter eruditos esse oportet, qui ad hæc tractanda accedunt. neque imperitia, neque χαυνότης hic locum habent. Opus nostrum in crassam molē excreuit. Vnum est, quod a te impetrem, vt cum bona tua gratia Chronicon tuum Fastorum Siculorum vna excudatur. Non potest illi melior sedes assignari, quam in subsiciuis quorundam Græcorum, quæ vna cum Eusebio edentur. Significa mihi quamprimum, an tibi volenti sit editio illius Chronici. Quamuis est homo ἰδιώτης, quisquis est illius auctor, tamen multum mihi profuit. Seorsim excusus neque sibi ornamento, neque lectori fructui esse potest. Conueni typographum de editione. Iam pacta res est. Proxime prælo committetur Flessingensem amo, miror & sane certus sum me illo magistro vti posse potius, quã illum me. Nam ego incipio multum dediscere propter partim desuetudinem, partim ætatem. Hoc vnum quotidie profiteor, me non ex illorum esse numero, qui nihil ignorare videri volunt, nihil ab aliis didicisse. Cedo sis magistrum. non potest eius opera paratior esse ad docendum, quam mihi animus ad fatendum vnde profecerim. Gratias ago de vocibus ὕλης ἰατρικῆς. quas non habebam, illis penum meum instruxi. Lexicon Raphelengii patris fortasse aliquando excudent filii. Sed nondum ferrum calet. De hoc alias scribam. Vale. Lugduni Batauorum VIII. Kal. Nouembris Iuliani. CIↃ. IↃ. CIII.

IOSEPHVS SCALIGER Isacio Casaubono suo S.

Binas a te fere eodem tempore accepi. Ad priores prius respondeo. Video tibi redditas meas, in quibus de semimauritanicis verbis respondi, quibus totus Hispanismus scatet, quæ frustra in Arabismo quæras, quod ea sint ex Idiotismo Arabico, non ex puro illo sermone, quo libri veterum Arabum concipiuntur. In Nebrissensi Lexico nõ pauca quidem eiusmodi reperies, sed tamen non omnia. Ego illud Lexicon fere duobus millibus verborum locupletaui. Et tamen nihil mihi egisse videor, quoties ad libros Hispanicos accedo. Tantum est pelagus illius sermonis: vt quo plura in illo discimus, eo plura occurrãt, quæ sine magistro nunquam didicero. Est quidam medicus Parisiis, qui iamdudum id saxum voluit, & nouum eius idiomatis Lexicon promittit. quid præstiturus sit, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Si quid μέγα καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι, multum spem meã fefellerit, quanquidem sciam etiam Hispanos ταύτην τὴν Σπάρτην οὐ καλῶς κοσμῆσαι. Si quid de eo inaudiisti, quia in eadem vrbe estis, poteris ab eo multa discere, si quidem promissis digna præstiterit. Sed tempus erat verba ad rem conferre, quod iamdudum illius liber prodiisse debebat, vt Buzenuallio nostro promiserat. Habeo lexica quædam Hispanica & Belgica, quibus e regione respondẽt Arabica Latinis literis. Sed vix est ea ad characteres Arabicos conferre, quia quædam literæ eo-

ræ eodem sono proferuntur, vt difficile diuinaueris quomodo scribenda sunt. Quæ potui tuto assequi, ea ἐταμιευσάμην. reliqua sunt κηρόκνητα; quæ reseruo, quum potero aliqua coniectura eorum compos fieri. Sed ne Iudæis quidem & Syris tuto creditur, quod per suum Gimel aut Gomal, per Ceyh scribãt, & multarum aliarum literarum, quas in Arabismo punctum distinguit a cognatis aut similibus, rationem non habent. Hoc nõ dicam tyroni, sed etiam ei, qui progressus aliquos in Arabismo fecerit, multũ imponere potest: Te morbo illo, aut languore, qui te per aliquot menses obsederat, leuatum esse, & tibi & mihi gratulor. De Persio, fac vt quamprimum prodeat. ** Tu tamen non debes rebus tuis vllam desperationẽ adhibere: qui te illuc, & me huc inopinãtes ambo, & nihil tale cogitantes traduxit, ille solus potest & ab omni discrimine vindicare, & collocare fortunas nostras in tuto. ille me ad hoc ætatis perduxit, vt sine opibus diues vixerim, & tunc felicius mecum actum sit, quum nulla spes in hominum præsidiis esset. Id adeo mihi cuenit, quia ab illo non ab hominibus spes meæ pendebãt semper. Propterea quod adhuc viuo, quod securo otio fruor, illi non hominibus acceptum fero. Tibi eodem modo agendum, vt in illo omne præsidium tuum colloces. Præterea noli incertis certa pręferre. Chronologica tua excerpta ideo remisi, quia descripsi ἰδιοχειρεὶ. Si scires quot noctes & dies in sola librorum descriptione traduxerim, tibi quædam mei misericordia incesse-

ret. Sed adhuc latera, oculi, & animus seni suppetunt. Eusebius noster excuditur satis honesta forma. Sed quod lentum aliis videri possit hoc vero facit moles operis. Præterea quas potui nancisci operas eæ τὴν κεραμικὴν ἐν πίθῳ μανθάνουσιν antea enim nihil excudebant, præter parua dicta, Theses, & schediasmata puerorum. Quod nuper in quadam Epistola tua scribebas de Indice nostro in Collectanea inscriptionum, verum est: paucos fore, qui animaduertent industriam, laborem, vigilias, quas ei impendimus: fructum & vtilitatem, quæ ex illis colligi potest. Nam est instar libri absoluti, qui iustis commentariis possit illustrari, imo quod necesse esset fieri. Scito præterea annotationes, quæ post indicem adiũctæ sunt, correctiones, animaduersiones in plusquam CCCL Inscriptiones perperã ab operis repetitas, ea, inquam, omnia nostra esse. Alteræ literæ tuæ postridie mihi redditæ sunt, postquam priores accepi: in illis meministi cuiusdam, qui Magneticæ cuspidis directionem profitetur. Multi hoc conati sunt, conanturque quotidie maximis ab ordinum illustrium consilio propositis præmiis. Quidã obtulerunt ἐπιχειρήματα sua: capti sunt de ea arbitri. Ego vnus in illis fui: in quibus Mathematici, & nautæ peritissimi. Sed qui eorum Mathematica profitebantur, illi τῶν ναυτικῶν ἄπειροι, οἱ δὲ ναῦται ἀναστρολόγητοι, erant. Præterea auctores illi, de quibus sententiam ferre debebamus, nihil tanto hiatu dignum præstiterunt. Quidam Anglus ante triennium libro de Magnete

gnete editō nihil dignū exſpectatione ea, quam excitarat, protulit. Ego ſæpe propoſui Mathematicis his, qui hic profitentur, rem, quam ipſi nunquam concoquere potuerunt, riſu & ludibrio exceperunt, ὕθλον τινὰ καὶ παιδιὰν ἐπενόησαν. Hipparchus primus omnium rem iocularem & ridiculam excogitauit; motum, inquam, octauæ ſphæræ in occidentem, & ſtellas in occidentem promoueri eodē ſitu, ordine, interuallis ſeruatis perſuaſit Ptolemæo, Ptolemæus ita confirmauit, vt poſteritati de eo dubitare religiō fuerit. Primus omnium memoria patrum noſtrorum, alter Aſtrologiæ vindex Nic. Copernicus odoratus eſt futilitatem Epicheiematis Hipparchei, & non octauam ſphæram in occidentem, ſed æquinoctialia puncta εἰς τὰ προηγούμενα procedere animaduertit: idque vocat προήγησιν ἰσημεριῶν. Hanc præclaram animaduerſionem publicatam, nulla demonſtratione eorum, quæ ex illa pendere neceſſe eſt, illuſtrauit. Sed rem nudam tantum propoſuit. nos vero animaduertimus ſtellas, vt fabulantur Hipparchus, & Ptolemæus, εἰς τὰ ἑπόμενα progreſſas vnquam fuiſſe. & τὸν κινούμενον a temporibus Eudoxi eodem interuallo a polo mundi propius abfuiſſe, vt hodie, eiuſque rei exempla collegimus. Quibus animaduerſis præceſſio æquinoctiorum concedenda eſt. Nam alterutrum concedendum, aut τῆς ὀγδόης σφαίρας εἰς τὰ ἑπόμενα κίνησιν, aut τῶν ἰσημεριῶν κέντρων εἰς τὰ προηγούμενα μετάβασιν. alterum non eſſe vincit ἡ ἀκινησία τῶν ἀπλανῶν ab Eudoxi temporibus. Ergo

alterum est. Sunt igitur præcessiones æquinoctiorum; quas non potuit demonstrare summus ille vir, nisi ἐκ τῶν φαινομένων, ex quibus tam potest defendi alter motus, quam præcessio. Iam habemus προήγησιν ἰσημερινῶν; Quid est? τῶν ἰσημερινῶν κέντρων εἰς τὰ προηγούμενα κίνησις. Punctorum æquinoctialium in antecedentia motus. Si mouetur puncta æquinoctialia, circulus autem æquinoctialis ad illa puncta describitur, ergo circulus æquinoctialis mobilis est. quod vero verius; si circulus æquinoctialis mobilis, & polus quoque eius mobilis est. Itaque polus circuli æquinoctialis erit alius a polo mundi. Polus enim mundi ἀκίνητος: iste κινητός. Præterea omnes meridiani transeunt per Polos æquinoctialis: & in superficiis lapidum linea meridiana, quæ ad collocanda horologia solaria designatur, ea intelligitur per polos æquinoctialis transire, quod & omnes fatentur, & verum est. Sed quia poli æquinoctialis circuli sunt mobiles, & lineæ quoque meridianæ, quæ per illos transeunt, sunt mobiles: ac propterea necesse est, vt post aliquot annos linearum meridianarum vsus nullus futurus sit, ad designandas horas. & iterum capienda erit linea alia meridiana, & reformandus situs Horologii, non horologium ipsum. Concludamus, horologia solaria post aliquod tempus fidem decoquere, nisi instauretur linea meridiana. Hoc Mathematice ipsa καὶ ἡ ἀπόδειξις conuincit. Sed præter id, habemus præclara veterum exempla, quæ vincunt post aliquot annos horologia non respondere,

priori-

prioribus designationibus, quæ quidem omnia studiose collegimus. His ita demonstratis ego proposui istis Mathematicis, vt quia totum negotium magneticæ cuspidis versatur circa meridianos, considerarent, an hæc doctrina a nobis primis prolata aliquam viam huic rei munire possit. Illi tantum abest, vt rem hanc in consiliū adhibuerint, vt risum illis debuerim. Quid ni? homines, qui nullum veterem auctorem legerunt, ne eorum quidem, qui ad eorum artem spectant, illine hæc capere possent, qui sola Theoriarum & astrologiæ compendia legerūt? Sed o carissimum caput, ego paucos φιλαλήθεις, pauciores τῆς ἀληθείας ἐπιδεκτικοὺς reperi. Scito tamen cognitionem huius præclaræ disputationis de Magnete ex hoc nostro Epichiremate pendere, aut ex nullo. Sed nimis te obtundo. Vale Lugduni Batauorum VII. Eid. Ianuarii Iuliani. CIↃ.IↃ.CIIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Isacio Casaubono suo S.

Scio me in ære tuo esse, qui tot literas tibi debeo. Sed ineptus sim, si causas scripsero, quæ indignæ sunt oculis & auribus tuis: aut si id excusauero, cuius veniam potius postulare debeo. Trinas a te accepi. In duabus posterioribus, acerbissimo nuncio me perculsti de obitu iuuenis Flessingensis. quo casu non solum optimo iuuene, cui damno nullum comparandum est, orbati sumus, sed etiam Arabismi instauratore,

qui in illo seculo exortus, in quo vix vnus & alter Arabicis dedit operam, in illis tantum profecerat, vt non solum intelligere, sed etiam alios docere posset: & prægressus conatus simiolorum huius æui, qui ex vnius epistolæ Pauli lectione se absolutam Arabismi peritiam consecutos arbitrantur, ad ea penetrauit, ad quæ peruenisse etiã Muhammedanis ipsis summa gloria est. Ego, mi Casaubone, mediocrem olim illi studio operam dedi, & maiorem partem senium, curæ & occupationes ademerunt. Tamen in maxima felicitatis parte posuissem, illi magistro operam dedisse: neque puduisset me ἀναπιεῖσθαι, & senem iuueni μαθητεύειν. In vno corpusculo tantas dotes periisse, probitatem virtutis, eruditionis quis satis digne conqueri possit? Conspirauit in dolores nostros hæc æstas. Nam habemus ambo quod in commune, & ego, quod priuatim dolere debemus. Quod enim detrimento literarum sit, ad vtrumque pertinet. In illo iuuene magna literarum iactura facta est. pro earum peritia eximia, quæ in te est, & meo in illas summo amore, hoc damnum vtrique nostrum commune est. Ecce nos in illa infelicitate felices, si vnum amisisse satis fuisset. Sed proh Deum immortalem, parum erat tantam iacturam feciſſe, nisi σὺν δύο πήματα concutriſſent. Infelicem iuuenem consecutus est non passibus æquis noster Dousa. Dolebit tibi, certo scio. Sed quam alte putas mihi hoc vulnus insedisse? Magis agitare potes, quam a me discere. idque eo mihi acerbius, quod ille communis

munis vtriusque nostrum dolor tunc me oppressit, quum priuatum funus lugerem. Recens enim proximo sanguinis vinculo mihi coniunctum abstulit Ostenda virum & virtutum omnium acerba cinis. Is præfectus erat fortissimæ Gallorum cohorti in illo πολυανδρείῳ verius dixerim, quàm præsidio. qui post multa inusitatæ fortitudinis, & peritiæ militaris facinora summa cum omnium admiratione edita, globo tormentario traiectus vitam, quam cum summa erga Deum pietate, quod in illo genere hominum rarissimum est, exegerat, reliquit. Accedit ad hæc damna θηλατῶν μάστιξ, lues sæuissima, quæ totum hoc biennium huic miseræ vrbi incubat; quæ quum tot capita quotidie rapiat, nullum tamen dispendium exhaustæ vrbis sentitur. Mihi vero quo plures moriuntur, eo maior & numerosior populus videtur. Præterea Academia frequentissima est: & neminem tantæ strages deterrent. Me quidem vndique funestæ domus circumstant, solis parietibus ab interitu remotum. Inter hæc exspecto quid de me statuat misericors Deus, qui mea puericia vsq; ad hanc diem non sine summa admiratione mea, quotiescunque cogito, hominem incautum a summis periculis, rerum omnium egenum ab egestate vindicauit. Nam quod spiro adhuc, quod bella ciuilia Galliæ me non absstulerunt, quod sine vlla re familiari commode vixi, quod in angusta re tamen vitam tolero, hos mihi maiori miraculo est, quam videre homines Romæ a sordibus ad rerum culmen

prouehi, quoties voluit fortuna iocari. Quod si optimus maximus & clementissimus ille parēs, qui me solus alit, eo dies meos producat, vt vere proximo te hic possim amplecti, siquidem animum de profectione non mutaueris, ilicet beatum me, cui videre contigerit, quod me sperare multa, quæ non dicam, non sinebant. Sed si ad nos cogitas, auctor tibi sum, vt ante mensem Maium id facere ne instituas. Nam in his tractibus eo vsque plurima discedens signa relinquit hyems, neque vestigia veris apparent, nisi postquam fere sidus Tauri confectum est. Arbitrii tui tamē est etiam in media hyeme venire. Nos illam luculento foco expugnabimus, qui nunquam deficiet in cubiculo, quod tibi adornabo, quod tamen nullum, præter te, ornamentum habebit. Inuenies enim pauperti-nam quidem, sed mundam supellectilem, & concham salis puri, & ante omnia pectus tibi deuotissimum. Anxit me diu exspectatio Dionis tui. Causam frustrationis ex tuis postremis didici. Persium sub prælo esse audiuimus. Meus Eusebius, quando illius pistrini, in quod eum ego abdidi, clatros perfringet, comminisci non queo. Nam potius relegasse eum, quam prælo commisisse videor. Adeo lentum est negotium. Quotidie tamen aliquod folium emendandum dant operæ illæ, quæ rem suam agunt, non meam & Commelini optimi viri, qui sumtus facit. Quod mea ex Martiale cōuersa Epigrammata Græca adeo laudas, causæ non est. Si enim alicuius momenti putassem, non alium

præter

præter me editorem habuissent. Sed amici mei multa adhuc similia habent a me: quorum desiderio si morigerus esse vellem, ex Scaligero herba parietaria factus essem, neque vllus esset angulus, in quo nomen meum non exstaret. Hanc immoderati in nos amoris licentiam, vt coerceam, plurimum laboro: & nescio quomodo Scriuerius noster a me extorsit non volente quidem, sed nec renuente, vt illa saltem edi paterer, si non alio nomine, eo tamen quod tibi dicata essent. Parui. edidit. si quidem edita vocari debent, quæ nondum finit in publicum exire. Ante XVIII. menses parum a fine abest eius Martialis, quem cum Grutterianis notis & suis adornat. Ea vero Epigrammata Græca est pars illius editionis. ea causa est, cur non prodeunt, quia sequela sunt totius operis. Opus autem ipsum, quod tot menses proxime abest a fine, cur non prodeat, neque causam comminisci, neque ab eo expiscari potui. Si quid iudico, non solum consilium, sed & animum edendi abiecisse videtur, quamuis eum amice obiurgo, & vt illam mercem extrudat, omnes machinas admoneo. Frustra fui semper. Vale Lugduni Batauorum VII. Octobr. Iul. CIↃ. IↃ. CIIII.

IOSEPHVS SCALIGER Isacio Casaubono suo S.

Tandem exoptatissimus Persius tuus nudiustertius mihi redditus fuit: atque adeo totus sum in eo legendo. Si qui sunt, vt sane nō pauci sunt,

qui ad illius poetæ adyta penetrasse putent, tua commentario moniti tam ab eo abesse fateantur necesse est, quanto propius sese accessisse putabant. Quanto in pretio is auctor olim fuerit, Quintilianus & Martialis testes sunt. Ego tamen, quamuis serio illius lectioni olim operam dederim, nunquam causam aut argumentum inde haurire potui, cur mihi persuaderem tanti faciendum, quanti fieri ab omnibus videbam. Tu luculenta illa explanatione fecisti, vt mihi non solum magnus propter se, sed & melior propter te videatur. Atque ni fatear mihi non visum, qui vltra sensum Grammaticum exponi mereretur, nunc tamen plus meruisse fateor, quia & te interpretem nactus est, & si te nõ habuisset illustratorem sui, alium habiturus non esset. Qui enim hactenus illi manus admouerunt, operam tulerunt. Quantus tamen est ille, quoties Commentarium tuum considero, pluris condimentum esse videtur, quam pulpamentum. Tu illi scriptori animam dedisti & apud admiratores suos effecisti, vt alia parte admirandus sit, quam qua ipsi censuerunt. Gratias vero tibi & illius nomine ago, & Chronici Eusebiani Burdigalensis; in quo sane pater eius operis ὁ μαιεύτης tãtum studii posuit & diligentiæ, quantum satis esset & sibi laudem, & lectori fructum parare. neque vero aliter pronunciabit, nisi qui malignus est. Tria, quæ in scriptore requiruntur, in eius opere animaduerto; doctrinam, diligentiam, candorem. Paucos inuenias, in quibus hæc tria concurrunt: duo priora in pauciss-

pauciſſimis, tertium in nullo horũ, qui ad rempublicam turbandam literas natas ſibi ſolis eſſe putant: quibus ſi maledicendi libertatem adimas, magis muti erũt, quam piſces. Miratus ſum in eo tantam modeſtiam, vt omni verbo abſtineat, quod animum alicuius offendere poſſit. Hoc tanto laudabilius, quãto in hoc æuo rarius. Eius opus viuet, in quo nihil præter nimiam diligentiam reprehẽdere poſſis. Nam tot futilium ſcriptorum codicũ collatio, in quib⁹ plus mendarum eſt, quam verborum, nihil aliud promittere videtur, quam horas bonas perdere, & lectorũ iudicio diffidere. Nos alia via graſſati codicum fidem nunquã, niſi in re ancipiti, imploramus; in illis, quæ & pueri ipſi ſciũt, male horas collocari putamus. Deniq; nihil eſt diſſimilius, quam editio noſtra Aquitanicæ: & tamen illa, vt dixi, viuet, quia mendas ſuperiorum editionum ſuſtulit: & noſtra quoque non minus, quia errores temporum caſtigat: quod propter Canones Iſagogicos dicimus, quos tanquam animam Chronico Euſebiano addidimus, & quibus omnis doctrinæ huius diuinæ ratio continetur. Longe adhuc abſumus a fine. Res eſt mihi cum nebulonibus, qui plura peruertũt in foliis recenſendis, quã ego caſtigare poſſum. Nam quod toties tibi ſcribere memini, ἐν πίθῳ κεραμικὴν μανθάνουσι. Nihil enim antea præter Theſes, aut puerilia rudimẽta excudere ſciebant. Dionem tuum me accepiſſe iam tertium tibi ſignifico: & miror te binas illas literas non accepiſſe. In prioribus adieceram mecũ tibi conuenire de

illo loco ἐν τοῖς ὀνείροις Ὥρῳ γεγραμμένοις, idq; ante x. menses iam excusum est in nostris Eusebianis animaduersionibus. Laudo, quod Glossas veteres ad Persium attexueris. Scito illas ita a nobis excerptas a Pithoeo editas fuisse. Chirographum earum meum vna cũ veteribus Glossis Iuuenalis, quas itidem ex prisco exemplari Iuuenalis Pithoeano, & ex editione Georgii Vallæ collegeram in ædibus meis Aginni, inuenies apud Puteanos fratres, si modo non periit. Patri enim eorũ dedi: & fortasse Pithoeus quædam aliter edidit, ac ego scripsi: quod tamen non puto. Ego illarum omnium Glossarum eclogarius fui. Bis antea de illo Olympiadum καὶ στάδιονικῶν Chronico describendo tecum egi. Idem tertium summo opere a te peto, vt quam celerrime descriptum ad me mittas. Nam non longe absumus ab eorum editione, quæ eiusmodi sunt argumenti, & quæ illius Chronici accessione amplificari possunt. Iuliani Africani esse tibi iam significaui, & de eo dubitare non sinunt quædam testimonia, quæ penes me habeo. Karolus Labbæus noster omni molestia & labore describendi te leuauit, neque hoc onus refugiet. Tantum opus est diligentia, vt ante accipiam, quam illa edantur, quibuscum illa coniungi possunt. Quod mihi recte curatum voles, id Buzenuallio dirigendum. Certe illud Chronicon non minus mihi somnum adimit quam illi Atheniensi Miltiadis trophæa. Tu me hac insomnia liberare potes, τὸν βιβλιδάριον in Serarium tibi misi. Drusium in horas exspecto,

qui

qui exemplaria adferat. Nam eius est tibi mittere, non meum, qui opusculum nostrum communi titulo vna cum suo edi curauit. Ego enim edi aut non edi susque deque habui. Multa eiuscemodi amici a me habent: quæ, vt ex manibus meis, ita ex potestate mea exeunt, vt illorum sit arbitrii edere, aut a luce ea abstinere. idque per me faciant licet. Vale. Lugduni Batauorum. v. Kal. Aprilis Iuliani. CIↃ. IↃ. CV.

PROLOGVS PERSII.

Nec fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, vt repente sic poeta prodirem.
Heliconiadasque, pallidamque Pyrenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequacis: ipse semipaganus
Ad sacra vatum, carmen affero nostrum.
Quis expediuit psittaco suum Χαῖρε,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis ingeniique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Coruos poetas, & poetrias picas
Cantare credas Pegaseium melos.

Οὔτ' ἱπποοκρήνυς λιβάδι χεῖλος ἔβρεξα,
οὔτ' ἐν λόφοισι δικρόοισι Παρνασσοῦ
ὄναρ ἴδον, ὥστ' ἀοιδὸς εὐθὺς ἐκβήνειν.
Ἑλικωνίδων μέτ' ὠχριῶσα Πειρήνη
κείνοις ἐάσθω κισσὸς ὧν καθερπύζει
εἰκόγας. ἐγὼ δὲ τοῖς ἀνακτόροις Μουσῶν

ἡμιστρά-

ἡμιστράτευτος τοὐμὸν ᾆσμ' ἐσήνεγκα.
τίς ψίτταχ', ἐτράνωσε σοι τὸν σὸν Χαῖρε;
κίτταις βροτείου τίς λόγου καθηγεῖται
ἡ νοῦ χορηγὸς, καὶ διδάσκαλος τέχνης,
ἀνέφικτα ῥήματ' εὐτυχὴς κιχεῖν γαστὴρ.
ἀλλ' εἴτι κέρδους προσδόκημα προσαίνει,
κόρακας ποιητὰς, καὶ ποιητείας κίττας
δόξεις μέλος τὶ Πηγασήϊον μέλπειν.

IOSEPHVS SCALIGER
Isacio Casaubono suo S.

Quum in eo essem, vt ad tuas postremas scriberem, tantæ me circumstabant occupationes, vt vix respirandi spatium daretur. Nam non possim tibi persuadere, quam me exercitum habeant homines, qui sibi rescribi postulant: aliter, si cessemus, iniuriam sibi fieri putant. In hoc hominum genere familiam ducunt Germani, quibus si non respondeam, contemni se se clamant, adeo, vt quidam ex illis vi a me literas expresserint. Neque vero hæc sola occupatio mihi incessit, quum per longinquitatem regionum aliquando prolatis rebus ad grauiora me cõferre interdum possim. Sed difficillimam prouinciam mihi imposui describendi libros, quorum mihi ad tempus potestas facta est, Syriacorum, Arabicorum, & Hebraicorum. Ego non exiguam iam partem explicui, quamuis in hac ætate, quæ præter incommoda, quæ secum adfert, stulte facit, quæ alia vltro arcessat. Sed, vincam, sic Deus voluerit, & prodero eis, qui post

post me bibliotheca mea potientur. Itaque a me noui nihil prodire, neque exspectari potest, quandiu antiquarii munus fungar. Interea tamen Eusebius noster duobus Typographiis excuditur. Hoc vnum quotidie ab Opt. Max. Deo summopere peto, vt mihi vita ad coronidem operis ipsius benignitate suppetat, ne liber meus alio, quam me emendatore in lucem exeat. Quamuis multa Eusebiana noua dabimus, nullius tamen partis amore magis tangor, quam Canonibus meis, qui, vt tibi toties dixi, sunt anima totius operis, & industriæ, quam in illo argumento collocauimus. Te a tuis studiis, ad meas nugas conuertisse, vt Publiana nostra emendares, id vero tanti apud me est, vt satis dignas grates tibi referre non possim. Sed vtinam aliquid de optimo genere conuertendi in limine operis posuisses. Quod a se ipso commendari non poterit, a tuo labore posset. Sed potes adhuc, dum reliqua poematica Græca excudẽtur, si quidem tãti sunt, vt vllum typographum nancisci possint. Itaque oro te, vt omnia, quæ ex Martiali expressa tibi misit Heynsius, excudantur, idque emendatius, quam Catoniana. Ea cum nouis Publianis iustum aliquem libellum concipere possint. Infinita Epigrammata Græca nostra in librorum aliquot commendationem confecimus, quæ non memini: sed fortasse alii meminerint melius. Certe noster Martialis Græcus, etiam si non haberet aliud, cur edi deberet, tamẽ quia tibi dedicat° est, eo nomine cariſſimus nobis est, qui alioquin nostros fœtus

potius exponere solemus, quam tollere. Vettius Valens Astrologus, de quo quæris, scribebat tempore eodem, quo Ptolemæus, sub Hadriano, & Antonino, vt eius epochæ testantur. Citat aliquot veteres eiusdem studii homines tam mihi ignotos, quam ipse est. neque enim vllus veterum, qui hodie exstant, eius meminit. Alius Valens fuit tempore Constantini, a quo consultus fuit de vrbis nouæ Rômæ Byzantinæ fato. Sed noster Vettius, vt vides, longe antiquior est. Habet multa quidem vtilia, sed non pauca circulatricis diuinationis nugatoria. Vtitur etiam in μεθόδῳ ἀπὸ χρόνου, iisdem anaphoricis rationibus, quibus Manilius, quæ, quia vetustissimæ sunt, ideo ab omni natione hodiernorum Astrologorum ignorantur, adeo vt illis κοφυέστατα visus sim, quum illa præter opinionem illorum in Manilianis nostris explicauerimus. Quantum est omnium astrologorum ne minimam quidem partem illarum diuinare potuissent, quæ tamen nobis ἀπομνημονικῶς ex penetralibus vetustatis eruenda fuerunt. Certe illorum non est Manilium interpretari, neque de motu nugatorio octauæ sphæræ disputare. Sed hæc alias opportunius. Nunc narro tibi me in summis occupationibus meis hæc raptim scribere; a quibus ad prouerbia Arabica me conferam. Non enim maturius hunc operam tibi dicare possum. Vale. Lugduni Batauorum XII. Kalen. Octobris Iuliani.

CIↃ.IↃ.CV.

IOSE-

JOSEPHVS SCALIGER
Isacio Casaubono suo S.

Nemo viuit hodie, qui melius de me meruerit, quam tu. Omitto amorem tuum in me, qui æstimari non potest. De doctrina tua loquor, ex qua quotidie haurio, qui melior & doctior, καὶ κρείττων ἐμαυτοῦ fiam. Alii, qui tua legunt, & admirãtur, non ita ὄνασθαι αὐτῶν possunt, vt ego. Propterea in beneficiariis tuis primus locũ occupaui, & qui de scriptis tuis iudicare solent, quamuis, vt debent, optime de illis sentiunt, tamen patiantur se vinci a me, qui melius, quam vllus eorum te noui, & familiarius ad tua scripta admittor quotidie. Quantũ enim me liber tuus de Satyra oblectauerit; quam multa me docuerit, dicerem, nisi modus epistolę me in ordinem redigeret. Omnino totum deuoraui: & nihil in eo desideraui, nisi quod mecum pręclarius ageretur, si longior fuisset, vt longiore bono fruerer. Itaque nemo est, cui in literis plus debeam, quem magis suspicer, in quo bonarũ literarum thesauros omnes repostos sciam, quam tu. Quo magis a te exigo, vt in Polybio pergas, quem nemo præter te, nobis talem dare potest, qualem ego exopto. Quia enim totum nobis inuidit iniuria temporum, id quod nobis relictum est, quis melius exornare possit, quam tu? Scriptoris illius me studiosum fuisse profiteor. Sed quæ ad illum notauimus, in alieno libro reposita sunt, & nulla spes est recipi, & præterea non sunt tanti, vt aut editionem tuam morari de-

beant, aut exspectationi tuæ satisfacere. Non solum contentus fui lectione libri tui de Satyra; sed etiam, vt honorem haberem manibus & memoriæ Florentis nostri, Cyclopem Græcum reuisi. quæ olim, quum G*essemus, in oram libri annotauimus: & quæ præterea nunc inter legendum succurrerunt, in schedion conieci; vt te non solum magistrum, sed etiam cæsorem habeam. Nunc feruet Chronologia omnes horum excalfaciunt. Solus desit nugari ignoratus hactenus Sethius Caluisius, homo Germanus, qui accuratissimum Chronicon edidit, nostrarum rationum munimentis insistens, vt ne latum quidem vnguem ab illis discedat. Eum librum; propterea quod ad nundinas delatus non est, videre non potuisti quem vero ego habeo, ipsius auctoris liberalitate ad me missus est, eleganter, vt captus Germanorum est, compactus, deauratus, pumicatus. Tandiu ego miserlus in sterquilinio delitui, donec repertus est iste bonus & doctus vir, qui rationes nostras in lucem proferret, earumque fructum huic seculo βαρβαρίζοντι proponeret. viuet ille liber. Callisthenem illum nunquam vidi. & quia a *citatur, omnino Latinum fuisse, non Græcum, quem ille vidit necesse est. Nam Græcissimi imperitum eum vincunt scripta eius. Istiusmodi ὑποζυγίων scriptorum monstra olim fuerũt, in quibus Dares Phrygius Dicty Cretensis qui hodie Latini exstant. eos etiam Græci habuerunt, quorum fragmenta in Cedreno exstant. Quid dicas de Epitome Iliados Epica Latina,

quam

quam ridicule Pindarum Thebanum proscripserunt? Quid Aristæas ille, quam antiquus est, vt etiam a Iosepho citetur? quod est τῶν ἑλληνιστῶν Ἰουδαίων παρεγχείρημα. Quid Ecatæus de Iudæis, quem is ipse Helleuistis antiquitus confictum fuisse manifesto ex Origene colligitur? Quid Pseudosibyllina oracula, quæ Christiani Gentibus obiiciebant, quum tamen e Christianorum officina prodiissent, in Gentium autem bibliothecis non reperirentur? Adeo verbum Dei inefficax esse censuerunt, vt regnum Christi sine mendaciis promoueri posse diffiderent? Atq; vtinam illi primi mentiri cœpissent. Vale. Lugduni Batauorum. III. Kal. Nouembr. Iuliani. CIↃ. IↃ. CV.

Ad nouam versionem Polybii vltro te hortor. Nam illa Musculi ridicula est, Perotti ad quinque libros manca. Aliam non vidi. Iterum vale.

QVÆDAM IN CYCLOPEM Euripidis carptim animaduersa.

ἦνίκ' ἐκ μανεὶς Ἥρας ὕπο) non ἐμμανής.

— ἐν πρεμνῃ δ' ἄκρᾳ αὐτὸς λαχὼν εὐδυνον ἀμφῆρες δόρυ.) τὸ ἀμφῆρες δόρυ est τὸ δίκωπον σκάφος, vt alibi, νεὼς μελαίνης κοῖλον ἐμβήσας σκάφος διπλαῖσι κώπαις τῆς δ' ἀποστελῶ χθονός. ἀμφηρικὸν vocat Thucydides. Eiusmodi erant τὰ λυσιτελῆ σκάφη: λαχὼν igitur, non λαβὼν. & de nauigio non de clauo, τὸ εὐδύνειν intelligendum.

παῖδες μέν ἐ' μοὶ,) id est, οἱ ἐμοὶ,

βεβᾶσι πόλιν ἐοίκαμεν εἰς ἁλεῖν.) lege εἴσιμεν.

κακῶν τε λῆσις) non λῆσις.

ἰδοὺ τάδ' ὑμῖν ποιμνίων βοσκήματα) non ποιμένων.

--σχοινίνοις τ' ἐν τεύχεσι) non σχοινίοις.

ὀίμοι, πυρέσσω συγκεκραμένη τ' ἄλας) κακολογία. inde συγκοπή.

κατὰ τὸν ὀφθαλμὸν μέσον) Ridicule. Quomodo quis vinciri potest κλοιῷ τειπήχει κατὰ τὸν ὀφθαλμὸν. legendum. ——δήσαντες δέ σε

κλοιῷ τειπήχει, κατὰ τὸν ὀμφαλὸν μέσον

τὰ σπλάγχν' ἔφατσον ἐξαμήσασθαι σέθεν.

ἀποδῶσειν τινὶ πέτρους μοχλεύων) Paulo ante exenteratum iri dicebat. hic exenteratus imponitur naui deportandus ad metalla lapidum, vt ibi pœnæ seruus ingentia saxa moliatur. quomodo qui exenteratus fuerit? Multas eiusmodi Euripidis ἀλογισείας deprehendimus alibi passim.

τὰ καινὰ δ' τῶν παλαίων, &c.) Ita melius, neque vulgatam damnamus.

αὐτὸς ἔχ'.) Id est, εἰς κεφαλὴν σοὶ. Ita olim notauimus in margine libri.

πολλῷ πέπουθα, καὶ δικαιότερον λόγῳ) non λέγω.

ὀδυ. δεῦ τὸ πρᾶγμα.) Retrahe huc duodecimum versum, & ita continua:

ὄδυ. δύσφορά γ' ὀνείδη Φρυξὶν ὑπὲδώκαμεν.

δεῦ τὸν πρᾶγμα. μηδὲν' αἰτιῶ βροτῶν.

Ita nos ipsi sumus, qui Troiam vastauimus. Sed non nostrum est factum, quod tot δυσφόρητα ὀνείδη Phrygibus dedimus, sed Deus in caussa est, qui ita decreuerat. Quis non miretur illum versum hinc tam procul submotum?

Τερσί-

Τεραίστιοί τε καταφυγαὶ, τὰ θ' Ἑλλάδος) τᾶς θ' Ἑλλάδος.

ἐν στέγοντι γαστέρ' ὑπτίαν) inepte. εὖ στέγων τε γαστέρ' ὑπτίαν. muniens saturum ventrem πέπλῳ. Tegens ventrem. vt postea dicit.

σὴν σάρκα διαφόρητον) non δυσφόρητον.

χο εὐρείας φάρυγος) Ponendum ἡμιχ. non χο. Nam dimidium chori progressum antro iam paratis epulis Cyclopem inuitat. alterum Semichorium intus relictum est.

ἑφθὰ καὶ ὀπτὰ κάτ' ἀνθρακιᾶς. non καὶ ἀνθρακιᾶς.

μόνος μόνῳ κόμιζε πορθμίδος σκάφος.) *Solus soli mihi confer hanc celocem*, vt Plautus, fortasse huc alludens, loquitur. vult eum integram famem ad has epulas adferre.

χαιρέτω μὲν αὖλις ἥδε.) Hic præponendum alterum semichorium. ἡμιχ. χαιρέτω μὲν αὖλις ἥδε. Semichorium auersatum belluinum Cyclopis prandium foras egreditur. Itaque inter versiculum μόνος μόνῳ, & χαιρέτω μὲν αὖλις, canticum interiectum est ab iis, qui modos faciebant.

ἀποβώμιος ἄν) non ἄν. Alioquin non parua caligo offusa erat.

εὐτραφέστατον πάχος) non ἐντρεφέστατον.

σκύφος τε κισσοῦ) Nullus ederæ truncus tantus est vspiam terrarum, vt ex eo pocillum palmari magnitudine confieri possit. Hic tamen σκύφος κισσοῦ est latum tres cubitos, profundum quatuor. Papæ. est ἀλογιστία Euripidis.

ὀβελούς τ' ἄκρους) obscurissimus & maxime inconcinnus locus. Ponam veram lectionem.

ὀβελοὺς τ' ἄκρους μὲν ἐγκεκαυμένους πυρὶ,

ξεστοὺς δὲ δρεπάνῳ τἄλλα, πηλιούρου κλάδων.

Verua ex paliuri durissimi ligni ramis aut sudibus præustis quidem igne acumine, reliquo hastili falce dedolatos. Apud Athenæum legendum κλάδων, non κλάδον. Εὐριπίδης ἐν Κύκλωπι λέγει παλιούρου κλάδων. Quam inepta sententia antea concipiebatur, quum videretur poeta dicere, verua non falce dedolata esse, sed paliuri ramo. Hæc sunt plane delira, vt taceam inconcinnitatem versus.

παίων πρὸς ὀξὺν στόνυχα) non γ' ὄνυχα.

ἀνέπεσε φάρυγος ἀέρ' ἐξιεὶς βαρύν.) non φάρυγγος αἰθέρ' ἐξιεὶς βαρύν.

ἐδέξατ' ἐξέσπασ' ἄμυστιν) non ἔσπασεν.

χηρεύομεν. τὸν δ' οὐκ ἔχομεν κατεκφυγεῖν.) non καταφυγεῖν.

ῥυσμοῖσί νιν σφίγξαι μενοινᾷς.) non ῥυθμοῖσί νιν σφάξαι.

ὀφθαλμὸν, ὥσπερ σφηκιὰν, ἐκθλίψομεν) non ἐκτρίψομεν.

ἡμι. μακάριος.) sunt ἄσματα ἐπικώμια, quibus ad κῶμον inuitatur Cyclops satur. Beatus qui bene satur; & appotus, odoratus nitentes capillos ad fores amicæ cantat θύραν τίς οἴξει μοι;

χλιδανὴν ἔχων ἑταίραν.) Nam χλιδανῆς ἑταίρας, quod vulgatum est, ineptissimum.

μυρόχριστος λιπατρόν) non λιπατρός. Horatius: *Coronatus nitentes malobatro Syrio capillos.* μυρόχριστος ξανθὸν λιπατρὸν βόστρυχον.

γάνυμαι καὶ δαιτὸς ἥβης.) Quo illud ἥβης? Scribendum putarim, γάνυμαι δὲ δαιτὸς (αἰβοῖ.) Est ἐπίφθεγμα saturorum hominum: hoc enim dicens

cens ructat. Est enim exsultantis. Aristophanes, Αἰβοῖ οὐκ ἔστιν οὐδὲν τοῦ πέτεσθαι γλυκύτερον Scholiō. αἰβοῖ, τὸ αἰβοῖ οὐ μόνον ἐπὶ σχετλιασμοῦ ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ἡδονῆς, ὡς καὶ νῦν.

σκάφος ὁλκὰς ὡς) Euripidea phrasis, κάφος ὁλκάς. μανίας λύσσημα, in Oreste. δρομὰς κῶλον, in Helena. Latini *victricia arma*.

χο. καλὸν ὄμμασι δεδορκὼς.) præponenda Semichorii nota. ἡμιχ. καλὸν ὄμμασι. Est enim idem semichorium, quod antea, inuitans εἰς κῶμον.

καλὸν ἐκπερᾷ) Obscurissima sunt sequentia, idque propter mutationem personæ secundæ in tertiam. Alloquuntur enim Cyclopem inuitantes ad amicam ἐπὶ κῶμον, a qua in antro ait eum exspectari, καλὸν ὄμμασι δεδορκὼς καλὸς ἐκπέρα μελάθρων. φιλεῖ τις ὑμᾶς. Est quædam nympha, quæ vos deperit, σὸν χρόα θ', quæ te tuumque corpus deperit, vt pote τέρεινα ἐντὸς ἄντρων. Illud (λύχνα δ' ἀμμένα δαίει) includenda parenthesi. Ita lux reddita obscurissimo loco.

κατάθες αὐτὸν ἐς μέσον) Lō κάθες αὐτὸν εἰς μέσον.

θὲς δὴ τὸν ἀγκῶν' εὐρύθμως, κᾆτ' ἔκπιε, ὥσπερ μ' ὁρᾷς, πίνοντα, χὥσπερ οὐκ ἐμῶ.) non οὐκ ἐμὲ. Nam ingurgitabat se Cyclops, ita vt vinum redundans eiiceret. ipsum docet Silenus composito cubito paulatim bibere, ne vinum vomat.

παρεύτρεπισται δ' οὐδὲν ἄλλο) Mira verbi elegantia, vt πατρορᾷν aliquid perperam videre, vel potius aliquid omittere videndo, sic παρεύτρεπίζειν, quum aliquid deest, quod apparandum erat. sic *nihil hic, nisi carmina, desunt*. οὐδὲν παρεύτρεπισται πλὴν τῶν ἐπαοιδῶν.

χώρει δ' ἐς οἴκους, πρίν τι τὸν, πατέρα μαθεῖν ἀλαλαγμὸν, ὥς σοι τἀνθάτ' ἐστὶν εὐτρεπῆ. non) ἀπαλλαγμὸν & τἀνθενδ'.

καὶ τάδ' ὄμματα μέτεστιν ἡμῶν κόνεως) Barbare, & inepte. Imo καὶ τάδ' ὄμματα μέτ' ἐστὶν ἡμῶν κόνιος, ἢ τέφρας ποθέν.

πάλαι μέν ᾔδει σ' ὄντα τοιοῦτον φύσει) Ἀττικῶς ᾔδει, ἐτετύφει, ᾔδειν, ἐτετύφειν.

ὁ μιαρὸς, ὅς μοι δοὺς τὸν πῶμα κατέκαε.) non κατέκαυσε.

καὶ δεδορκότως λέγε) Plane ita olim in ora libri annotatum est ante 31. annos.

IOSEPHVS SCALIGER Isacio Casaubono suo S.

Scito omnes tuas literas mihi redditas esse. Sed ex iis, quas a. d. 14. Kalen. Febr. dedisti, intelligo te non postremas meas accepisse. Quia vero recte curatæ sunt, eas nunc tibi redditas esse minime dubito. Tuas accepi, quum iam fere mensem ἀνορεξίᾳ, διαῤῥοίᾳ, siti, & tussi molestissima pene confectus propius a meta me abesse existimarem. Neque vero falso hoc arbitrabar, quum corpus, quod nulla alimonia reficitur, tandem exstingui necesse sit. Nunc Dei Opt. Max. benignitate iam hunc quintum diem fastidio cibi liberatus cœpi aliquid sumere, & cũ mensa, quam tot dies auersatus fui, in gratiam redire, & corpusculo reficiendo operam dare, quod adeo exhaustum est, vt his scribendis vix sufficiam. Iste morbus superioribus mensibus mul-

multos male exercuit, omnis quidem ætatis: sed imprimis senes, maiore sane molestia quam periculo. In tanto languore, & virium remissione neque mihi deesse volui, neque vt non ad tuas responderem, committere, idque eo libentius, quod nihil mihi iucundius fuit, quam quod ex illis intellexi te serio in Polybio tuo versari. in quo, quanquam non ignoro multa esse, quæ impetum diligentiæ & industriæ tuæ remorentur, ea tamē eiusmodi esse scio, vt non alio vindice, quam te, opus habeant. Ac bene sane cum eo grauissimo scriptore agitur, qui te talem nactus sit, & qui eum nouum Latinis hominibus, & Græcis integriorē donare possis. Alterutrum præstare pro dignitate, arduum est, vtrumque nulli, præterquam tibi vni, datum. Hoc vt credam facit hinc summa hodie doctorum penuria, hinc tua eximia eruditio, quæ sola, ne illos prouentus bonorum ingeniorum, quos olim adolescentes vidimus, desideremus, facit. Habes latum campum, in quo de militia Romana ea expromere possis, quæ frustra ab aliis tentata, ab aliis ne tentata quidem. Franciscus Patritius solus mihi videtur digitum ad fontes intendisse, quem ad verbum alii, qui hoc studium tractarunt, quum sequantur, tamen eius nomen ne semel quidem memorarūt: quod equidem magis miratus sum in illis, de quorū candore dubitare piaculum esse putassem: Ego nihil non magnum ex tua illa Polybiana editione exspecto. Sed te felicem, qui Typographos ad manum habeas. Cum quibus mihi res sit,

iamdudum ex me scire potusti, quod non sine summa indignatione neque meminisse, neque referre possum: quorum ignauia iam omnium vota & exspectationem consumsit. qui quum Eusebiana nostra videbunt, fortasse dixerint, αἰσχρόν τοι ἀγρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι. De Marcellini Comitis exemplari, quod penes Frontonem Ducæum est, gratiam & tibi & illi habeo. Sed iamdudum ille liber cum Latinis Hieronymi inter nostra excusus est, vt non integrum sit mihi aliquid emendare, aut apponere. Sequutus sum editionem Onufrii, quæ longe melior est Lutetiana, quæ prima omnium prodiit. Præterea ego solum Chronicon Eusebianum tractaui: reliqua, quæ illud opus continuant, aliis illustrãda reliqui. Nam mihi cum vno Eusebio res est, cũ eo manus consero, eius rationes discutio, errores & temeritatem castigo. Incredibile est quantum ille prudens, imprudens peccauerit. Mirabuntur, qui legẽt. Indignabuntur, qui hodie nihil profitentur, quã peruersa defendere, vera euertere, nouos errores veterib. superstruere. Spero hoc mense Maio opus nostrum proditurum, nisi solentes mihi imponãt, qui toties meam, & aliorum spem eluserunt. De epistola Arabica regis Maroci, & Fessæ ad Antonium μιναυθάδιον Λυσιτανίας βασιλέα. iam tibi respondi. Misisti ad me ex Cimiliarchio nobilissimi Bordesiere tria ἔκτυπα. Omnia sunt, quæ Arabes vocant *Talisman*, Græci στοιχεῖα. imagines ad constellationes factæ cuiusmodi legisti in tuo Cosmographo Arabe, de iis, qui ad declinãdos ictus

Scor-

Scorpionum imagines quasdam horoscopante signo Scorpionis factas gestabant. Græci, vt dixi στοιχεῖα vocant, vt Cedrenus. qui faciunt illa, στοιχειωματικοὶ, vt Ptolemæo in Carpo, IX. τὰ ἐν τῇ γενέσει καὶ φθορᾷ εἴδη πάσχει ὑπὸ τῶν οὐρανίων εἰδῶν. διὰ τοῦτο χρῶνται τούτοις οἱ στοιχειωματικοὶ τὰς ἐπεμβάσεις τῶν ἀστέρων σκοποῦντες ἐπ' αὐτὰ. vbi consulendus Aly, qui tamen in meo exemplari Hebraico manuscripto non Aly, sed Abugepher vocatur. Tzetzes in Chiliad. pag 37. de Apollonio Tyaneo, τοὺς μαρμαρίνους πελαργοὺς, ὡς ἔφην, στοιχειώσας. nimirum ciconiarum simulacra faciunda curauerat τὰς ἐπεμβάσεις τῶν ἀστέρων σκοπῶν. Achmet ὀνειροκρ. σξ. εἰ δ' ἴδη, ὅτι δακτυλίδιον ἐξωνήσατο, καὶ ἐφόρει δόλῳ στοιχημάτων. Quocirca Arabes eiusmodi vocant *Muthalsam*, στοιχειωματικά. qualia multa vidimus prisca, infimæ vetustatis, recentissima: & eodem die, quo illa tua accepi, vnũ mihi a Marquardo Frehero missum est, characteribus Arabicis Africanis, cum caniculæ sidere. Denique nihil tam frequens est, quam hæc ἔκτυπα in gemmis inclusa videre, etiã vetustissima. Ea nemo intelligit, nisi qui facienda curauit. Et frustra illis interpretandis opera datur. Quot enim verisimilia dici possunt, quorum nullum mentem eorũ aperuerit? Veteres Hęretici, præsertim Valentiniani, & Marcosiani, multa eiusmodi reliquerunt, quę hodie in antiquariorum loculis asseruantur; cum eorum Deo ΑΒΡΑΞΑΣ. Vnum adhuc puto me habere. Ex eo genere sunt duo minuscula, quæ ad me misisti. maiusculum est Sinarum. Nisi fallor, puto

adhuc vnum inter quisquilias meas latere, sed charta Sinensi impressum. Et non pauca id genus mercatores harum regionum habent, quæ non curant, sed illis merces suas inuoluunt. Apud Falesellum medicum Achatem vidi quidem, sed non eius generis sculpturæ. Ibi enim nullum στοιχεῖον, sed Distichon Græcum erat, quod Gruttero inter veteres inscriptiones reponendum misi. Nihil vero me de illo scripsisse, quod ille nobilis. vir putat, memini. neque sane opus est, quum sit plana lectio, & puero obuia. Vale. Lugduni Batauorum IIII. Eid. Martii Iuliani. CIↃ. IↃ. CVI.

IOSEPHVS SCALIGER
Isacio Casaubono suo S.

Postquam ex tuis literis intellexi funus domesticum, quod maximum vulnus animo tuo inflixit, meæ partes erant aliqua consolatione dolorem tuum lenire. quod quum nō fecerim, noli putare aut me officium neglexisse, aut per obliuionem omisisse. Quum enim proxime postquam literæ tuæ mihi redditæ sunt, ad te scriberem, nolui intempestiuum remedium dolori tuo adhibere, tum quia recens vulnus erat, quod tangere periculosum esset, tum quia nihil ad te consolandum depromere possem, quod non tibi domi nascatur. neque tibi tantæ eruditionis viro opus sunt ea, quæ nos in simili casu melius a te peteremus, quam vt nostris tu egeas, aut vt ea te iuuare possint. Quod reliquum

quum est, satis officio meo me satisfeciſſe puto, si saltem significarem huius damni sensum, non minus ad me peruenisse, qui nullum discrimen pono inter res meas & tuas, & quæcunque animum tuum afficiunt, mecum tibi communia esse. Noui patrum affectus, qui pater non sum. Noui etiam constantiam tuam, quæ quum pietatem cum maxima eruditione coniunxeris, tibi deesse non potest. Nam pietas non sinit te non velle, quæ Deus voluit, eruditio docet ea ferenda esse æquo animo, quæ neque solis nobis accidunt, neque vt non acciderint, lacrymis nostris efficere possumus. Non exspectabis, vt hanc ægritudinem tempus tibi adimat. Hoc plebeiorum ingeniorum remedium est. Sapientis est tempus ipsum anteuenire, & dolori ipsi nascenti occurrere. Iam igitur, quæ tua est sapientia, te has partes expleuisse puto, quominus & tibi molestus ero, & me labore inutili liberauero. Multi in Germania scribunt Chronologica ex præceptionibus nostris: quorum specimen quoddam nuper accepimus. ἡ ἀλήθεια vicit veritas. Idem videbis & in Burdonii confutatione. Vale. Lugduni Batauorum. v. Eid. Iuni. CIↃ. IↃ. CVIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Isacio Casaubono suo S.

Quas Deo Opt. Max. gratias agam pro tam insperato auxilio, quod pro sua inexhausta bonitate tibi impertitus est, quum in flumine Se-

quanta tantum discrimen adiisti? Quantum me affecerint literæ tuæ, quum hæc legerem, inde colligere potes, quod etiamnum ad memoriam rei inhorrescit animus mihi, quam misera fuisset tot capitum iactura cogitanti, quum quæ in morte tua sola fuisset, et nulla comparanda sit. Sed Deum tam propter te eorum misertum est, quam tui, propter omnes, qui literas colunt. Neque enim tibi caris tuis orbato tranquillam, neque nobis te adempto felicem vitam agere licuisset. Vtinam σωτήρια de naufragio Gpersoluendi tam iusta caussa tibi fuisset, quam merito ea debes Deo Opt. maximo, tam insigni periculo liberatus. Accipe nunc Satyram Heinsiii triente auctiorem, & Confutationem fabulæ Burdonianæ. Si quis impudentiam calumniæ in ratu, nihil agit, nisi cogitet, quot nebulones, capita contulerint, vt tam absurde mentirentur, & nihil præter ludibrium sui relinquerent. Sane multa in viros probos ab improbis quotidie confingi mirum non est. Sed in illis exstant quædam, quorum alia specie veri mouent, alia commenti festiuitate alliciunt. In hac calumnia tantum abest, vt vtrumque, aut alterutrum deprehendas, vt nihil magis mirer quam esse, quos neque impudentia mendacii, neque stupor nebulonis a lectione eius libri deterruerit. Sed quid facias, vbi maior gratia est impudentiæ, quam modestiæ: addo etiam, maior impunitas maledici scripti, quam quotidianorum ludorum? Nuper Fur ille Vespillonides scribebat ad amicos suos suique similimos, se pri-

primum omnium fenestram aperuisse ad obtrectãdum omnibus, quorum aliquod nomen & celebritas in literis exstaret, atque adeo multos esse, qui exemplum suum sequentur. Sed pulcre auspicatus est. Nam infamia generis eius, furta, flagitia adhuc intra paucorum conscientiam latèrent, si ille in nos ea mentitus non esset, quæ in ipso nimis vera deprehensa sunt. Præterea nunquam Scaligeri tam illustres fuissent, quam nunc sunt. Scitum vetus est: ex malis moribus bonas leges nasci. Nunc ex mendacio veritas illustrata est. Aiunt optimum & doctissimum Franc. Iuretum iniquis modis ab eo acceptum fuisse in præfatione ad editionem Symmachi. Nemo ab illa Furia tutus euadere potest, qui quidem aut pietatis, aut literarum nomine commendetur. Oro te, ne pigeat paucas horas in Confutatione legenda perdere. Nullam quidem elegantiam animaduertes: neque sane eam affectauit auctor. Sed, quod serio promittere audeo, nusquam commentum impudentissimum tanta felicitate profligatum legisti. Vale. Lugduni Batauorum. v. Kalend. Septembr. 1608.

Arabica verba quæ habẽtur in autographo Auctoris quia pluscula erant, edi nunc non potuerunt.

IOSEPHVS SCALIGER Petro Pithœo suo S.

Diu dubitaui, mi Pithœe, an is casus, qui omnibus bonis communis fuit, te quoque inter alios mihi abstulisset. Nam superioribus bellorum tempestatibus ita iactatus fui, vt cum omnium bonarum rerũ iacturam fecerim, tum & amicorum quoque maxima parte mulctatus sim. Me miserum, qui & illis superstes sum: & illorum, qui perierunt, casum deplorare, & me, qui illis caream, miserari cogor. Tamen, quantum ego video, non ita infelix sum, qui te superstitem habeam, quem putabam in illa naui ciuili vna cum aliis naufragium fecisse. Bene sit, iam sane renatus sum; & qui mihi pene ipsi ablatus eram, iam plus iusta mei parte viuo, qui tibi restitutus sim. Euge mi Pithœe, tot amicos perdidisse non tanti sit, quanti te vnum superesse, talem, & tantum amicum. Ne viuam, nisi te vno plus incolumi gaudeo, quam tot mortuis antehac dolui: quamuis tantum doluerim, vt præstiterit me omnes lætitias ignorasse, quam tantum dolorem doluisse. Me sane post illam omnium facultatum & fortunarum mearum deformitatem tantum non dicam illarum, sed mei ipsius pertæsum est, vt coactus sim ibi patriam quærere, vbi natus non sum, eamque damnare, plus dicam, eam diris defigere, quæ me tam infelicem sustulit, vt alumni rationem non haberet. Veni ergo ex illa Valentiam, hoc est, ex turbulentissimis fluctibus in tranquillissimum

omnium

omnium virtutum, & humaniorum literarum portum Iacob. Cuiacium: qui me ex illa naui iam nauseatem omni bonorum studiorum gustu refecit: languentem recreauit, & iam prope deploratum, imo & mihi, meisque rebus omnibus diffidentem ad lucem iterum reuocauit. Deus benefaciat optimo; & incomparabili illi viro, qui me tanta spe sustentauit, vt nunc non dubitem sub illo si nihil aliud, saltem illis ipsis vestigiis insistere, quibus tu tantus Iurisconsultus ad illa penetralia Iurisprudentiæ peruenisti. Vide quid de te mihi persuasi. Virtutem Pithœi assequi prorsus diffido, eo tamen duce, & auctore nihil non audebo. Vale mi Pithœe, & me ama. Valentiæ Allobrogum. VIII. Kalend. Quintil.

IOSEPHVS SCALIGER IVL. Cæs. F. doctiss. Iusto Lipsio suo.

Misit ad me Lutetia literas tuas amicus noster Christophorus Plantinus. Ego, mi Lipsi, ex quo primum scripta tua legi, cœpi te amare, & egregias animi tui dotes admirari. nihilque ad summam illam voluptatem, quam ex scriptis tuis capio, deesse mihi videtur præter complexum tuum; quem ego nactus, ita mihi Musæ faueant, nunquam dimitterem. atque vtinam ita præsente te ἔποσε φάμεναι, ἔκτ' ὀνομάζειν liceret, vt te sæpius in lectione libellorum tuorum alloquor, atque mediusfidius interdum αὐτοσχεδιὰ compello. Atque vt ego tibi hæc scribere

cogitabam, ecce me ipso in articulo oppressit puer, qui mihi literas a doctissimo CL. Puteano dedit vna cum politissimis Epistolicis quæstionibus tuis. Nam quamuis nõdum eas legi, quia nunc mihi hæc scribenti redditæ sunt, quare aliter quam politissimas vocem, quæ sint a Lipsio meo? sane non dubito quin eas cuserit optima moneta officina tua. Et, vt verum fatear, subit me gloriolæ γαργαλισμὸς, dum inter tractandum limis nomen meum legi. Vtinam per tabellarium liceret illarum lectioni præ vortere! sed scribendi munus non potui defugere, quia peroppo. une inueni, qui has tibi reddendas curet. De Plauto non est quod aliud a me exigas. tu potius σπάρτὰν ἔλαχες, τάυτὰν κόσμει. Interea tamen Catullum nostrum cum reliquis duobus poetis ad te ferendum curo, si typographus non fefellerit. Ego huc in otium secessi. Equidem casum patriæ tuæ moleste fero. sed & nostrum tu lugeas licet, qui toti in belli sæuissimi exspectatione sumus. *Africa terribili.* nosti cetera. Plautum Lambini si vidisti, non admiraris, certo scio. est enim germanus plane illius Horatii Lambiniani, qui commentariorum mole laborat. In hoc secessu nihil pene librorum attuli. itaque plane sum ἐν σκυθῶν ἐρημίᾳ, in loco tam a literis, quam a libris vasto. Tu, interea dum ego heic neque mihi neque alteri prosum, fac felicius quam me, in otium te dedisse putemus. Nam profecto inter eos armorum strepitus, οὐδὲν γονιμῶδες omnino possum παρακινδυνεύεσθαι. Conabor tamen, si possu-

possumus, editionem Psalterii mei; quam molior, aut per me, aut per alium emittere. Hexaplun fori, Hebraice, Syriace, Æthiopice, Arabice, Græce & Latine, vna cum scholiis, & in eas aliquot linguas præceptis. Tu nobis & Plautum & Nonium, & alios exornatos dabis. neque est quod a me exspectes. me vide. Ego frequentes a te eliciam si possum. amiculi gratum in te animum despexis, caue. Vale. Datum Tuffoli in Pictonibus ad Viennam flumen. Pridie Id. Febr. CIↃ. IↃ. XXVII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iusto Lipsio suo
salutem.

Satyram tuam Menippæam accepi, mi Lipsi, cuius nomine tibi gratiam habeo primum tanquam amico, qui mihi eam dedicasti, deinde tanquam magistro, qui me multa bona docuisti, & doces quotidie in tuis aureolis scriptis. Quare & amicitiæ tuæ & eruditioni ita me debere fateor, vt alteri quidem opponã habeam pietatẽ; & singularem amorem in te, quo ne tibi quidem concedo: in altera ita me vinci a te gaudeo, vt nõ aliter, quam si id omnibus palam testatum relinquam, tibi satisfactum putem. Quod sane non solum facio, sed & fieri debere fateor. Deus Opt. maximus te nobis conseruet. Nam qui dignitatem literarum hodie sustineat, præter te habemus neminẽ. Iuuenes nostri hoc tempore ῥεμβόμενοι, nescio quid μετεωρολογοῦσιν.

hoc vnum ſtudent, vt mulieribus placeant eorum ſtudia. Aliter oleum & operam ſe perdidiſſe putant. Oraculum hoc a me accipe: ſi ego & tu morimur ſenes, per hos λεχηνευτας non ſtabit, quominus literarum interitum tandem videamus. At ego nunquam nouarum partium transfuga aliquid muginabor, vt inquit ille, cuius fructus ita mihi conſtabit, ſi illis diſpliceant labores mei. Habeo in manibus opus affectum de Emendatione temporum, in quo veterum excito omnium noſtrorum Chronologorum, qui omnes ὁμοθυμαδὸν in vnum id iuraſſe videntur, vt verum nunquam dicant. Primum omnium nationum annos tam veterum quam recentiorum explicaui, Atticorum, Macedonum, veterum Hebræorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Perſarum, Æthiopum, Armeniorum. Huius rei ignoratione non tantum peccant Chronologi noſtri, ſed & ii, qui eorum dicta κυρίας δόξας putant. Præterea annum noſtrum quomodo corrigant ii, qui hoc opus hodie Romæ aggrediuntur, oſtendo, & multa alia eius generis adiicio, ex quibus omnium ſeculorum ratio penitus ignorata conſtet. Tu velim ſæpius ad me ſcribas, niſi graue eſt. Plantinus curabit literas deferendas. Vale. Catamilæ ad Croſſam flumen in agro Agedunenſi limitis Lemouicani. x. Kalen. Iun.

CIↃ. IↃ. LXXXI.

**

*

IOS.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo S.

Magnam iacturã omnes literarũ studiosi, atq; adeo literæ ipsæ in acerbo Hieronymi Commelini interitu fecerunt. neque minus te communi, quam propria caussa eius vicem dolere certo scio. quem & similitudo studiorum, & eius industria, qua carere non poteras, tibi carissimum fecerat. Ego vero, mi Grutere, quid tibi dolorem meum narrem, quem quotidie ex amicissimi hominis casu percipio? Iam vetus nobiscum vsus familiaritatis intercedebat. Accedebat eius probitas, & morum integritas, & studium in bonis auctoribus iuuandis, qui in hoc senescẽte bonarum literarum seculo illius industriam partim experti erant, partim exspectabant, si per eius immaturũ obitum licuisset. Sed eius casus eo magis nobis deplorãdus, quod nobis tum ademtus est, quum magis expediebat eum viuere, &, quod summum vulnus est, quum qui se imitaretur in bonis literis iuuandis, reliquit neminem. Nam vt qui literas fouebant, ita & literæ ipse earumque studia omnia frixerunt; quæ a Principibus contemta, a priuatis neglecta sunt. Sed hæc querela est alius loci: neque hoc vulnus nunc tangimus: quum recentior dolor a Commelino propius ad nos pertineat. Is igitur, quod te ignorare non puto, multos bonæ notæ scriptores vtriusque linguæ paratos habebat, quos propediem in lucem ederet. Magnam vim talium librorum conquisi-

uerat. Bibliothecas excusserat non Principum modo, sed etiam amicorum suorum. Alios prætermitto. A me habebat quædam, & maiorum satque plurium spem illi feceram: quæ an omnia, vt promiserat, editurus esset, non fides eius, sed facultas, vt dubitarem faciebat. Vix enim tantæ copiæ explendis sat futurus esse videbatur. Dederam illi ingens volumē veterum inscriptionum, quę passim in Europa reperiuntur, a Smetio prætermissarum, quas partim ego in ipsis locis legeram, partim a libris, reliquas ab amicis habebam. Volumen non est minus Smetiano; quod hic iussu illustr. Batauiæ ordinum editum est. Conuenerat inter nos, vt simul ederetur cum Smetiano; hoc est, vt seruato eodem ordine, capita Smetiana explerentur nostris: quod perfacile est, nempe vt inter legendum nostra, vnum quodque coniiciatur in capita Smetiani libri, prout materia ipsa postulat: idemq; faciendum de auctario Lipsii. Hoc modo componetur opus immortalitate dignum. Sed interuentu mortis Hieronymi tam egregium inceptum interpellatum est: neque est, cui persecutionem illius laboris commendare ausim quam tibi, si tantum animi mihi esset, vt te occupatissimum compellare nō vercari. Quo enim ore hoc audeam, qui te ad ingratum laborem vocare velim? Non est mihi tantum frontis, mi Grutere, nisi forte verecundiam meam humanitas tua anteuerterit, cui magis confido, quam vt hanc spem omnino totam abiicere velim. Si igitur vel posteritatis commodum,

vel

vel gloriæ amor, quam tibi nascituram inde scio maximam, vel etiam preces meæ locum apud te habere possunt, suscipito opus vere tedignum, quod vnicam opem tuam implorat, & quod sine ope tua lucem videre timet. Quibus conditionibus te ad hoc inuitemus, accipe. Familiam ducit fructus ex tanto labore tam ad amantes literarum, quam ad te redundaturus. Dedicabis cui Principi voles, & præmium vel honorarium honestum hinc exspectare potes. Præterea spondeo nomine meo, aliquot exemplaria tibi exceptum iri, quæ tu ante alios præcipies, & quantum conueneris cum Ioanne Commelino, aut Iuda affini eius, tantum tibi datum iri exemplarium. De me, ego omne meum ius in te transfero: neque nominari quidem me velim. Totum opus plene tuum esse volo. Si igitur satis animo tuo acceptum est, hanc prouinciam suscipere, quam primum poteris me certiorem facies, vt quædam ex Græcia & ex aliis locis, quæ nuper habui, optima monimenta tibi mittam. Ordinem Smetianum seruandum censemus; hoc vno excepto, quod omnia Græca separatim ponenda in fine cuiusque capitis melius e re nobis fore videtur, nisi tu aliter censes. Præterea, Christiana omnia in finem reiicienda suis capitibus tam Græca quam latina tributa, vt tibi videbitur.

Paucula sunt, quæ nolim in illis optimis censeti, vt illud ex Hispania PALLADI SACRVM, & SEMPRONI TVDITANI &

alia, de quibus monebo. Sunt enim commentitia. Quam φορτικὸν me dices, qui tantum oneris tibi imponam? Omnia, mi Grutere, cum bona venia tua & a me dicta scito, & a te responderi exspecto. Vale. Lugduni Batauorum. Nonis Quintil. b. Iulianis. CIↃ. IↃ. XCVIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Frid. Taubmanno S.

Tuas vltimas literas sero accepi. Alteras, de quibus mones, nullas accepi. Non enim meas desiderasses, aut vllum officium meum, si prius accepissem. Præterea vnum tempus & vna via tantum est, qua aut vos literas dare, aut a vobis accipere possimus, hoc est, nundinæ Francfordienses. Alias raro contigit, & si contingit, id deputamus in lucro. Te operam collocare in Plauto emendando, tibi gratulamur, quia illum scriptorem emendatum dare non cuiusuis est, & cuius est, eius & magna laus est. Quare τρηχεῖα ἡ ὁδὸς, sed spero tibi ὁμαλὴν fore χαλεπὴν περ ἐοῦσαν. Et certe iam dudum tantus & tam priscus auctor Latinæ scenæ aliquem, vt tu recte vocas, ἡρακλέα desiderat. Ego cuperem contextum ipsum purum edi, nullis in ora notis adpositis, vt vulgo fit: sed quomodo recte olim edidit vnicus Plauti Æsculapius popularis tuus Ioach. Camerarius; qui puro & emendato proximum nobis edidit. Quæ non sunt Plauti, qualia illa olim Amphitruoni infulta, & Prologus Bacchidum, & reliqua, non quidem recentioris, sed

tamen

tamen sequioris ævi, in privatum locum conjici debent. Præterea fragmenta omnia sedulo ad calcem ponenda & illustranda. Hoc modo luculentum Plautum promittere potes. Et quanquam confido per te sapere, tamen hæc a me interea habe tanquam ab optante, non a suadente. Vale, & nos ama Lugduni Batavorum x. Cal. Septembr. Iulian. CIↃ. IↃ. CVIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo S.

E re tua & publica fecisti, mi Grutere, quod hāc provinciam inscriptionum susceperis. Neque te movere debet, si aliquando calamus noster erravit. Hæc pro tua prudentia & eruditione in integrum restituere debes. Et in reliquis omnibus, quod e re nata tibi videbitur faciundum, facere debes, neque in hoc nostrum aut judicium vllū, aut assensum exspectare. Tuum enim jam opus est, cuius omne jus, quod nostrum erat, in te omne transcripsimus. Itaq; pro tuo arbitrio, tollere & mutare debes, quæ vtilitas suadebit. De inscriptionibus Galliarum, scito nos maximam partem vidisse, partem a doctis amicis, qui fideliter exscripserunt, habuisse. De illo vero Epigrammate Lugdunensi, quod auctius est apud Paradinum, viderit ipse. Ego scio ita nostrum in saxo habere, vt nobis tradidit amicus noster Ioannes Tornæsius, quum Lugduni hærerem duos circiter menses ante annos 15. vbi per otium mihi licuit multa vide-

re. Item triente auctiora habemus ea Epigrammata, quam in antiquitatibus Lugdunensibus edita sunt. Neque Lactoratensia fidelius ab vllo concepta sunt, quam à nobis in illis Collectaneis nostris. Quatuor enim horarum itinere noster locus natalis Lactorate distat. Auctor tibi eram prioribus literis, vt omnia Græca simul, non sparsim ponerentur. Hoc est, vt capite Latinarum vno absoluto, adiungantur similis argumenti Græca, si tibi ita videtur. Sin aliter, totum tui arbitrii facio. Smetiana antecedere debent, cuius ordinem omnino sequi debes: Postea adiungenda tua eiusdem argumenti in eodem capite. Nulla molestia potes quæ sunt eiusdem argumenti post Smetiana addere. Hoc mihi videtur maximum laboris compendium: & quidem inter excudendum singula capita per otium ita explere potes, quæ numeris in nostris Collectaneis & in aliorum libris notaueris. Ego antiqua Romæ, Veronæ, Germaniæ ex Mazocio Torellio, Saraina, Appiano, Lasio descripsi. Tuum erit, si integriora nanciscì poteris, reponere. In illis enim, quod iam dixi, non assensum nostrum exspectare, sed iudicium tuum consulere debes. Mitto ad te Constantinopolitana Epigrammata a nobili Georgio Douza nobis communicata. Mittam & postea Augustodunensia si quomodo nanciscì potero. Interea excernere debes τὰ νοθεύοντα καὶ ποιητὴν κόμματος, qualia multa in Hispania, PALLADI VICTRICI SACRVM. Item SEMPRONIVS TVDITANVS. & alia Κακόζηλα. Et illud Parasiti

rasiti Salonarum & testamentum Pomponii Læti in Itinerario Fabricii Chemnicensis. Doctum non doceo. Tu hæc melius, quam ego. Christiana omnino in vnum locum priuatim coniicienda. tam Græca, quam Latina. Quædam etiam habent DIS MANIBVS: qualia tria sunt in Smetio, &, si bene memini, est vnum aut aliud in Saraina. Quid verbis opus? Iam tempus aggredi: quod quidem ἀγαθῇ τύχῃ. Vale mi eruditissime amice, & tui amantem ama. Lugduni Batauorum. III. Kalend. Decembris Iuliani. CIↃ. IↃ. XCVIII.

IOSEPHVS SCALIGER Iano Gruteroſuo S.

Nudius tertius tuæ mihi redditæ sunt. Non est quod negotium tibi facessat iudiciũ meum de ordine Capitum in Inscriptionibus. Quod enim mihi rectius videbatur, impune proponere tibi posse iudicaui ea conditione, si tibi commodum esset: Sin aliter, vt institutũ tuum sequereris. Itaque mi Grutere, vt tibi omne ius meum cessi, ita, & voluntatem quoque meam tuæ subiicio. Sequere ergo, quod ere literaria tibi videbitur: neque amplius meam de eo sententiam exspecta. Si enim tuam meæ non prætulissem, nunquam totum hoc negotium tui arbitrii feciſſem. Misi tibi nuper monumenta quædam Græca & Latina, quæ nobilis Georgius Douza ex Græcia attulit.

Exspecto & Augustodunensia & reliquæ Burgundiæ, quorum mihi spes facta est. Quam bene de literis mereberis hac editione, tibi dicerem, nisi scirem melius te hæc, quam nos, scire. Tanta mihi fiducia est & candoris, & eruditionis tuæ, vt quæ in te receperis, satis in tuto esse confidam. Sed memineris nihil referre, meum nomen istis adscribi. Tua enim potius sunt, quam mea. quid opus alio titulo, quam tuo? Tu operis totius editor, non ego. Sed vide. an inter γνήσια posituras sis quædam Lusitanica de Viriato & Sertorio. Quædam sane eiusmodi sunt, vt ne in subsiciuis quidem poni mereantur. Sed tu melius hæc, quam ego. Vale, mi Grutere. Lugduni Batauorum. III. Kal. Martii Iuliani. CIↃ. IↃ. XCIX.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Gruteroſuo S.

Binas a te accepi, sed ὕστερον πρότερον. Nam quas anno superiore scripseras 26. Octobris, nudiustertius accepi, alteras præteritis nundinis, quæ 3. Aprilis scriptæ fuerunt. In omnibus agnosco & propensum in me animum tuum, & diligentiam in illis veteribus monimentis digerendis, expendendis, & illustrandis: quæ quare tibi commendem, caussa non est, quum tu ipse fidei tuæ & sedulitatis magna argumenta dederis. Superest, vt exspectationi doctorum satisfacias, quibus persuasum est, illa monumẽta, non solum aliquando emendata proditura,

quum

quum eruditionem tuam spectant : sed etiam propediem, quum diligentiam. Itaque tametsi tantorum votorum festinationi difficile est statim occurrere, quod nondum opus illud prælo commendatum sit: tamen danda est opera, ne culpa nostra accidisse videatur, quod per alienam socordiam aut supinitatẽ peccatum sit. Certe iam tempus est hoc agendi: aut dicant tibi causas tam pertinacis ἀμβολιεργίας. Inscriptiones Lingonenses nactus sum, quas iam accipies. Diuionenses, & Augustodunenses exspecto. Conieci huc Inscriptiones Italicas ab amico ex ipsis saxis descriptas. Puto a me in volumine meo annotatas. Sed nihil periculi est conferre. Adiũctæ sunt quatuor ab eius affine Vorstio obseruatæ, quarũ prima ridiculum in modũ detruncata exstat inter Smetiana. quæ quanto nobilior, & vtilior est, tanto ægrius ferendum erat eius miserrimam vicem. Quod obiicis de Prouincialibus inscriptionibus, quæ aliter a me ac a Knibbio conceptæ sint; scito Knibbium in Prouincia fuisse tunc, quum ille & ego vna iuri operam daremus Valentiæ Cauarum: sed inscriptiones illas ab aliis accepisse, atque ita mihi tradidisse. Quum autem ante annos 16. ad ea loca me contulissem, ibi licuit mihi diuersitatem deprehendere: Itaque vere conceptas tibi dedimus, & ex quibus Knibbianæ castigandæ sint, non nostræ ex Knibbianis. Raro reperias, vt tu optimæ mones, vbi diuersitas non occurrat. Sed si bona nanciscí non licet, minus mala eligenda, aut anteferenda. Monumentum

illud, *Decuriarum*, quod ad me misisti, maiore lætitia me, an admiratione affecerit, nescio. Nam quæcunque voluptas ex illa lectione ad me peruenire potuit, ea omnis euanescit ignoratione illius vetustatis. Quæ enim sint illæ Decuriæ adhuc quæro, & a meliore ingenio quærendum auxilium. Non tamen sine maximo fructu legi ea possunt; e quibus multi errores tam in notatione annorum vrbis, quam in serie Consulum corrigi possunt, apud Fastorum scriptores. Nam profecto verum esse comperi, quod diximus, ab initio Tiberiani Imperii deinceps multa paria Consulum perperam relata; vt taceam nomina illorum aut mutata aut deprauata. Sed tu hæc melius, quam nos. Reliquum est, non vt tibi Inscriptiones illas Commendem, sed vt tarditatem Typographorum expergefacias. Vale mi Grutere. Kalen. Augusti Iuliani. CIↃ. IↃ. XCIX.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo.
salutem.

Trinas tuas literas vnis simul memini me respondere. Vltimas nudiustertius accepi cum inscriptionibus affectatissimæ vetustatis, quas illa larua, quam induerunt, totas ita tegere non potuit, vt vultum suum non proderent: quo testantur tam bonos artifices non esse eos, qui nobis ea obtrudunt, vt possint nobis imponere. neque nos sumus tam leuis ingenii, vt il-

vt illis fidem accommodemus, quos scimus nunc non primum incipere ludere de credulitate nostra, si modo vllam hactenus in nobis experti sunt. Id fecerunt in Elegia ineptissima nomine Cornelii Galli, in qua lacunas relinquerent, & versus integros omitterent, vt fidem facerent vetustatis ex lituris, & obsoleta lectione. Idem dico de Carmine in Orpheum Cassii Parmensis: de Apulei fragmento ex Menandri Anechomeno, si modo vlla Menandri eo nomine fuit fabula. Profecto, mi Gutere, si nostrum esset mentiri, illud prudentius & cautius faceremus, neque tam imprudenter, vt in ipso vestibulo fucus pateret. Sed de inscriptionum editione quando cogitas? iam tempus est, vt saltem aliquo specimine exspectationem omnium expleas, qui auidissime huic editioni imminent. neque vllum opus est, quo magis te nobilissimis ingeniis & posteritati commendare possis. Quare agedum aggredere. Nam hæc scriptio huiusmodi est, vt quocunque ordine & Oeconomia texatur, appendices, & auctaria admittere possit: & nullo periculo facile, vbicumque voles, & a quocumque capite, incipere possis. Certe omnes in ea exspectatione sunt; eoque magis, quod a nemine tantum opus fidelius, eruditius, & luculentius edi possit. Adde quod omnium diligentiam in his perquirendis exhausisti: & nihil supersit, cuius exspectatio editionem differat, præter Burgundica, quæ propediem tibi in diem mittentur,

si nondum accepisti. Ego non cessabo, donec acceperis. Salutem tuam cura diligenter, & te nobis tui studiosissimis, & Musis serua Vale mi Grutere. Prid. Eid. Februarii Iuliani Lugduni Batauorum. CIↃ. IↃ. C.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Gruteroſuo S.

Vnis literis coniunctim ad omnes tuas respondi. Itaque de illis inscriptionibus quas Itali, vt hominibus Transalpinis illuderent, commenti sunt, abunde scripsi, & quidem bis. Nullo modo in album aliarum recipiendæ. Si quæ præterea sunt ancipitis meriti, in priuatum locum coniici debent, neque cum aliis commiscendæ. Deniq; in vnum censum veniant, quæ sunt iure optimo maximo. Reliquæ reiicularum numero habeantur. Illud erit sacrarium sanctissimæ Vetustatis, ad quod τὰ ἀμύητα admitti non debent, &. quæ tua est eruditio, non admittentur: Multa sunt praua, peruersa, præuara. præpostera in Apiano, Aldo, & aliis. Tu, qui horũ mercium optimus spectores, ne quid ni si probi mercimonii ad te admittatur, recte eiubis. Ego nihil aliud quam te hortor, vt ne opus interpelletur & desidia operarum, & negligentia τῶν ἐφοδιωκτῶν. Nam omnium huius generis hominum est fatalis quædam lentitudo. De reliquo ne verbum quidem vllum addam. Vale Lugduni Batauorum VIII. Eid. Augusti Iuliani. CIↃ. IↃ. C.

IOSE-

IOSEPHVS SCALIGER IVL. Cæs. Ioanni Caselio S.

Suspicionem, quam priores tuæ literæ fecerunt, ex aliorum & tuis posterioribus non vanum fuisse perspexi. Nam tametsi prius ita mecum agebas, vt ex verbis dolorem potius tuum, quam eius causſam coniicere possem: tamẽ cogitanti mihi, quo maior cuiusque virtus est, eo ipsum oportuniorem esse inuidiæ, succurrit difficile esse, tantum doctrinæ in quenquam cadere, quantum in te esse intelligo, vt non magno in odio & inuidia apud eos sit, qui in aliis esse impatienter ferunt, quod a se abesse dolent. Præterea memineram, vix vllum has inuidiæ tempestates effugere potuisse, nisi qui aut sua bona libenter dissimulare posset, aut sese compararet omnia illis assentari, quibus vita, moribus, & studiis dissimilimus sit. Contra qui scirem eam claritatem esse eruditionis tuę, vt nulla dissimulationis nube obscurari possit, eã vero animi constantiam, vt nunquam te ad tui dissimiles applicare velles: non frustra augurabar, hanc querelam tuam ab eiusmodi offensione natam, quam virtus tua potius, quam vlla priuata iniuria excitasset. Postquam animũ meum inducere nõ potui, quin hæc ita, vti suspicabar, esse crederem, dolui equidem, vt debui, dolorem tuum. Sed quod dissimulare non possum, augurium meum verissimum fuisse, vehementer lætatus sum. Quidam enim viri docti, ruiq; studiosissimi omnem mimum ordine descri-

pserunt, vt per eos vaticinio meo credere liceret, quod & posteriorib. tuis multo magis confirmatum est. Sed mi Caseli, primum cogitare debes, quia vt ille ait, virtutem inuidia, vt corpus vmbra sequitur, eo patientius tibi hæc ferenda esse, quo maior est necessitas, vt omnino ei inuideatur, qui quare inuideatur, habet. Deinde tametsi hominum peruicacia a literarum quiete ad turbulentas lites te traduxerit, tamen ab istis velitationibus nullum periculum tibi esse video: imo si diuinare & hic quoque licet, egregiam tibi inde victoriam, & a victoria gloriam, quo inimicis tuis oculi doleant, partum iri spero: non mehercule quod inuidos (nam mihi est triumphus ille) sed quod inuidiam viceris. Perfer itaque & obdura. Otiosæ sunt animi dotes, & omnis doctrinæ apparatus, nisi quantum inuidiæ aduersus se excitarunt, tantum constantiæ ex se ipsis expromant ad inuidiam profligãdam. Ego iamdudum in hoc hominum genus incidi, & meum fatum me illis quotidie obiicit; & profecto, nisi mihi tenuitatis meæ conscius essem, pene persuaserant mihi, me cuiusuis pretii esse. Sed ζηλοτυπίαν stolidam ridemus, furorem contemnimus, conatus vt iniustos, ita irritos esse quotidie experimur: altitudine animi, & bonæ mentis conscientia nos sustentamus. Quod nisi talem te esse putarem, qui per te ipse sapere possis, exemplo meo te ad istam animi præsentiam excitarem atque erigerem. Te vero neq; meo consilio ad hoc egere, neque si qua est spes victoriæ in istis conten-

tionibus

tionibus, ea te carere arbitror. Macte igitur constantia. τὸ δ' εὐνικάτω. Quod epistolæ patris mei tibi mirifice placent, equidem mihi gratulor, parenti meo lectorem contigisse, qui vnus instar omnium est. Nam quot putemus esse, quibus ille character scribendi purus, Latinus, & nobilis sordet? Neque mirum, Ciceronem laxum, redundantem, supinum vocant, quem vnicum ille sic imitandum proposuerat. Tempus me defecerit, si horum Aristarchorum fastidia recensere velim. Nam Latinitatem nullam agnoscunt, nisi quæ in eorum cerebris nata sit. Sed ita alte radices egit cacoethes illud, vt procliuius sit de eo queri, quam id tollere. Epistolarum vero harum editionē debemus optimo optimi parētis filio Franc. Douſæ, qui multis forulis priuatarum bibliothecarum excussis, eas blattis eripuit: quin etiā post editionem aliæ ex Germania illi missæ. Nam talium ingens numerus adhuc in bibliothecis latet. Idem nūc totus est in describendo ingenti commentario patris mei εἰς τὰ περὶ ζώων ἱστορίας: opus eximium & immortalitate dignum, si filio honeste de patre gloriari licet. Lentum tamen est negotium, & vix dum intra spem editionis, ob molem & longum laborem describendi. De tuo libello περὶ εὐχρείας gratias: de tuis vero rebus, ac præsertim περὶ σκιαμαχίας, quæ te a tuis rebus destinet, fac, si nos amas, quam primum nos certiores. Vale. Lugduni Britauorum iii.

Calen. Octobr. Iuliani.

CIↃ. IↃ. C.

IOSEPHVS SCALIGER Iano Grutero suo S.

Non vnas à te literas accepi, eodem argumento, quibus apud me de cessatione Typographi expostulas. Ego, mi Grutere, non semel, neque parce Commelinum, & Iudam de hac lentitudine castigaui, neque quicquam a me prætermissum puto, quod saltè ab eis aliquem pudorem exprimeret: quod non solum me consecutum puto, sed etiam meis obiurgationibus effeci, vt opus procederet, & finis aliquis esset illis cessandi, & nobis expostulandi. Iuda heri me conuenit, & primũ Inscriptionum tomum his proximis nundinis proditurum promisit. In cessatione nihil lucri eis repositum esse video. Huius enim culpæ pars ad Typographum pertinere potuit, qui absente Iuda res suas potius curaret, quam officii sui rationem haberet. Et scis quam peruicax sit hoc genus hominum. Ceterum magna te gloria manet, mi Grutere, operæ tam bene in tanto onere nauatæ. Quis non dicam melius te, sed prærer te, hoc tam difficile opus explicare posset? De Burgundicis inscriptionibus iterum amicos compellaui. Quid ab illis exspectare debeo, adhuc hæreo. Nam illos iamdudum importunus flagitator iterum atque iterum conuenio. Non cessabo, donec aliquid extudero. Te interea oro bono animo esse, neque in tam longa nauigatione cursum amittere, sed vt cœpisti, ita pergere. Hoc omnes de te exspectant, quorum spem

frustra

frustra esse neque tua fides, neque meæ apud illos pollicitationes, neq; eorum de te existimatio sinunt. Est aliud prærerea, quod te oratum volo. Commodaueram Commerino Quintum Smyrnæum Aldinæ editionis. Is latet in congerie librorũ eius. Quia tibi nota est illa Bibliotheca, & aliquando illã visitas, nemo est qui felicius illum tenebrionem, ex latebris eruere possit, quam tu. Nam frustra iamdudum illum quæro apud Commelinum & Iudam, qui dicunt eum quidem in libris Hieronymi latere, sed illũ deprehendere aliorum, quam suæ opis esse. Confugio igitur ad te, vt per ius amicitiæ nostræ illum mihi asseras & quam primum poteris ad nos mittas. Præterea Hieronymus mihi promiserat Philostratum de vita Apollonii Tyanei. De eo Iudæ verba feci: qui mihi promisit, modo tu reperias, se curaturum, vt neque illum desiderem. Obtestor igitur te, mi Grutere, vt illos duos libros opera tua habeam, & quã primum poteris, eos Iuda ipse, qui ad vos profecturus est, mihi reddendos curet. Nihil mihi gratius facere potes. Vale. Lugduni Batauorum Prid. Kal. Martii Iuliani. CIↃ. IↃ. CI.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Gruteró suo S.

Iam non poteris conqueri de Commelianorum cessatione. Nam folia accepi ad paginam 420. & quanta moles totius operis futura sit, potius suspicari quam scire possum. De erratis

Typographicis, tu ipse videris. Nemo enim melius te hæc notare, & indicare idoneus, qui epigrammata ipsa recensuisti, & digessisti. At indicem conficere Herculei est laboris, & improbæ molestiæ. Volunt Commeliani, vt ego concinnem, quasi tantum otii mihi sit ab re mea; & hominis melioribus curis occupatissimi hic labor potius esse debeat, quam operarum Typographicarum, aut alius cuiusuis, qui quod agat, non habet. Ego vero, mi Grutere, tantum abest, vt nihil habeam, quod agã, vt nihil prius in votis sit, quam quæ nunc ago, ea abiicere, ne succumbam oneri. Et satis non est me domi inuenisse, quod curarem, nisi etiam alienis negotiis me immiscem? Quod si nanciscerer qui me in tam molesto opere iuuarent, non pigeret laboris. Sed hic nullum inuenire possum, qui vel trihorio mihi onus adiutare vellet. Adeo lenta, pigra, & laboris fugitantia sunt hodierna ingenia. Certe, mi Grutere, Typographorum est conficere Indices, ad quos lucrum librorum spectat, non hominum studia publica iuuantium, qui quantum impendent futilibus negotiis, tantum demunt publicæ vtilitati. Quia tamen meum fatum est, non mihi, sed omnibus nato esse, promisi Ioan. Commelino, propter necessitatem amicitiæ, quæ inter nos intercedit, me, quantum hoc tædii est, deuoraturum. Tu non ignoras longum opus esse: Ego vero dubito, longius an molestius futurum sit. Videro igitur. Interea oportet legiones ad hibernacula dimittere, hoc est, quod habeo in

manu-

manibus dimittere tantisper, dum ego oblitus & loci, & dignitatis, &, quod caput est, præcipuarum mearum curarum, aliena negotia curo, excussis propriis per stultitiam meam. Grata fuit mihi mentio nobilissimi Ioan. Werdensteinii, cuius amicitiam eo pluris fecerim, quo plures dotes & ab animo, & ab institutione, & a genere habet, cur amari debeat. Eum a me, ni graue est, salutabis. cuius effigies, & insignia memoriam mihi non solum eius, sed & tui, qui pararius huius notitiæ fuisti, refricabunt sæpe. Idem dico de Thobia Sculteto, de versibus potius suis, quam de facie mihi noto. Non verebor iterum te interpellare de quærendo Calabro & Philostrati Apollonio, inter libros Hieronymi Commelini, tametsi quantum pecco in tua studia, qui te ad tam molestam operam voco, non ignoro. Sed ignoscès fiduciæ, quam mihi fecit amicitia tua. Vale mi Grutere. Nonis Augusti Iuliani, die natalis mei LXII CIↃ.IↃ.CI. Quando habebimus Martialem, Statium, Senecæ Tragœdias? Promisisti. Libera fidē tuam. Non potes effugere. Omnes exigunt a te. Scripsit ad me Eilhardus Lubinus se tibi Iuuenalem suum misisse. Affirmauit mihi, quum hic esset, se vetusta Scholia nactum esse illius Poetæ, Pithœanis longe plura, & meliora. Velim scire, an ea cito daturus sis. Iterum vale.

**
*

IOSEPHVS SCALIGER
Ioanni Caselio S.

Binas a te literas, mi doctissime Caseli, sed longo interuallo accepi. Prioribus adiunxeras acta litis tuæ. Ita enim voco, quum ad te virum grauissimum me conuerto. Quum autem eos cogito, quibus cum res tibi fuit, mimus visus es: cuius tamen Catastrophe verendum erat, ne plus quã tragica futura erat, nisi talis θεὸς ἀπὸ μηχανῆς interuenisset, cuius admirabili prudentia & æquitate ex tantis tamque diuturnis turbis res in trãquillum deducta est. Illustrissimum Principem tuum dico. Posterioribus verebaris, ne alteræ illæ intercidissent. Ego, vt vides, eo te metu libero: qui eo maiore voluptate explicatas rationes negotii tui legi, quo grauior hactenus fuerat sollicitudo mea, quamdiu in exspectatione euentus fui. Multa enim interueniebant, quæ metum & curam augerent. Consolabatur me quidem bonitas caussæ tuæ: sed succurrebat, nusquam maiorẽ esse vim calumniæ, quam in optima caussa: calumniæ tam facile esse innocentiam opprimere, quam iusto iudici obrepere: vim posse fieri caussę, quamuis dignitati & constantiæ non posset: communia hæc esse, & fieri posse memineram. Itaque te virum ea pietate, ea integritate, iis literis, in tanto inuidiæ pelago tamdiu iactari molestè ferebam potius, quam mirabar; vt qui scirem, hoc tibi commune esse cũ omnibus probis, qui vt plurimum improborum pila & ludibrium sunt.

Sed

Sed facere non poteram, quin plurimum me tui misereret, qui viderem, eas turbas ea ætate obtigisse, in qua ante actorum laborum fructus percipere tempus erat. Accedebat iusto dolori nostro, quod in tanto discrimine nec consilio neq; ope iuuare poteram. Quid facerem? Scriberem aduersariis tuis? Monerem, a furore desisterent? Quasi vero patrono innocentiæ parcerent, qui innocenti non pepercissent. Quid ergo? Perfricarem frontem, & te tantum Philosophum consolarer? Præcepta ex media sapientia peterem, qui istam tibi ægritudinē minuerem, quum tibi hæc domi nascantur? Itaque mi Caseli, postquam anno præterito primus illas literas accepissem, ex quibus quanto bello premerere, priusquam qui essent hostes tui, resciscere potui, nihil adeo animum meum vulnerauit, quam nihil mihi relictum fuisse ad te iuuandum præter voluntatem. Sed bene, quod Deus Opt. maximus vna opera & tuæ innocentiæ, & sollicitudini meæ recte consultum voluit, quumque vtrique nostrum planam viam strauit, tibi vincendi, mihi gratulandi. Gratulor igitur tibi, primum quod illis rebus vicisti, non quibus poteras, si voluisses, eloquentia, & ingenii acritate, sed quibus longe plurimum valebas, innocentiæ fiducia, & caussæ integritate: deinde quod sub illustrissimo Principe tuo lis ventilata est. Quo quid tibi honorificentius contingere potuit? Quot putas esse, qui libenter se reos fieri patiantur, vt a tanto iudice absoluantur? Ego certe aceruos auri non merear,

vt nolim ea mercede periclitari, vt mihi contingat is iudex, qui sapientia sua verum eruere, humanitate innocentiam defendere, auctoritate calumniam propulsare possit. Quare tam memorabili facto illustrissimus Princeps consecutus est, vt tam sycophantis formidolosus, quam bonis omnibus, ac præsertim eruditis in posterum carus futurus sit. De cuius imagine gratias tibi ago, quam ita venerabor, vt rari inter mortales Herois, ita colam, vt sanctissimi literarum ac virtutum patroni. Tu vero, mi Caseli, macte animi, quem Deus ardua virtutis contingere voluit, vt periculum sub ineptis hominibus adires, periclitari, vt sub iustissimo iudice omni honore cumulatus discederes. Quo vero amore & studio comitatem istam prosequar, qui hæc omnia mecum communicasti? Nam quantum me oblectarunt epistolæ tuæ? Quantum me affecit indoles orationis tuæ pura, casta, Romana? Multi enim loquuntur Latine, pauci Romane: & si qui forte Romane, at raro genium illum Ciceroniani seculi assequuntur. Qui hunc leporem in tua oratione non agnoscit, is quid sit Latine scribere, nescit. Quid dicam de versiculis tuis? Qui quantum ab omni fuco & ambitione remoti sunt, tantum habent Romanæ illius priscæ simplicitatis, & amœnitatis Catullianæ. Idem dico de versiculis generi tui. Par vtrorumque venustas: pariter vtrique me affecerunt. Agnosco in illis candorem morum tuorum, si verum est, vt quidem verum est, illud vetus: ἦθος χαρακτὴρ ἐστιν ἀνθρώπου λόγος. Itaque

que minus mirandum, si eorum inuidiam incurristi, quorum mores tui dissimiles, & ideo πρὸς τὸ φῶς μυωπάζουσι. Quandiu his moribus eris (eris autem quam diu viues) tam diu hoc genus hominum insectabitur te; quos non potes declinare, sed potes contemnere. Coniuncta enim sunt τὸ ἀειζωεῖν, καὶ τὸ φθονεῖσθαι. Vale mi Caseli, καὶ νίκα, ὥσπερ ἤδη ἐνίκησας. Lugduni Batauorum Non. Sext. Iuliani, die ipso natalis mei LXIII. CIↃ. IↃ. CI.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo.
salutem.

Iamdudum accepi Catalogum librorum Palatinorum, quo nomine tibi gratias ago. Iste nobilis Bohemus, qui tibi has reddet, dignus est amicitia tua. Illum amplectaris mea, & eius ipsius caussa. Nam Haidelbergam eum euocauit non ciuitatis, sed tui desiderium. Tuus Martialis ad nonum vsque librum promotus est. Sperat Scriuerius ante Pascha contextum absolutum iri. Quantum lectores poterat absterrere deformitas editionis prioris, tantum hæc inuitabit ab elegantia typorum, & splendore chartæ. Nam scito, mi Grutere, hodie vix posse prodire meliorem & luculentiorem editionem, quam hanc speramus fore. Quantum iudicare possum, prodibit his nundinis totum corpus inscriptionum tuarum, cuius, vt scis, anima est Index ipse. Nam sine eo

quæ iucunditas in tanta mole esse potest? Non dubito, quin multis partibus locupletior a te proditurus sit, quia non habuimus eas, quas postea nactus es inscriptiones. De illis, quas Sauaro habet, exspecto responsum, & miror silentium. Sed iterum aurem vellam illi, qui Sauaronem nouit, & non parum valet apud eum. Vellem nobis dares Senecæ Tragœdias eadem cultura, qua Martialem. Sed aliter de illo scriptore iudicandum, ac præstantissimus amicus noster. Hoc possunt facere, qui possunt facere poetas, & se fecere poetas. Vale. Lugduni Batauorum XIIII Kal. Martii Iuliani. CIↃ. IↃ. CIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo S.

Mitto tibi indicem nostrum decem mensium opus, nescio an magis pudendum mihi, qui tot mensibus nihil aliud egerim, an incredibile illis, qui tam laboriosum negotium nunquam experti sunt. Sed quid aliis visum erit de re, cuius ego solus mihi conscius sum, ipsi viderint. Sat habeo, si tibi probem & amorem meum in te, absque quo foret, nunquam tantam iacturam temporis feciſſem, & diligentiam, cuius vel opus ipsum fidem facere potest. Primum totius laboris conspectum in aditu ipso tibi dedi, vbi habes & capita eius & partes. Itaque hic ordo sequendus est in excudendo, non qui est in contextu ipsius voluminis. Prius enim capita, quæ occurrebant prima, collegi. Postea absoluto ope-

to opere, quis ordo mihi tenendus esset, & quæ diuisio totius negotii, facilius iudicaui, quam si illa animo concipere voluissem antequam scriptionem aggrederer. Frustra enim fuisset: quia inter scribendum multa mutantur, vt solent, multa damnantur, multa innouantur. Omnia capita signata sunt eo numero, qui designat ordinem, quo locari debent in excudendo. In capite nominũ proprioru, quod est omnium maximum, vel, vt verius loquar, qui est ingens liber, in paucis numeri paginarum omissi sunt per imprudẽtiam. Sed numeros tu poteris melius meminisse, qui inscriptiones ipsas digessisti, & reddere illos suis nominib. vel relinquere locum vacuum. quia parua iactura est omittere paucula nomina propria. Videbis asteriscos, scito esse ex illis inscriptionibus, quæ omissæ sunt a te ex libro Smetii: quas tibi suo loco indicauimus, saltem quas animaduertere potuimus. Itaque post paginam 1062. quæ est omnium vltima earum, quas accepimus, excudantur omissæ, cum aliis, quas tibi mitto ex schedis nostris; & quæ notabilia excerpes, collocabis in indice, vbi opus erit & locis suis. Itaque oro te imprimis, vt reponantur omissa, & illis alia, quæ mitto, adiiciantur: paginarum autem numerus sequatur numerum 1062. In calce totius corporis omnino debes adiicere notas omnium, quæ obseruasti, quæ aut castiganda, aut explicanda erunt: quorum subsidia quædam ministramus in notulis, quas mittimus, ex quibus eligere aut reiicere poteris, quæ videbuntur: quanquam

nihil nisi valde necessarium notauimus. Porro omnium est colligere, excerpere, indices conficere; sed non omnium omnia, quæ notauimus, deprehendere. Itaque eiusmodi est index iste, vt opportune eruditum commentarium admittere possit, modo ab erudito viro, conficiatur, & præsertim iuris peritissimo. Tu posses hæc præstare optime: & fortasse, postquam totum opus propius perpenderis, incesset tibi aliquis amor hæc subsiciuis horis tuis illustrare. Temere feci, qui tantum oneris id ætatis homo susceperim. Sed, vt iam dixi, tantum potuit in me amor & studium, quo te semper prosequutus sum. Epigrammation hoc, quod subieci, si tanti tibi videbitur, habe testem amicitiæ nostræ. Martialem tuum accepi. Gratias ago, amice. Compingendum dedi. Auide propediem deuorabo. Vale. Eidib. Mai Iuliani.

IOSEPHVS SCALIGER, Iano Gratero suo S.

Non dubito, quin iam acceperis indicem illum, qui tamdiu exercitum me habuit. Adieci notulas, de quibus seliges, quod in rem tuam esse videbitur. Nam neque mihi, qui meliora potui adhibere, neque tibi scripsi, qui me doctore opus non habes, sed adiutore. Itaque sine fraude potes reiicere, quæ non placebunt. a nominis mei mentione omnino abstinere volo. In omnibus meis literis boc a te memini me contendere. Sat habeo si constat mihi & tuæ

existi

existimationis, & publicæ vtilitatis ratio. Viginti quatuor Indices confeci, quot nimirum capita sunt. In illorum verbis connectendis, ne initiales syllabæ alia aliam præuorteret sedulo cauimus. Quod si aliter præter consilium nostrum accidit; oro te, vt omnia ordini suo restituas. Notæ numerorum omissæ sunt in quibusdam, in capite de nominibus propriis, quod omnium capitũ maximum est. Eos numeris aut tu restitues, aut locum vacuum relinques, vt lector inter legendum suppleat. Nam ea iactura non tanti est: Cogita quãta patientia mihi opus fuerit ad hæc cogmẽtanda. Sed nolo te obtundere. Et fortassis videretur esse καίνωσις. Mitto tibi quasdam alias præter priores inscriptiones, quas tu curabis vna cum omissis excudi post paginam 1062. Sed de tuo Martiale, o amice, quam gratiã pro dignitate tibi reddemus? de tua opera tam bene nauata loquor non de munere, tantum. Nam nulli mortalium plus debet ille Bilbilitanus, quam tibi. Sed dolemus Typographum de eo non melius meritum esse quam, eos, qui illum castrarunt. Nam Charta plane est, quam Annalibus Volusianis attribuit Catullus. Itaq; hæc dolens noster Scriuerius decreuit dare Typographo qui mundiore charta, & splẽdidiore cultu edat. Id vt faceret impulit eũ amor in te, & publicæ vtilitatis. Sed de Priapeis non assentior μαγείτῃ vtriusq; nostrum amico. Quot modis enim cõfutari potest? q̃ alienũ iudiciũ a veritate? De illo vero epigrãmate q̃ voluit persuadere vetus esse, frustra est. Est enim non solũ recentis

hominis, sed & inepti. Scito autem ab amico olim mihi communicatas fuisse varias lectiones Martialis ex codice Palatino. Ego quoque vsus sum integro Cuiaciano & præterea excerptis veteribus illius poetę, quæ penes ipsum Cuiacium erant. Itaque maiorem partem, pro vt in animum venerunt, miseram Heraldo, quum adornabat editionem suam. Sed epistola intercidit in itinere, vt non potuerit illa cum suis notis edere. Multa ibi vidisses a nobis animaduersa, quæ tu occupasti. Sed longe plura tu. Paucula quæ supersunt Scriuerio communicabo. Exspectamus Tragœdias Senecæ & Statium a te emendatum. Sed oro te ne mutes ordinem Tragœdiarum quod summus vir vtriusq; nostrum amicus sibi, & aliis persuasit. Et certe non possum satis mirari iudicium, quod ille de illis Tragœdiis fecit. Ego aliquem vsum earum rerum habeo, qui me confidentiorem facit; & si aliquid in eo genere mihi tribuo, ignoscat mihi eximius ille Criticus. hoc ego iure meo facio. & addam me nemini in ea re concedere. Deum immortalem quid sentit de omnium principe Tragœdia Troade? Et cui persuadebit diuersos esse auctores? ego illarum nouem vnũ genium, atque ideo vnum parentem agnosco, ne frustra sit. Octauia neque inepta est, vt ille putat, neque futilis auctoris, aut sub Domitiano viuentis. Quid? quantum interuallum est inter tempora Neronis & Domitiani? tam paucis annis defeciisset eloquentia Romana? Ego video auctorem Octauiam, ipsius Octauiæ domesticum,

eum, & Senecæ amicum fuisse: & optimum esse poema. Hoc epistola tractari non potest. Quare taceo. Oro te, nisi molestum est, Freherum nostrum clarissimum virum meo nomine saluta, cui à te meas redditas esse non dubito. Has, quos hic inclusi, curabis tuto illi reddendas, ad quem scripsi. Vale. Lugduni Batauorum 1 Kl. Kal. Iunii Iuliani CIↃ. IↃ. CII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo S.

Scipio quidem Gentilis noster tuas ad me pertulit, sed quæ non responderent ad binas, quas ad te mense Maio vna cum Indice dedi: quum tamen per vtrasque meminerim me a te summopere contendere, vt me certiorem facerem, quam primum postquam indicem accepisses, quem iamdudum te accepisse non dubito. Peto igitur a te, vt mihi significes, ecquãdo Indicem acceperis, & quid tui de eo iudicii sit: quẽ quia in gratiam tuã elaborauí, propterea tuum omnino esse volo, neq; vllam mei mentionem fieri. Præterea quia in immensum indices crescere possunt, eum pro arbitrio tuo augere non solum nulla inuidia est, sed etiã necessitas summa; præsertim, quum plures inscriptiones acceperis, quas ad totum corpus adiungere instituisti. Sed vt augere potes, ita meo iudicio nihil de eo detrahere debes. Nimio enim minus me, quam plus, feciſſe scio. Duo supersunt, quæ te rogatum velim; prius, vt nobis communices

Indicem librorũ Bibliothecę Palatinæ omnium tam Græcorum, quam Latinorum, Hebraicorum, Arabicorum. Alterum, vt respõdeas ad id, quod a te sciscitabar postremis meis literis, hoc est, an te volente possit iterum hic recudi Martialis tuus. Ita enim mendis deformatus est, idque in ea charta, quæ ad spurcos vsus potius dicanda erat, vt neminem putem esse, quem turpitudo illa a lectione illius editionis tam deterrere possit, quam diligentia tua & eruditio inuitare. Suscepit negotium Scriuerius: & multa præterea habet, quæ sciri multo præstat, quam ignorari. Oro igitur, ne grauere ad hæc respondere. Certum enim est, te inconsulto, nihil Scriuerium aggressurum. Vale. Lugduni Batauorum Eidib. Sextilis Iuliani.

IOSEPHVS SCALIGER
Friderico Taubmano
salutem.

Quod vestræ literæ; tuæ dico & Rhodomanni, per se præstare poterant, id coniunctæ cumulatius fecerunt. Nam quum ex alterutris multum voluptatis perceperim, ex vtrisque geminatum est gaudium meum. Neq; vero nunc primum disco diligere, quæ a te proficiscuntur. Satis enim me docuisti olim, & quantum a te amer, & quantum te & tua omnia amare debeam. Totus eram in exspectatione tui Plauti, neque adhuc spem abieci editionis illius: quòd certus sim non frustra a te promissam olim.

Quod

Quod si potuisses adipisci Codicem illum, quo vius est ὁ θαυμάσιος Ioachimus, non dubito, quin plura fugitiua retraheres, quæ sine codice nulla vis ingenii humani deprehendere possit. Et iam ope illius exemplaris multa eruisse audio Gruterum nostrum, hominem iamdudum in hac palæstra subactum, & qui, quid in hoc studio possit, iam satis indicauit, præsertim illa vltima Martialis editione. De loco Plauti, non dubito, quin spectanda sit persona, hoc est, parasitus. In senatu dicitur, *nulla verecundia nos debet demouere a sententia dicenda, vbi de rebus diuinis, aut humanis agitur.* Diuinæ & humanæ res Parasiti, est esca; & mensa senatus. Quo quid lepidius dici potest? Aliter accipias, perit omnis lepor. Ausonium nostrum in minima forma recusum audio, sed olim. Neque vidi, vt nec multa alia nostra, quæ meo iniussu *Obiectos cauea valuerunt frangere clatros.* Catullus cum sociis opera studiosorum, qui auctiores erant nacti illos auctores, recusus est, sed ita vt deformitate illius editionis cogar exponere fœtum, neq; meum agnoscere. Itaque fortasse poteris meliorem nanciscì Typographum, vt melior, & ornatior, ac multo locupletior editio prodeat.

Vale. Lugduni Batauorum III.
Eid. Sextilis Iulianæ.
M. DC. II.

**
*

IOSEPHVS SCALIGER Laur. Rhodomano S.

Quam iucundæ mihi fuerint literæ tuæ, scriberem, si scriptio vlla posset, vt res gestas, ita affectus animorum nostrorum exprimere. Nam ita me affecerunt illæ, vt incertum sit, plus gaudii mihi, an admirationis attulerint. Gaudeo me amari ab eo, cuius virtus prius nota mihi, quam nomen ipsum. Miratus sum simplex testimonium meum de tuis poematis Græcis tantum valuisse apud te, vt eam beneuolentiæ significationem a te exprimeret, quam neque satis meruisse videri possit, etiã qui te abunde laudarit. Equidem memini, quum illa tua inusitatæ venustatis Lesbiaca, Iliaca, & reliqua tacito nomine tuo prodiissent, non potuisse me continere apud amicos, præsertim apud Germanos, quin ea dicerem cum præstantissimis Græcorum certare, multis etiã longe præstare: quod qui negare vellet aut imperitum, aut malignum esse. Mihi vero tunc nihil tam dolebat, quam eo rem rediisse, vt eum cogerer amare, cuius nomen ignorarem, &, si hoc patienter audis, irascebar tibi, qui nomen tuum amatoribus ingenii tui inuideres. Nunc felicius nobis cum agitur, qui in illis poematiis & summum poetam Rhodomanum agnoscimus, quum vnum poetam antea admiraremur, nomen autem desideraremus. Atque vtinam reliqua, quæ in scriniis tuis latent, prodirent. Quantum vero laborauerim inueniendis poematiis tuis, præter alios

scit

sit imprimis optimus & eruditissimus vir Dauid Hæschelius noster; absque quo fuisset, adhuc frustra quærerem illa, quibus nunc per comitatem eius mihi frui licet. Sed illis contigit, vt quam rara est eorum pulcritudo, tam rarus sit eorundem fructus. Vix enim reperias, qui illa nanciscí possit. Itaque si iterum recudentur cum reliquis ἀνεκδότοις tuis, haberent, qui explerent sitim suam ii, qui vno tantum exemplari vsi sunt, quum aliunde sibi comparare non possent. Porro si quis est, qui fautor & amator eruditionis tuæ sit, is vero ego sum: quo magis dolebam olim te in illo angulo Pomeraniæ latere, cui tu celebritatem potius dare poteras, quam ille tibi. Nunc quum ibi sis, vbi neque per eruditionem tuam, neque per celebritatem loci tibi ignoto esse licet, in lucro deputare debes, quod habeas testes eruditionis tuæ summos viros, quibus illa semper abundauit Academia, quibus non minus tua, quam illorum virtus tibi cara & iucunda esse debet. Laudo vero consilium tuum de Diodoro, præsertim in distributione librorum & Fragmentorum. Non possum satis deplorare iacturam ceterorum librorum, quos desiderámus, præsertim eorum, qui inter V. & XI. interiecti erant, quorum aliquot aut potius omnes videtur habuisse Photius, qui vtinam tam diligens in eorum argumentis fuisset, quam fuit in futilibus amatoriis libris Iamblici & aliorum, quorum referendis argumentis non puduit eum horas perdere. Nam illi libri complectebátur omnem vetustatis memo-

riam, Assyriorum, Chaldæorum, Phœnicum, & aliarum nationum, quarum rerum cognitio magnam facem originibus sacrorum Bibliorum allucebat. De quibus omnibus nihil nobis præter desiderium supereſt. Quanquam vero neque eruditio tua patitur te vlla commendatione egere, neq; vlla tibi a nobis accedere poteſt, tamen epigrammation tibi ἐχεδιασάμιλω, quod potius sit argumentum amoris tui in me, quam plenum teſtimonium industriæ tuæ. Id vero a tergo leges. Vale. Lugduni Batauorum 111. Eid. Sextilis Iuliani. M.DC.II.

EIDEM.

Accepi carmen Natalitium, in quo magis agnoſco amorem tuum, quam meritum meum. Fortaſſe poſteritas credet me alicuius pretii fuiſſe, quod a Rhodomano laudatus sim. Ego vero quicquid laudis a te in nos collatum eſt, id omne in gentem Scaligeram redundare puto, cui ego vltimus & ſolus ſuperſum, illius dico, quæ rerum potita eſt Veronæ. Nam multos gentiles habemus, ſed non noſtræ familiæ, quæ vt dixi, in me deſinet. Itaq; quas ex merito meo tibi grates referre nõ poſſum, eas nomine gentis meæ, cuius tantum memoria ſupereſt, refero. Puto te meas literas accepiſſe, quas ad te per mercatores dedi. Adieci Epigrammation in Diodori tui editionem. Si ſpectes Genethliacon, quod in nos edidiſti, erunt χάλκεα χρυσείων. Quicquid illud eſt, omne expreſſit vnicus amor tui,

tui, & ingenua cõfessio eruditionis tuæ. Quum ad te scriberem, occupatissimus eram, & Hagam cogitabam. Ignoscès ergo properãtiæ meę, & breuitati literarũ. De editione Palestinæ tuæ, nihil est, quod magis velim tua, mea, & omniũ studiosorum caussa. Sed nemo est hic, qui Græca velit. Adeo tepescit Hellenismus. Raphelengiani occupatissimi sunt, &, quia vna opera multos libros cudunt, sat habent, quo a noui operis incepto deterreantur. Contulimus tamen inter nos ego & nobilis Paulus Gisbice, tui & mei studiosissimus, si quid præstare possimus. Neuter deerit tibi. Si quid, vt Plautus loquitur, decollassit, sine culpa nostra, & magno nostro dolore erit. Vale mi Rhodamane. Lugduni Batauorum VII. Eid. Nouembris Iuliani. M. DC. II.

IOSEPHVS SCALIGER *Iano Grutero suo S.*

Antequam hæ ad te perueniant, non dubito, quin accepturus fueris alteras, quas cum inscriptionibus Græcis a me correctis misi. Superest, vt respõdeam ad eas, quas nudiusterrius accepi cum Epigrammatis Basilicæ Petri: de quibus exspectas sententiam meam. Ego vero auctor sum vt edantur. Quam enim gratiam non merebuntur a poesi, eam consequentur ab argumento. Multa enim habent, quæ sciri præstat, quam ignorari. Ea referantur in classem Christianum. Ex quibus quæ digna cognitu excerpes, ea coniicies in indiculum

Christianorum monumentorum, quod est vltimum caput Indicis nostri. Idem facies & in Græcis, quæ correcta ad te remisimus. Scriuerius noster adornat editionem Martialis tuam, vt emendatissima prodeat; & in charta luculenta, is operam dabit. O carissime, & optime virorum, quas tibi grates referam pro libris, quos manu tua de Bibliotheca Commeliana mihi selegisti! Tene meâ caussa has horas commodis reip. suffuratum esse? Quid aliud dicam, nisi pro tanta comitate me totum debere me tibi? Quos notasti reperisse, omnes accepi, præter paucos quos frater Iudæ Nicolaus ait se exspectare. Nescis quam immani pretio Bibliothecam mihi paro. Vix habeo vulgatissimos libros, vix numerum iustum, qui mereat nomen Bibliothecæ: & tamen eos sumtus feci, quos pudeat in rationes expensi retulisse. Adeo me pudet paupertatis meæ, pœnitet iactaræ. Scribam propediem de Sauaronis inscriptionib. qui olim mihi communicauit Sidonium suum. Fortasse meminerit congressus nostri, quod fuit quoddam principium amicitiæ institutæ. Exspecto Catalogum Bibliothecæ Palatinæ; cui te præfectum esse tam gaudemus, quam scimus neminē magis idoneū illi prouinciæ præfici potuisse. Conquereris de scriptione literarum, quarum multitudine obrueris? Si homo inutilis esses; facile hac molestia careres. nunc quum omnes operam tuam poscant, non mirum eorum numerum magnum esse, quemadmodum & vtilitas, quam ex doctrina tua percipiunt, infinita & inexhausta

exhausta est. Ego, qui nulli pene rei sum, non possum effugere, quin tot Epistolas quotidie scribendi incumbat necessitas, vt sæpe in mentem veniat, eius Neroniani: *Vtinam literas nescirem!* Vale mi præstantissime amicorum. Lugduni Batauorum. Prid Non. Nouembr. Iuliani. Salutem amplissimo viro Domino Frehero a me dic, nisi graue est. cui post paucos dies scribam. Nunc obruor occupationibus.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Gruteroſuo S.

Ex postremis tuis, quibus nondum respondi, intellexi, proximis nũdinis proditurum absolutum opus Inscriptionum, cũ Indice, quem, exceptis paucis foliis, fere integrum acceperam a Cl. viro Engelshemio Sane dubium, maiorem posteritati fructum, an tibi famam apud posteritatẽ pepereris isto heroico opere, quod non minoris animi fuit incepisse, quam gloriæ ad finem perduxisse. *Quodque cinis paucis, id tibi vita dedit*, vt interesses gloriæ tuæ, & quotidie audires iam vivo tibi tantum nominis comparatum esse, quantum sat erit post mortem ad memoriam tuam propagandam. Scis, quod memini tibi scribere, Indicem illum, esse instar perpetui Antiquitatis commentarii, eumque posse illustrari alio commentario; qui non potest magis idoneum auctorẽ habere, quam te. Quis enim hodie melior interpres harum rerum esse potest quam tu, qui illas collegisti, & tã triuisti,

vt tuas vsu feceris? Commelinus dedit mihi absolutum opus notarum Senecæ. Sed vtinam haberem luculentum eius argumenti librum, præcipuæ vetustatis, & eximiæ characterum elegantiæ, quem olim cum aliis scriptis codicibus Cuiacio commodatum quidam pessima fide retinent quam vis furti manifesti. Est & alius apud heredes Cl. V. Claudii Puteani. Vidi & alibi totum Psalterium iisdem notis conceptum. Exstant & alibi similis exempli, sed diuersorum scriptorum. Ex illo indice Bibliothecæ Palatinæ, quem a vobis accepimus, cognoui aut non omnes in illo relatos codices esse, aut non omnes exstare in Bibliotheca, qui olim fuerunt. Nam & quidam codices Arabici desiderantur. Sed, puto, quum tibi vacabit, iterum Bibliothecam retensebis & aliquando integrum indicem publicabis. Vale. Lugduni Batauorum. xv. Kalend. Septembr. Iuliani. CIↃ. IↃ. CXII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo.
salutem.

Valde me oblectarunt iucundissimæ literæ tuæ, quas ex nundinis ad me scribebas. Videbam te hilariorem solito, Itaque vt animus tuus, ita fuerunt literæ tuæ. Quia enim functus laboribus, lætus, & alacris ad scribendum eas te contulisti, propterea illæ de animo iam oluto curis multum retinebant, vt non frustra dictum

dictum sit, ψυχῆς χαρακτὴρ ὅτιν ἀνθρώπου λόγος. Certe hoc ego agnoui in Epistola tua, quæ te mihi alium prorsus exhibebat. Nam antea tuæ literæ nihil aliud tinniebant præter operarum typographicarum oscitantiam, & laborum catenatorum inextricabilem molem. Ego certe, mi Grutere, gaudeo illis molestiis defunctum ad hilaritatem animum tuum traductum esse. Hæc remissio fortiorem deinceps ad grauiora munera obeunda præstabit. Sed quando edetur Catalogus Bibliothecæ Palatinæ? Hoc ne frustra exspectemus. Meus Eusebius sub prælo est. Sed diu in illo pistrino hærebit propter molem operis, & tyrocinium operarum, qua τῶν κεφαλῶν ἐν παιδὸς μανθάνουσιν. Antea enim Theses tantum excudebant. Vrgeo quotidie Scriuerium nostrum de Martiali, qui prope ad finem adfectus hæret in luto: cuius moræ caussam ne ipse quidem Scriuerius reddere possit: nisi forte, quia Hollandicum est, sero perficere, quod maturius posses. Nam certe, si rem non ex rigore iuris, sed ex æquo bono putemus, poterat Martialis ille ætate præterita prodiisse, & nulla vis facta esset ei. Opto, vt bene valeas. Lugduni Batauorum Nonis Martii Iuliani,

1604.

**

*

IOSEPHVS SCALIGER Iano Grutero suo S.

Ex postremis tuis perspicere potui studium suum de edendis τῶν τεχνικῶν auctoribus, item Athenæo Mechanico, & aliis, quorum interpretationem Latinam adiunges. Ego, optime virorum, plurimum fauco omnibus generosis conatibus tuis. Sed (non enim celabo te) quomodo illa mechanica recte conuerti possint, non video, quia neminem puto esse hodie, qui illas demõstrationes intelligere possit tum propter argumenti difficultatem, tum vocum ac verborum τεχνικῶν obscuritatem, &, quod caput est, quia figuræ perierunt, quod erat vnicum præsidium ad omnia intelligenda. Nam illæ figuræ, quæ in scriptis reperiuntur, sunt sciolorum commenta. Quod si illæ, quæ ab auctoribus positæ erant, extarent, nihil est, quod peritum lectorem morari posset. Peritum intelligo, qui non sit tyro in mechanicis, & in Geometricis Nam quantumuis Græce doctus, nisi aliquem horũ artium vsum habeat, omnem operam ludet. Hæc tentare, mi doctissime amice, est periculosa alea. Iamdudum enim Athenæus, Biton, & alii Latine & Græce loquentes produissent, absq; illis obicibus foret, quas tetigi. Tu per tuam prudentiam hæc considerabis, & de consilio tuo iterum perscribes. Ego in omnibus decreui tibi obsecundare. Epistolam, quam Elæ Putschio scribo, oro te, illi recte reddendam cures. Quartum enim ad eum scribo, quum

quum tamen nihil literarum ab eo acceperim. Tuum Senecã quominus hactenus legere potui, in causſa eſt librarius, cui compingendum tradidi, & nondum accepi. Interea gratias maximas tibi eius libri nomine agimus. Quod Martialis nondum prodiit, Typographo an Scriuerio adſcribam, an vtrique, neſcio. Vtrique melius fecero ſi adſcribam. Vale. Lugduni Batauorum XVI. Kalend. Sextilis Iuliani. CIↃ. IↃ. CIIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero ſuo S.

Fortaſſe quas nuper ad te ſcripſi, vna cum iſtis eadem opera accipies, ſi nondum illæ tibi redditæ ſunt. Scripſi ad te, quid mihi videretur de auctoribus πικπκῶν, opus eſſe, quod non niſi doctiſſimi intelligunt, id eſt, pauci, præſertim Athenæum, quem ne doctiſſimus quidem, & ab omnibus artibus paratiſſimus digne tractare poſſit. Quare quid laudis putas te conſecuturum, ſi adoleſcentis, quamuis eruditiſſimi, interpretatione Latinum factum edas, non video. Neque tamen interea recuſo, quin velim, quod vis. Sed non poſſum laudare conatum quem omnes improbabunt. Aleam tamen ieci, & potius tibi morigerus fuero, quam vt de me queri poſſis. Videbo, quid reſcribas, vt ex eo tibi ſatis faciam. Tuum Senecam Tragicum lego. Agnoſco geminam ſedulitatem, quam in aliis præſtitiſti. Da nobis etiam Statium. Scio eſſe in

procinctu. Fac vt cito appareat. Martialis Scriuerii, qui ante x v. menses potuerat prodire, eodem in statu est, hoc est, implorat opem non Typographi, non enim eius culpa est, sed Scriuerii; cuius moram excusare nulla sinit ratio, quandoquidem per illum solum hactenus steterit, quo minus Martialem habeamus. Quatuor, aut ad summum quinque tantum foliis abest a fine. Oro te, si quid meæ preces apud te valeant, vt Indicem Bibliothecæ Palatinæ edas. Nihil nobis gratius facere potes. Vale. Lugduni Batauorum. x. Kalend. Septembris Iuliani. CIↃ.IↃ. CIIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo S.

Memini me tibi aliquando verba feciſſe de Commẽtario in Indicem Inſcriptionum conficiendo. Id quum nuper recogitarem, & interea Commelinus noſter mihi diceret, te neſcio quid tale moliri, non potui facere, quin iterum te ad id opus hortarer. Nihil neque e republica literaria, neque ex exiſtimatione tua præſtantius facere potes. Quare ſi animum & conſilium eius ſcriptionis abieciſti; hortor te, vt ne te illius pigeat, ex quo ſolida gloria in te, in omnes ſumma vtilitas redundatura ſit. Sin autem iam Operi manum admouiſti, venio vltro ἐπιδιώκτης. Potes etiam & de lectione Inſcriptionum, & de vtilitate, & aliis, quæ languentes Lectorum ſtomachos reficere ſolent, com-

commentari. Ad hoc ego te vnice hortor, conscius mihi, qui hæc digne præstare possit, præter te esse neminem. Scis Indicem esse Notitiam quandam Antiquitatis. Quot thesauri in illo repositi sunt, quæ opes Critices, & humanioris eruditionis? Exspecto quid tui super hac re consilii sit: neque graue sit de eo negotio iudicium, & voluntatem tuam ad me perscribere. Vale, Lugduni Batauorum VI. Eid. Octobris Iuliani. CIↃ.IↃ.CIIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo
salutem.

Vix tuas literas legeram, quum visum est illis respondere. Vtinam æqua esset postulatio eius, qui te deprecatorem delegauit, vt a me exorares, quod neque mihi dare tutum est, neque illi honestum petere. Ego, mi Grutere, tanti amicos meos facio, & te in illis præsertim, vt nihil illis negare possim, quod quidem aut in potestate mea sit, aut e re mea & illorum sit illis concedere. Sunt & alii, qui idem a me petiuerunt, in quibus Marcus Velserus, qui pro ea, qua apud me valet auctoritate, id a me exigere poterat. Ita hominem absolui, vt ei persuaserim iuste negari, quod iure peti non potest. Quod tanto amico negaui, id aliis concedere, est illum contemnere. Meum Eusebium nemo potest videre nisi totum. Et

miror, quomodo ii, quibuscum nullus mihi vsus est familiaritatis, aut commercium literarum, tanti momenti rem a me petere veriti non sunt. Si fieri posset, nemo hodie viuit, qui magis a me impetraret, quam tu. Sed venio ad Commentarium in indicem. Quis melius praestare potest, quam tu? Quæ vberior seges antiquitatis? In primo Capite quæ de Diis, de dedicationibus, de votis dici possunt? In Capite de militia, & in illo de sepulcris quæ miranda deprimi possunt ex adytis iuris? Itaque habes vbi intendas neruos, vbi industriam exeras, modo animus adsit, qui audeat facere. Nam certe neque vires, neque ingenium defuturum spero. Aude modo. In Capite de officiis Augustæ domus, & Magistratibus putasne aut materiam decesse, aut ingenium non sufficere, aut corpus labori non superesse? Si bene te noui de scriptis tuis, scio ab illis ita te bene cõparatum, vt, si detrectes hunc laborem, ea hoc a te exigant, vt tam præclarum onus refugere non debeas. περὶ τεκτικῶν scio neminem satis pro dignitate eam editionem præstare posse. In magnis tamen & voluisse sat. In tua potestate situm est, facere. tui arbitrii, experiri an labor ille feliciter succedat. Ego omnia, quæ tu vis, volo. Gratias ago tibi de tuis in Tacitum. Scriuerio videor calcar subiecisse ad Martialem repetendum. Promisit se non defuturum. Adhuc tamen cessatur. Ad Papinium te non hortarer, nisi mihi constaret tibi illum poetam non minus debiturum, quam Martialem & Senecam.

Vale.

Vale. Lugduni Batauorum. XIIII. Kalen. Decembris Iuliani. CIↃ. IↃ. CIIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo S.

De Commentario in Indicem, laudo consilium tuum; & gratum est te illam prouinciam suscipere, quam qui melius, quam tu, administrare possit, scio esse neminem. Interea inscriptiones numismatum, quia leuis labor est, potes addere, ita tamen, vt in præfatione Lectorem instituti tui certiorem facias de Commentario in Indicem a te instituto. Certe hoc debes Reip. literariæ: quia bene ac pro dignitate hoc præstare potes. Illustrium tuum ergo exspectabimus, quandoquidem ita nos sperare iubes. Statium iamdudum frustra proditurum sperauimus. Martialis Scriuerii iam fere integrum biennium cessat, prope absolutus, vt ad supremam manum tria tantum aut quatuor folia desint. Causam cessationis nunquam ex ipso scire potuimus: & spes nulla affulget editionis maturandæ. Quæ pœnitentia aut religio illi incesserit, vt opus prope absolutum in tenebris premat, nondum nobis compertum est. Non cesso moras castigare, obiurgare, flagitare. *qua cuncta aeris discerpunt irrita venti.* Vale. Lugduni Batauorum. Nonis Martii Iuliani.

CIↃ. IↃ. CV.

**

*

IOSEPHVS SCALIGER Iano Grutero suo salutem.

Non potui facere, quin statim ad literas tuas responderem, quas Francofurto mihi attulit Ioannes Commelinus. Admodum probo consilium tuum de Indicum editione seorsim a corpore Inscriptionum, cum accessione eorum, quæ ex Thesauro & nummis Goltzii ac aliorum, tum etiam ex Itinerariis Burdigalensi, Antoniniano, Peutingheriano colligi poterunt, item ex Notitia Imperii Romani: vbi sane multa sunt augendis capitibus regionum, vrbium, & rei militaris, legionum, ac cohortium. acceptissimus erit ille labor omnibus, &, vt tu ais, lectori ad integras epulas, id est, ad ipsum corpus Inscriptionum, saliuam mouebit. Poteris etiam quædam selectiora interpretamenta a te ipso depromere illustrandis illis, quæ aut luce indigent, aut quorum mentio alibi fit. In Codicibus Theod. & Iustinianeo non pauca exstant suppellectili illi augendæ. De Seneca iamdudum tibi scripsi, quanti ego operam & studium, quod in illis Tragœdiis collocasti, faciam, & quantum ea prædicare amicis soleo, quæ tu non solum in illum scriptorem, sed etiam in alios contulisti. Plurimum, mi Grutere, Latinæ literæ tibi debent, plurimum illi, qui eas amant. Quid factum sit illis literis, quas ad te de Tragœdiarum illarum editione tua dedi, nondum plane mihi constat, neque satis mirari possum. Exspectabimus ergo Sallu-

stium

lustium tuum, vt non minor materia laudandæ industriæ tuæ ex illo scriptore nobis suppeditetur, quam ex aliis bonis auctoribus, qui tibi vitã debeat. Debes etiam nobis Statium: quem ineptissime cognomine *Surculi* editio Parisiensis proscripsit. Mitto tibi aliquot Inscriptiones, quas, puto nondum vidisti. Vale, Lugduni Batauorum, XVIII. Kal. Maii Iuliani. CIↃ.IↃ.CV.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo
salutem.

Bis ad tuas respondi. Tertium has ad te scribo. Laudo consilium tuum de inscriptionibus nummorum. Nihil neque fructuosius studiosis, neque mihi gratius facere potes. Iterum te appello de Commentario in Indicem. Illud condimentum ad reliquas epulas Lectorem inuitabit. Si quis hodie viuit, qui tam præclarum opus præstare possit, tu is es, aut nemo. Et certe, quum tanta sit multitudo meritorum tuorum in rem literariam, nullo magis doctiorum animos demereri potes, quã isto. Perge, aude. Nemo tibi hanc gloriam, nemo palmarium hoc eripere potest. Literas ad Thebaldum Meuschium Ecclesiasten misi, amabo recte curato. Blitters wickiæ quoque matronæ suas dabis.

Vale, Lugduni Batauorum XIII.
Kalend. Iunii Iuliani.
CIↃ.IↃ.CV.

IOSEPHVS SCALIGER Iano Grutero suo S.

Non opus est repetere, quæ postremis meis literis adhibui ad iuuandum desiderium tuum, vel potius ad te hortandum, vt illum indicem inscriptionum numismatum confícias. Nihil enim est, neque quod editioni maiori inscriptionum accommodatius, neque quod reipliterariæ vtilius, neque quod studiosis gratius futurum sit. Vnum oro, ne despondeas animum, vt Scriuerio contigit, qui totum propositum & animum de editione Martialis abiecit, quamquam illa proxime abest a fine: neque pudet eum fidem decoquere, quam totiès nobis obligauit. Dolet mihi penuria typographorum. Statium tuum in fundo Scrinii hærere, non minorem Industriam te in illo collocasse, quam in Martiali, & Senecæ Tragœdiis, vt credam, facit ingens tua mihi perspecta eruditio, & diligentia. De tuis in Tacitum diatribis summas tibi ago gratias. Mirus est labor ille; & qui πολιτικὰ tractare volent, habent vnde plene hauriant. Quid verò a te prodit, nisi eruditum? De inscriptione CCCLVIII. 2. video quidem Antonium Quadratum donatum armillis & torquibus bis a Ti. Cæsare. & torques esse περὶ λαιμὸν, quæ collo circumdantur; armillas βραχιόνια, aut περὶ βραχίονα vocantur, quæ armis, hoc est, βραχίοσιν aptentur, vnde illis nomen. Sed in re militari dicuntur *Calbea*, non *Armillæ*, quæ militibus dantur, quamquam reuera essent armillæ. Sed

QVA-

QVADRATA quod addis, ego fateor me non intelligere, quum in illa inscriptione solius Antonii Quadrati mentio fiat. Quum primum amplissimum virum Michael Lingelsheim videris, saluta eum meis verbis, & quod nullas hunc ad eum literas dederim, occupationes meas in caussa fuisse, dicito; tum me proxime illi scripturum. Vale, Lugduni Batauorum xvi. Kalen. Septembris Iuliani. CIↃ. IↃ. CV. Raptim.

IOSEPHVS SCALIGER
Heliæ Putschio S.

Vnde; mi Putschi, ordiar, vt tibi gratias agam de præclara editione Grammaticorũ tuorum? Quum enim me indignum tanto honore videam, excidunt mihi verba, quibus pro dignitate gratiam referam: quibus saltem, quam eximie de me meritus sis, exponere possim. Nam gratiam quidem referre nostrum est, sed non opis nostræ. Pudet me honoris oblati, cui impar sum. Miseret me operis, quod meliore patrocinio dignum erat, vnde tibi plus gloriæ, & fortassis aliquid vtilitatis, contingere potuisset. Maluisti defraudare te, vt eum ornares, qui amicos suos, quã se ornatos malit. Quot enim Principes eleganti illa epistola digniores sunt, quam ego? quæ me ita affecit, vt quamuis eius castitatem & puritatem sermonis ita, vti debeo, impense miratus sim, tamen facere non potui, quin, quia illa dedicatione indignus sum, nihil aliud, quam eleganter vulgo traductum me esse

dicam. Posteritas quidem, quæ ex isto labore tuo, non ex tuis annis, iudicium tuum æstimabit, fortasse me alicuius pretii esse crediderit, quod, qui tam bene de veteribus scriptoribus iudicare potuerit, de hominibus sui seculi multo magis id facere possit. Verum age, tu me insigni beneficio tuum feci sti: ego illi impar sum, audeo etiam dicere, hoc ingratissimum seculum tam præstanti opere indignum esse. Certe te id ætatis & tantis temporis angustiis id præstitisse, quod memoria patrum nostrorum, ne vno quidem seculo multa fœcunda ingenia explicare potuissent, qui non mirabitur, ille aut literas nescit, aut mortalium ingratissimus est. Fruar igitur beneficio tuo, quod mihi cum omnibus commune est. Triumphabo honore, quo me solum frui voluisti. Effigies mea parata est, sed cui tuto credam, habeo neminem, neque spes est, illam tibi reddi, nisi proximis nundinis aut per eum, cui recte eam tradere possim: quem nisi tu indicaueris, vbi nanciscar, nescio. Itaque si ad manum tibi est, quo tuto id efficiam, per me quidem nulla erit mora. Non enim magis cupidus es eam petendi, quam ego tibi mittendi. Porro est quidam egregius vir Germanus, Sethus Caluisius, qui nuper sub initium superiorum nundinarum præstantissimam chronologiam edidit rationibus meis instructam, vt ne ab illis latum vnguem discedat, opus æternitate dignum. Is ad me vnum exemplar misit, quo nomine illi gratias ago ea epistola, quam ego cum tua coniunxi. Itaque oro te per

amici-

amicitiam nostram, vt illi eam tuto cures, neque eam tradas, nisi cuius fides tibi spectata sit. Et quia me amas, quam primum certiorem me fac, an eam tradideris, & si tradideris, an ille, cui dederis, celeriter redditurus sit. Nolo dicere, quã lætatus sim, quum viderim, inceptos quosdam Cercopithecos oblatrasse rationibus & argumentis nostris; Hunc autem præstãtissimum virum nõ aliis quam illis nostris chronologiam suam muniuisse. Hoc opus reliquorũ omnium luminibus officiet, & si bene auguror, nullius operis tam crebra fuit editio, quam huius erit. Omnino eximium est. Scribe ad me quam primum; præsertim quam viam insistam effigiem nostram mittendi. Vale, III. Non. Decembr. Lugduni Batauorum. CIↃ. IↃ. CV.

IOSEPHVS SCALIGER Laurentio Rhodomano suo salutem.

Quamuis male adhuc habeo ex præterito languore, qui me integrum mensem cũ cibi fastidio, & improbissima siti exercuit, & virib. exinaniuit, tamẽ nolui cõmittere, vt diutius meas literas desiderares. Accepi igitur amœnissimũ, & elegantissimum epos tuum Græcum Θελύσια Λαϊκώρεια, ꝙ ita me affecit, vt semel legere satis mihi nõ fuerit. Ignorato nomine quis aliter iudicaret, q̃ vetustum poema esse? Certe tua Græca eiusmodi sunt omnia: & plus satis sudauerit, qui meliora, aut magis Græca fieri posse speret.

Quod vero ais de nostro Catone: scito me non ea causa illam interpretationem Græcam aggressum, vt in publicum prodiret, sed potius, vt morbum, & insomniam, qua tũ misere affligebar, fallerẽ. Amici me iniusso, inscio, ac nihil minus, quam hoc, sperante, Lutetiæ ediderunt: qui & iustum librum ex selectis Martialis Epigrammatis habent Græce a nobis redditum, vna cum interpretatione Græca integre Publianarum sententiarum *Gruterianæ editionis*. Minantur se edituros. Nam quod e manibus nostris semel exiit, de nostra quoque potestate exiit. Ego nunquam meos versus neque Græcos, neque Latinos amare potui. Itaque mallem ignorari, quam eorum editione me traduci. Quid faciam? Qui amicum habet, Imperatorem quoque habet. Ius in nos habeat, quod ipsi sumserunt, nõ quod nos eis dedimus. Ego non ignoro, quin si nostra Catoniana Græca cum tuis comparẽtur, ludibrium omnibus debeam, saltem iis, qui ignorant, quam alienus ab ista ambitione sim. Quod tu in illis excusabis, perinde mihi erit, ac si laudaueris. Vale, Lugduni Batauorum, III. Eid. Martii Iuliani. CIↃ.IↃ.CVI.

IOSEPHVS SCALIGER
Ioanni Isacio Pontano
salutem.

Historia vtcumque scripta iuuat, inquit Plinius Cæcilianus: multo magis tua, quæ accurate scripta est. neque est aut veritatis aut litera-

rum

rum amans, qui non, vt tuum ſtudium, ita ſcriptum laudet. Sed de duobus aut tribus verbis hodiernas dialectos ad priſcarum origines referre, non adeo tutum eſt. Nihil tam diſſimile alii rei, quam Teutoniſmus linguæ Perſicæ, in qua tamen ego reperio fader, moder, broder, tochter. Qui Teutonice ſciet, Perſici ſermonis imperitus, & a Perſis ita *patrem, matrem, fratrem, filiam* vocari didicerit, audacter pronunciabit Perſarum ſermonem mere Teutonicum eſſe: & ſane cum ratione errabit. Ratio eſt in eorũdem verborum vſu, error in neceſſitate argumenti, quam ipſe captat ex tam paucarum vocularum vſu. Non enim neceſſarium eſt eandẽ linguam Perſicam eſſe cum Teutonica, quod verba eadem ſine vlla mutatione aut literarum, aut notionis, aut pronuntiationis, in vtraq; reperiantur. Alioqui iuſtius Hiſpanica lingua eadẽ cum Arabica cenſeri poſſit, quum tot puræ Arabicæ voces in Hiſpanico reperiantur, vt ex illis iuſtum Lexicon confici poſſit. Certe Teutoniſmi veteris multæ propagines ſunt, & quorum matricem Danicam, & Norwegicam linguam eſſe non immerito quis ſuſpicari poſſit. Islandica lingua quæ eſt priſca Norwegica, quid habet commune cum hodierno Teutoniſmo, præter ἐξίπλα ἴχνη, quæ veteri Saxonicæ & Anglicanæ linguæ magis reſpondent, quam reliquo Teutoniſmo? Sed libri ſacri in priſcum Tiotiſmum, ſeu Teutoniſmum conuerſi, qui penes doctos ſcripti exſtant, quos & nos vidimus, quid maxima ex parte habent commune cum hodierno

Germanismo? Itaque priscam Gallicanam linguam ad Danicam hodiernam aut Germanicam referre, quantæ aleæ est? Nam si fuit eadem cum Germanica, & Germanica illa adeo diuersa est ab hodierna, frustra eam, quam scimus, ad eam, quam ignoramus, referimus. Accedit distortio verborum barbarorum, quæ Latinitas aut Hellenismus assequi non potest. *Ludouicum* vocant, qui dicebatur *Hlodwin*. Et, quod magis ridiculum, *Lutuicum* illum apud Cæsarem *Ludouicum* esse hariolantur. At illa vltima syllaba non est in nomine Francico. Est enim *Win*, non *Wick*. Itaque potius ille Cæsarianus *Lewtwick*, quam *Hlodwin*, fuerit. Sed Cæsar eadem Gallicanam linguam cū Britannica fuisse scribit. Ea adhuc non solum in Britannica superest, quæ fuit priscorum Pictorum, sed etiam eius traduces in nostris Aremoricis exstant hodie. illa ne verbum quidem nec vmbram habet verbi, quod ad Teutonismum referri possit. Laudo tamen studium tuum, quia in rebus obscuris, vt errare necesse est, ita fortuitum non errare. Vale, Lugduni Batauorum, IX. Kal. Octobris Iuliani. CIↃ.IↃ.CVI.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Gruteroſuo

Iam tempus erat aut me tibi gratias agere de præstantissimo tuo Tacito, aut ingrati postulari apud te, quod id facere hactenus distulerim. Sed scias sero mihi a librario redditū, cui compingen-

pingendum dederam, per cuius negligentiam operā ei libro dare non licuit. Postquam accepi, tantam voluptatem ex tuo indice cœpi, vt nihil prius optem, quā Liuium, & Sallustium ad eundem modum a te exornatos prodire. Iam vero maximas tibi gratias ago tanti muneris. Male opus tuum a Typographis tractatum esse iure queri poteras, si hoc vni tibi contigisset. Sed quia hoc malum tibi cum aliis commune est, patienter ferenda tibi hæc iniuria est; vt & nos, quum Eusebium nostrum tot mendis deformatū meminimus, tam iniquo animi ferimus, si aliorum opera non cogitamus, quam consolamur nos, quum idē aliis accidisse recordamur. Ideo ego secūdam editionem cogito, cui exornandæ, præstantissimę & optime amicorū, non verebor implorare opem tuam, vt si quid in Bibliotheca illustrissimi Electoris a te animaduersum sit, quod ad ea, quæ iam a nobis edita sunt, addi possit, id non pigeat nos impertire. Habui a Bibliotheca regia maximum fragmentum ὀλυμπιονικῶν, & Regū Sicyoniorum, Atheniensium, & Argiuorum ex illo magno corpore Eusebii auulsum, cuius incremento non parū ornamenti editioni nostræ accessit. Si quid simile in vestra Bibliotheca opulentissima exstat, quod aut ad Olympiadas, aut ad ἀρχοντας Atheniensium, aut denique ad argumentum Chronologicum pertinet, magnam non solum a me, sed etiam a posteritate gratiam iniueris, si nobis illa non inuideris. quod vt sperem me cōsequi non solum ex tuo in me amore, sed etiam ex illo

ſtudio, quo literas promouere non ceſſas, facile mihi perſuaſi. Habes veterem amicum noſtrum Meurſium, quo vti potes vel indice, ad eruenda illa monumenta, vel ſocio ad dignoſcendum, quæ vobis videbantur mihi vſui ad opus noſtrũ locupletandum. De illis vero Epigrammatis Græcis a Planude caſtratis quãtam ſaliuam mihi nouiſti? vel ex illis paucis, quæ ad me miſiſti antiquiſſimis certe, ſed nõ illius Battiadæ, cuius hymnos hodie habemus. Multi Callimachi fuerunt: quorum princeps Battiades, cuius character omnino alius ab eo horum Epigrammatum. quæ certe tãti facio, vt ex quo illa accepi (accepi autem nudiuſtertius) nihil aliud in votis habeam, quam omnia illa adipiſci, quæ a Planude caſtrata ſunt. Oro te igitur per ius amicitiæ noſtræ, vt vel quæ iam deſcripta habes, ad me mittas, quæ breui bona fide tibi reddentur, vel vt deſcribenda cures meis impenſis. Quicquid annotabimus, omne tecum communicabimus, & quid ſuper editione deliberandum erit; meum iudicium tibi exponam. Hoc tantum fac ne fruſtra a te hoc ſperauerim. Audiui non ſemel ex Franciſco Porto Cretenſi optimo, & eruditiſſimo ſene, ſe in manibus Nicolai Sophiani hominis Græci vidiſſe, integrũ ἀνθολογίας codicem ſummæ vetuſtatis, in quo omnia illa Epigrammata, quæ narras, exſtabãt, quæ non dubium eſt, propter prętextata verba, & obſcænitatem a Planude monacho damnata fuiſſe. Me ſane beatum prædicauero, ſi tanti beneficii compotem me feceris. Itaque oro, vt

per

per mercatores post vernales nundinas ea accipiam, si quidem tibi commodum est. Scripsissem Meursio, nisi confiderem maius pondus commendationem tuam, quam meas literas habiturum. Certe non dubito quin quædam deprehendi possint in ea Bibliotheca, quæ secundam editionem Eusebii nostri meliorem efficere possint. Pagellas, quas Vulcanio suppleui, a tui Procopii corpore mihi suffectas fuisse & gaudeo, & tibi gratias ago. Puto paruũ elenchum nostrum orationum Chronologicarum Parei his nundinis proditurum, &c. Vale. Lugduni Batauorum IX. Kalend. Martii Iuliani. CIↃ. IↃ. CVII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo S.

Epigrammata Græca exoptatissima tandem accepimus, tuo & Salmasii beneficio. Ille operam describendi contulit, tu fauoris tui aura vela illa inflasti. Quare vtrique maximas gratias ago. Auctor sum illi, si tibi videtur, vt integrum Anthologiæ volumen edat vna cum iis, quæ ex antiquo Palatino codice hausit, resectis illis, quæ propter verba prætextata ferre casti oculi & aures non possunt: quæ quum sint pauciſſima, eorum iactura non admodum magna fuerit. Sed quæ illi superistis scripsimus, & quis de eis sit animi mei sensus, poteris ex ea, quam ad eum scripsi, epistola, intelligere. Nam sine te de illis vllum consilium capi nefas esse duco.

Non possum pagellas illi tuto remittere, nisi ad proximas nundinas. Iam video illum codicem eundem esse, quem Nic. Sophianus habebat. Nam præter alios codices inerat & integer Stephanus ἐθνικογεάφῳ, cum toto, K, & Λ. quæ hodie imperfecta circumferri non ignoras. Sed codicem Isocratis idem Sophianus habebat, qui Panathenaicum tribus foliis auctiorem continebat quam qui hodie in manibus nostris versatur. Adorat præsens Henricus Stephanus. Ostendit illi Sophianus impressum Panegyricum; locum, a quo absunt illa folia, interpretari iubet, quem quum diligenter is perpendisset, palam professus est, se non intelligere, quum tamen antea ipsi suspectus non fuisset. Postea explicato codice Græco indicauit quantum deesset in vulgatis editionibus. An ille codex nunc exstet in Bibliotheca, magni fecerim scire: & si ita est, poterit cum vulgatis conferre Salmasius, ne tibi homini in melioribus occupato tantum tædium devorādum sit. Aliquando ex ipso Stephano audiui, propter hanc lacunam se deterritum fuisse ab editione Isocratis, quem tamen postea cum interpretatione Latina excudit. Isti Sophiano idem nomen & cognomen commune fuit cum eo, qui Græciæ tabulam confecit, ne forte quis eundem putarit esse. Sceleſtissimum & mendaciorum refertissimum librum Schoppii habemus. Sequemur iussum Sapientis, vt ei secundum stultitiam suam respondeatur. Cardinalibus, quorum lāces ille canis lambit, quomodo gratiam reponamus, deliberabimus,

mus, &c. Vale, Lugduni Batauorum XII. Kal. Iunii Iuliani. CIↃ.IↃ. CVII. An videris Græcam inscriptionẽ nobilissimam nuper effossam non longe Roma, scire auco. Eam noluit mihi mittere Casaubonus, nisi prius commentario suo illustratam. Itaque eam adhuc exspecto.

IOSEPHVS SCALIGER *Iano Grutero suo S.*

Binas a te accepi, ex quo ad te scripsi. Allatæ vna schedæ Epigrammatum Græcorum. Leuidense negotium est, cuiusmodi monachorum omnia. Tamen propter historiam retinẽda potius sunt, quam amanda: neque quicquam horum ita a nobis aspernãdum, vt ad omnia nauseare; neque tanti faciendum, vt iudicio carere videamur. Pluris fecerim videre illum Ioannem Grammaticum Gazensem. Quamuis enim vehemens, & torrentis instar *spumantes nullo margine finit aquas*, tamẽ propter dignitatem argumenti, quod tractat, merebit gratiam ab historia, quam a poesi non potuit, quanquam ex illo specimine, quod a Salmazio nostro accepi, melior & castigatior poeta Nonno mihi videtur. Sed vt plenius de eo iudicetur, totũ opus nobis legendũ esset. Ideo oro te, vt quam primum ad nos mittatur. Fieri enim nõ potest, quin multa notare possimus, quæ editionẽ eius operis meliorem, & gratiorem concinnare possint. Vellem equidem te in Anthologia Epigrammatum iuuare, & illa mittere, quæ olim in illo libro animaduerti. Sed ea relicta sunt in Gallia.

si modo relicta dici possunt, quæ omnino periisse iudico. Quid ni putem periisse, quæ neque memoria teneo, neque si velim, fugitiua retrahere possum, &c. Quod in alteris literis a me indicem Bibliothecæ Vaticanæ exigis, scito me illo ad tres horas tantum vsum, in quo ego nihil prorsus reperi, quam vulgaria omnia, præter tres aut quatuor mathematicos, quos in Bibliotheca vestra, & regia extare scio. Reliqua eiusmodi sunt, vt te ignorare ea præstet, quam vnius horæ iacturam in illis legendis facere. Statim librum reddere coactus sum. Erat enim auctio facienda. & statim emtorem stultũ reperit. Sed de indice vestræ Bibliothecæ iterum tibi aurem vello. Vale. Lugduni Batauorum, Die bisexti Iuliani. CIↃ. IↃ. CVIII.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo S.

Noli mirari breuitatem literarum mearum. Clariss. Bongarsius, prius pene discessurus erat, quam ego scirem veniisse. Sed propediem longiores ad te dabo. Indicem Bibliothecæ vestræ reddam Bonutio. Occupatissimus fui hos dies in scripto, quod adorno aduersus Burdonistas. Nomen non apponam neque meum, qui scripsi, neque eius, quem anonymum huius auctorem facio. Itaque nolo odorem huius rei ad aliquem emanare, ne Furcifer dignum sè putet, qui *cadat Æneæ manu*. Omnino opus fuit Burdones & Bordonios de gente Scaligera expungere. Scito me non accepisse Gazam Grammaticum

maticum vel poetam, quē se misisse ad me scripsit Salmazius noster: cui me non posse nunc scribere tam dolet mihi, quam neque longiores ad te dare. Sed hoc alias compensabimus. Malui enim me scribere, quum nihil haberē, quod scriberem, quam nullas communi amico nostro Bongarsio dare. Exspecto eum ad Cœnam cum Clariss. Hippolyto a Collibus. Cras autem ipse Bongarsius ad vos cogitabat. Dominos Freherum, & Lingelshemium a me, ni piget, saluta. Vale, Lugduni Batauorum III. Eid. Iunii Iuliani. CIↃ. IↃ. CVIII. Raptim, quod lituræ indicant.

IOSEPHVS SCALIGER
Iano Grutero suo S.

Indicem Bibliothecæ vestræ sedulo legi. Locupletior est, & meliorum librorum, quam Vaticana. Itaque voluptati fuit legisse. Remittam vero proximo autumno. Recuditur Satyra Heynsii triente auctior, quam altera editio. addita est Confutatio Burdonianæ fabulæ. Nullum mendacium facilius, felicius, magnificentius profligatum vnquam fuit. Prodibunt simul his proximis nundinis. Monstrorum pater est hoc seculum. Nemo non vult haberi doctus. nemo tamen vel labro tenus bonas literas degustauit. Iuuentus nostra, quæ studiis Theologiæ dedicauit se se, a Grammaticis ad μετὰ τὰ φυσικὰ statim confert se; & in his vepretis totam ætatem absumit. quo fit, vt neq; bonarum literarum aliquem sensum habeat, neque verba sacrorum librorum assequatur. Puduit me magni

cuiusdam viri, magniq; in Theologicis nóminis, qui ignorat, quæ puerum nescire nefas esset. Ego totum me dedidi literis, quum eæ vigerent, & viri maximi in illis florerent, quorum exemplo quivis ad eas excitari posset. Nunc nō mirum est, iuuentutem has artes cōtemnere, ad quarum amorem nullius exemplo excitatur. Ego tamen, quem tam ingratum seculum a virtute deterrere poterat, non committam; vt hoc exiguum vitæ, quod mihi supereſt, in iis studiis neque transigam, in quibus primam pueritiam exegi. Nulli tamen auctor fuerim, vt liberis suis plus temporis in literis ediscendis indulgeat, quam quantum satis est Latinæ linguæ percipiendæ: vt inde ad aliud instrumentū vitæ sese conferant, quod melius audiat, & fructuosius sit, quam literarum studium, quo hodie nihil despicatius, nihil inutilius. Quare quod quereris de hac huius æui insania, non solum te hic tangit dolor, multos in eo socios habes. Sed propterea bonæ artes desinendæ nō sunt, vt earum hostibus rem gratam faciamus. Impensis colendæ sunt, vt istis oculi doleant. Itaque noli queri de eo, in quo nullus proprius dolor tuus est, sed communis cum bonis. De Cyclopibus vero ne manum quidem verterim, &c. Sed hodie omnia vulgi iudicio stantque cadantque. Si Petrum Gazensem mihi curaueris, magno me beneficio obstrinxeris. Vale. Lugduni Batauorum. Prid. Eid. Iulii Iulianis

CIↃ.IↃ.CVIIII

FINIS.

DIVERS DISCOVRS ET LETRES DV SEIGNEVR IOSEPH DE LA SCALA.

DISCOVRS

De la ionction des Mers, du dessèichement des Marais, & de la reparation des riuieres, pour les rendre nauigeables.

LEs anciens considerans les incommoditez & longueurs, qu'il y a pour passer des parties Orientales de la mer Mediterranee, a l'Ocean si esloigne desdictes parties, cela ne se pouuant faire, que par le destroit de Gilbaltar, auec vne tres grande despense, & le plus souuent auec perte de biens, & de la vie, se sont mis en deuoir de cerher les moyens d'abreger ce long & fascheux voyage, enfin ils ont trouue que cela estoit faisable, en ioignant les deux mers du costé d'Orient: Ils l'ont proposé aux Rois, les Rois l'ont accepte. Mais quand ils sont venus a l'affectuer, ils ont faict banqueroute a vn si louable, si excellent, & si vtile dessein, lequel ils ont abandonné, plus par faute de courage, que de moyens pour y paruenir. Or il y en a trois qui nous y peuuent mener. Le premier, est couper vn destroit de terre, que les Grecs appellent Isthmos, qui faict separation des deux mers. Le second, d'vn fleuue qui soit voisin de l'vne des deux mers, & tombe en l'autre, condouire vne tranchee iusques a la mer proche de fleuue. Le troisiesme, ioindre deux riuieres par vne tranchee, desquelles riuieres l'vne tombe en vne mer, l'

autre en l'autre. Le premier est applicable quād l'Isthmos, ou le destroit de terre est raisonable, c'est a dire qui n'est point si large qu'il ne puisse estre tranche par force de bras. Car quiconque pour ioindre la mer Caspienne, auec la mer Noire, que les Grecs appellent Euxine, voudroit couper le destroit qui les separe, il auroit trop a faire; la separation estant de nonāte quatre lieues communes, qui reuiennent a plus de huict iournees de chemin, qui seroit assez pour destourner, voire le plus hardi entrepreneur. Il n'y a qu'vne mer au monde, a scauoir le grand Ocean. Mais les entrees & aboutissemens, qu'il faict auant en terre luy font prendre des noms diuers, tellement qu'on penseroit y auoir autant de mers qu'il y a de noms, iacoit que toutes ne sont que lambeaux de l'Ocean, desquels il n'y en a que quatre, qui seruent a nostre subiect. La premiere mer, surpassant les autres trois, en longueur, largeur & commoditez, est la mer Mediterranee, a laquelle il n'y a rien de semblable sur la terre. La seconde est la Baltique grande & spatieuse: s'estendant depuis le Sund ou destroit de Dennemarc, iusques a l'extremite de Liuonie. La troisiesme la mer Rouge, autremēt Arabique, plustost semblable a vne grosse riuiere, qu'a vne mer, a cause de son giste si long & si estroit. La quatriesme la plus esloignee de nous, est la Persienne. On pouroit mettre en ce compte la Caspienne, n'estoit qu'elle ne vient point de l'Ocean, estant plustost vn grand & spatieux lac sale qu'vne

mer.

mer. Ces choſes ainſi conſiderees, il n'y a point d'ordre de ioindre les deux mers par le premier moyen, qu'en vn ſeul endroict, ou vn Iſthmos ou deſtroit de terre, large de trente deux lieues, ou cent vingt cinq mil, ſepare la mer d'Egypte d'auec l'Arabique, depuis la ville de Damiate, ſituee ſur la frontiere d'Egypte iuſques au Sues port de la mer rouge, ce deſtroit couppe, toute l'Affrique ſeroit vne Iſle, la ou auiourd'huy elle eſt peninſule, liee auec l'Aſie par ce deſtroit, mais cela eſt plus aiſe en Theorique, qu'en Pratique. Car ce deſtroit eſt dãs le deſert d'Egypte, tout couuert de ſable, volant tantoſt plus, tantoſt moins, ſelon les vents, qui l'entaſſent & le remuent. Et poſez le cas que la tranchee ſe peut tirer d'vne mer a autre, malgre tous les ſables. Si eſt ce que la foſſe eſtant faicte, en peu de temps elle ſeroit comblee de ſable, l'entrepriſe donc en eſt vaine, & le premier moyen n'a point de lieu par accident, a ſcauoir a cauſe des ſables. Ce que conſiderant vn des plus anciens Rois d'Egypte nomme Seſoſtris, lors qu'il fut conſeille de ioindre les deux mers : il ſe deporta du premier moyen, & euſt recours au ſecond, le pratiquant a l'endroict ou le Nil n'eſt diſtant de la mer Arabique, que de ſoixante deux mil, reuenans a ſeize lieues communes. Ariſtoteles en la fin du premier Liure des Meteores & apres luy Strabon, puis Pline, diſent que ce fut Seſoſtris, comme nous auons dit. Herodote plus ancien autheur, le nomme Pſammitichus, qui regna long temps apres Seſoſtris, ſoit Seſoſtris

ou Psammitichus, il ne fit qu'essamer la besongna, & ne la poursuiuit point: comme long temps apres le grand Darius filz d'Hydaspes Roy d'Asie & d'Egyte, poursuiuant l'œuure abandonne par Psammitichus, n'en vint point about. Apres longue succession de temps, vn des Ptolemees, Roys d'Egypte, surmonta ces anciens Rois, & en courage & en execution, trenchant vne fosse de trente sept mil quatre cent pas de longueur, cent pieds de largeur, de profondeur trente, œuure vrayement digne d'vn tel Roy, lequel ayant conduit iusques aux fontaines, il fut contraint de le quitter, estant aduise par ses Conseillers, que l'Egypte estoit plus basse que la mer Rouge, de trois coudees, tellement q'il estoit a craindre, que toute l'Egypte ne fut inundee de la mer. Les vns disent que ce ne fut pas cela qu'on allegua a Ptolemee, ains que le flus & reflus de l'Ocean, entrãt dans la fosse, corromperoit l'eaue du Nil, qui est la seule eaue qu'on boit en Egypte. La mesme difficulte estant propolee a vn Soldan d'Egypte, qui vouloit suiure les erres de l'ancien Ptolemee, le rebuta de l'entreprise. de mesmes en prist au grand Turc, qui ayant subiugue l'Egypte, & tue Tomambaie, dernier Soldan d'Egypte, auoit en fantasie de poursuiure ceste entreprise. Sultãmesmes fils d'Amurat auiourd'hy regnant, est apres pour l'executer, comme lon dit, nous verrons ce qu'il fera. il ny a rien qui l'excuse de la poursuite, s'il l'a entrepris veu sa puissance & les moyens, s'il le faict comme il le peut

peur, il n'y a doute qu'il ne se rende maistre des Indes, chasse les Portugais de leur commerce, & les Rois Mahometans & Idolatres de leurs Royaumes. Ainsi nous voyons que par le second moyens les deux mers se peuuent ioindre facilement; & difficilement par le premier, a cause des sables. Mais trop bien par iceluy, on peut faire des Isles, celles qui ne sont que peninsules, comme on feroit du Peloponese, auiourd'huy appelle la Moree, qui est liee auec la Grece, par vn Isthmos, nommé l'Isthmos de Corinthe, qui n'a de large qu'vne lieue d'Allemagne. Demetrius Roy de Macedoine, tascha le premier de trencher ce destroit de terre, pour rendre la Moree vne Isle entiere, qui eust este vne grande commodite, pour euiter le grand tour qu'il conuient faire en costoyant toute la Moree; pour paruenir a la Grece; il faut mettre en compte le danger qu'il y a de passer le cap de Malca, le plus perilleux endroit qui soit en la mer Mediterranee, mais Demetrius ne poursuiuit point son entre prise, non plus que Iules Cæsar, Caius Caligula, & Nero Empereurs Romains, qui tous firent mauuaise fin, comme disent ces Payens superstitieux, pour auoir entrepris ceste besogne desplaisante aux Dieux, qui a leur dire eussent faict la Moree vne Isle, s'il eust este expedient, & le mesme disoient des Cnidiēs, qui entreprirēt trancher leur Isthmos, qui lie leur terre auec la Natolie, dont furent empeschez par des incommoditez, prodiges & autres accidens, qui les contraignirent de se

deporter d'vn tel affaire, auquelles Dieux ne prenoient point de plaisir. Reste le troisiesme moyen, qui est de ioindre deux riuieres, qui se rendent en diuerses mers; par icelluy on peut iointre la mer Mediterranee a la Caspienne, & a l'Ocean. Quand a la mer Caspienne, il y a ces deux grosses riuieres la Tane, ou Tanais, & la Volga, dont la Tane tombe dans le palus Mæotide, & la Volga en la mer Caspienne, au dessus de la ville d'Astrachan. Or il y a vn endroit, ou les deux riuieres ne sont distantes l'vne de l'autre, que de six lieues d'Alemagne enuiron; menant donc vne fosse d'vne riuiere a l'autre, on lieroit la mer Caspienne, auec la Mæotide, & consequemment auec le pont Euxin, tellement que de la ville d'Vlme, ou pourroit nauiger iusques a la mer Caspienne, & de la contremont la riuiere d'Oxus bien auant en la terre du grãd Mogor. Que si le Moscouit n'estoit si barbare, si soupconneux comme il est, & vouluſt prester l'oreille a ceux qui le peuuent informer de son proffit, il auroit le commerce libre des Indes, moyennant l'alliance qu'il a auec le Sophi, depuis les frontieres de Mogor, iusques au cœur de son Royaume, mais certe nation auec leur Prince, est incapable d'vn si grand bien. Pour lier la mer Mediterranee a l'Ocean: ie ne scay que deux endroicts, le premier le plus aise & expeditif, est en la haute Franconnie. Le second en Languedoc. Le premier fut proposé a Charlemagne, l'an de Christ, sept cẽs nonante trois, par la liaison du Danube auec le Rhein, en menant

nant vne tranchee de la riuiere Radantia a la riuiere Almona. Radantia, eſt auiourd' huy appellee Rott, qui coulle par les villes de Wirtzbourg & Bamberga, & tombe dans le Meins, & le Meins dans le Rhein aupres de Maience. Almona, on la nomme auiourd' huy Altmu[illegible], & paſſe par les villes Eichſtet, & Kelhaim en Bauiere, & ſe rend dans le Danube, & le Danube dans la mer Euxine. Voyla la mer Euxine liee auec l'Ocean d'Hollãde, par le moyen des deux riuieres Radantia & Almona, leſquelles deux Charlemagne lia, tirant d' vne riuiere, a l'autre vne foſſe de deux mille pas de longueur, & trois cens pieds de large. Mais le malheur fut, que durant tout l'Automne qu' on trauailla a ceſte foſſe, il ne fit que plouuoir, tellement que la terre eſtant abbreuuee d' vne grande humidite, combla la foſſe de bourbier, & contraignit les ouuriers d' abandonner certe belle entrepriſe. Ie m' eſtonne que depuis ce temps, nul Empereur de Germanie n' ait voulu de nouueau reprendre les erres de Charlemagne, y a yant ſi peu d' interualle entre les deux riuieres: & l' affaire eſtant beaucoup plus aiſe, que celuy du Languedoc, qui eſt de ioindre l' Aude auec la Reige, l' Aude paſſant par Carcaſſonne & Narbonne, tombant dans la mer de Languedoc, la Reige ou pluſtoſt Ariege, tombe dans la Garonne, & la Garonne dans l' Ocean d' Aquitaine. Ce deſſein fut propoſe au grand Roy Francois, qui y preſta l' oreille, & ainſi qu' on eſtoit apres l' appareil d' vne telle entrepriſe, elle fut

interrõpue par la mort de ce magnanime Roy. Il me souuient que moy estant petit garcon, on en parloit encores, la memoire en estant toute fraische. Voyla tout ce que nous auons peu apporter de l'antiquite, touchant la liaison du commerce des deux mers.

A ceste matiere symbolise le desseichement des marais, & la reparation des riuieres, pour les rendre naugeables. toutes ces trois matieres estant liees par vn mesme suiet, a scauoir l'eau, & toutes deux tendantes a mesme fin, c'est a dire quand au suiet. La premiere ameine l'eau ou il n'y en a point, pour ioindre les deux mers, la seconde la ou l'eau est, il la rend vtile, la faisant naugeable, la troisieme la chasse de la ou elle est, desseschant les marais, & essuiant la terre, pour la rendre labourable, & fructueuse. Pour le regard de la fin les deux plus nobles parties de l'œconomie a scauoir le traffic, & l'agriculture en dependent, la conionction des mers, & la reparation des riuieres ne reuenant a autre fin, qu'a l'aduancemẽt du traffic, en facilitant le commerce. Mais le desseichement des palus qui doute, qu'il ne tende a l'agriculture, quãd de terres inutiles on en faict de beaux champs labous rables, ou prairies de grand rapport? Donc de toute ancienneté on a eu soin d'escõduire les palus, qui rendent beaucoup de mauuaises vapeurs, & infectent l'air. Car deuant la guerre de Troye, la campagne nommee Stymphalus en l'Arcadie estoit toute couuerte d'vn marais, & rendoit tout le pays circonuoisin inha-

inhabitable, pour la puanteur de l'eau croupissante, & les vapeurs, ce qui causoit beaucoup de maladies. En fin on fut contraint, en percant vne montaigne, d'esconduire toute ceste eau, & la destourner dans des riuieres. Et d'autant que cet exploit estoit admirable, & surpassant les forces humaines, on l'a attribuë a Hercules. De mesme firent les habitans de Camarina en Sicile, qui estãs molestez des vapeurs de leur lac, n'eurent autre remede que de l'esconduire. D'vn coste il leur succeda bien. Car ils rendirent leur ville saine. D'autre part mal leur en prit, ayant exposé leur ville a l'inuasion de leurs ennemis, laquelle auparauant estoit fortifiee par ceste palus. Mais vne des plus spatieuses palus, est celle, qui est entre Terracine & Sarmoneta sur le chemin de Rome a Naples, les anciens Romains considerant non seulement le bien, qu'on feroit, si on purgeoit l'air de certe contree, des mauuaises vapeurs, que rendoit ceste palus, ains le profit qui en pourroit reuenir, si dessechant ces marais, on rendoit labourable certe plaine, le Senat donna commission au Consul Cetegus d'esconduire ceste palus, ce qui fut faict, & toute cette pleine auparauant couuerte d'eau, fust faicte vn pays labourable, & rendoit beaucoup de profit a la Republique, tandis qu'on eust le soin d'entretenir les tranchees, par lesquelles on esconduisoit l'eau. Mais les tranchees par negligence, estans comblees de boue, la palus se remist en son ancienne possession, & derechef

toute la plaine fut conuerte d'eau, & le labourage perdu. Ce qui contraignit le Senat de bailler la charge a Iules Cæsar, de repurger les marais, ce que sans doute eust este executé, n'eust este les meurtriers qui le preuindrent. Ainsi vn si grand pays, qui pouuoit estre si fructueux a la Republique, s'il eust este entretenu & contregarde, demeura inutile, iusques au temps de Theodoric Roy des Ostrogotz, qui repurgea toute la contree, trancha de nouuelles fosses, comme tesmoigne la belle inscription, qui est encores pour le iourd'huy dans la ville de Terracine. Mais depuis, la negligence a remis les eaux en possession, & auiourd'huy tout ce quartier est presque inutil, n'estant autre chose que bourbier & marais; I'ay fort insiste sur le discours de ce marais, d'autant que ce peut estre le plus notable de l'Europe. Car comme Pline le tesmoigne, il occupoit la place de vingtquatre villes. Ceste palus estoit anciennemẽt nommee *Pomptina palus*, c'est a dire *Pometina palus*, a cause de la ville Pometia, situee pres d'icelle, elle prouient de deux riuieres Vfens, & Ausidus, comme celle de Bourdeaux, est aussi engendree de deux autres. Mais que dirons nous du pays de Hollande, qui n'estoit du temps des Romains vne palus? Aussi n'y a t'il pays au monde, qui soit plus tranche, & fossoie qu'est la Hollande, qui croiroit sans la voir, que par force de bras, on ait peu essuyer vn si grãd pays? de mesmes peut on dire de toute la contree de Rauenne, qui est vne autre Hollande en Italie, ou on

ou on void de semblables tranchees & esconduits d' eaux. Le mesme est a considerer, a l' entour de la ville de Pisa, qui tousiours a este vne demeure insalubre, a cause des marais, lesquels auiourd huy pour la plus part, le grand Duc de Toscane a esconduits, moiennant certains Hollandois, qui y ont apporte l' industrie de leur pays. Il y a bien autre affaire a l' entour de Narbonne, qui est toute assiegee de marais, causez par le desgorgement de la riuiere d' Aude. Pour vuider ces eaux il n' est besoin de rapporter icy les moyens, desquels auiourd' huy on se sert, cela estant assez notoire. Il suffit d' aduertir le lecteur, que les Anciens auoient beaucoup de sortes de machines, pour espuiser & vuider les eaux, lesquelles on peut voir, dans le dixiesme liure de Vitruue, sans qu' il soit besoin que ie m' amuse a les rapporter. Quant a la reparation des riuieres, c' est pitie que la France ayant vn si grand nombre de grosses riuieres, la plus part n' est point nauigeable, la ou en la Lombardie, on voit le Nauiglio, petite riuiere, porter des barques, aussi grosses que pourroit porter le Po, lesquelles couurent toute la riuiere, les Lombards ayans rendu ceste riuiere, & autres nauigeables par industrie, auiourd' huy le Tybre ne porte gueres au dessus de Rome, anciennement il portoit plus de deux iournees, en quoy nous voyons les anciens Romains auoir employe plus de soin a l' entretenement des riuieres, qu' on ne faict auiourd' huy, aussi en donnoient ils la charge aux Censeurs, & aux

Consulz. L'an mil cinq cens soixante & douze, le Conseil priue du Roy, deputa des hommes experts, pour visiter toutes les riuieres du Royaume, & voir celles qui pouuoient porter bateaux : dont ces hommes retournez de cette commission, declarerent au Conseil, beaucoup de riuieres nauigeables, qui auroient este touſiours inutiles. C'est pourquoy par Arrest du priue Conseil, il fut ordonné que les escluses de moulins seroient ouuertes, & tous autres empeschemens ostez. Quand ce vint a l'execution, la iournee de la Sainct Barthelemi, rompit le col a toutes ces entrepriſes, & ainsi les riuieres demeurerent inutiles, comme auparauant; iusques a auiourd'huy, il n'y a point de riuiere si malfaisante, & si domageable a ses voisins, qu'est la Durance, changeant de lit presque toutes les annees, & ce a faute de la tenir en deuoir, par digues & cauſſees, qui la rendroient nauigeable, d'autant qu'elle a beaucoup d'eau. Telle qu'elle est, si sert-elle pourtant au pays, depuis vingt-ans en ca les Prouencaulx ayans tire des bras d'eau d'icelle riuiere, pour abreuuer le pays sec & sterile, & y bastir des moulins, comme on peut voir aupres d'Arles & a Martegues. Il n'y a rien si difficile que l'industrie humaine, ne facilite: Parquoy la negligence n'a point d'excuse, quand la chose est faisable. C'est tout ce que nous auons, touchant ceste matiere, en attendans que nous en pouuions fournir dauantage, par la lecture des anciens liures, & recherche des vieux monumens.

DIS-

DISCOVRS

Sur quelques particularitez de la Milice Romaine,

A MONSIEVR DE THOV.

POVR resolution des demandes que nous ont este enuoyees, il faut scauoir que *Hastati, Principes, Triarii* ne se peuuent appeller qu' a l' heure qu' ils sont rengez en bataille. La retraicte faicte, ils perdoient ce nom. Tellement que *hæc sunt nomina τακτικὰ, hoc est instruendæ aciei, non autem ordinum.* Les anciens chefs de l' armee Romaine distribuoient leurs forces en bataillons, qu' ils appelloient *acies*, en nombre de trois ou quatre, selon les occurrences. Cæsar iamais n' en fist plus de trois combatant contre les Gaulois. Chacune de ces *acies*, ou bataillons, estoient composez de trois membres, ou gros, cõme vous les voudrez appeller. Quãd le ieune Romain venant a 17. ans, ou vn peu apres auoir laisse sa robe bordee, nommee *prætexta*, se faisoit enroller, il estoit receu aux cõpagnies, ou centuries *tironum*, & de ces imberbes on dressoit le premier gros, qu' on appelloit *Hastati.* Ceux cy apres auoir passe 25. ans enuiron, n' estoient plus appellez *Tyrones*, ains *Iuniores*, & lors qu' il estoit question d' estre rẽgez en bataille, ils estoiens mis au second gros, apres les *Tyrones*, ou imberbes, du rãg desquels ils auoiẽt

eſte, pendant qu'ils eſtoient moindre d'age. De rechef ayant paſſé trente-cinq ans, iuſques à quarante-cinq, ils ſe nommoient *Seniores, Veteres*. De ceux-cy on compoſoit les *Triarii*. Ainſi le general de l'armee Romaine, voulant combattre l'ennemy ſelon qu'il en eſtoit beſoin, & qu'il pouuoit iuger à l'œil, il dreſſoit trois ou quatre bataillons, comme en telles occurrences on prend aduis ſur le champ. On ſcait que la Legion Romaine, eſtoit compoſee de dix regimens de pied, nommez *Cohortes*, leurs maiſtres de Camp eſtoient *Tribuni militum*. La premiere cohorte, eſtoit infailliblement de mil hommes, à cauſe dequoy elle eſtoit nommee *cohors milliaria*. Car elle auoit dix compagnies de gens de pied, ou dix enſeignes, nommees *centuria*. Ce regiment eſtoit le plus honorable, portant l'Aigle de la Legion, & eſtant compoſé de ces *Veterani* ſoldats experimentez; De ceux-cy on dreſſoit le gros des Triaires. Les autres venoient en rang de *Haſtati, aut Antepilani*, ſelon le temps qu'ils auoient demeuré en la legion Romaine, comme ainſi ſoit, que *pro numero ſtipendiorum Iuniores, aut Tirones vocabantur*: Voylà quant au chois des hommes, deſquels on compoſoit le gros des bataillons, chaque bataillon ayant, cõme nous auons dit, trois gros, ou membres, comme vn doigt de la main à trois nœuds.

La facon de dreſſer les bataillons, eſquadrõs, gros, ou autres membres, comme on les voudra appeller: car il n'importe, eſtoit toute vne, tant

parmi

parmi les Romains que parmi les Grecs, ne faisans ny longues hayes, & filees, comme parcideuant faisoient les nostres en la caualerie; ny esquadrons ou phalanges serrees, comme nous commencons a faire, & faisoient encores nos anciens Gaulois. La figure doncques en laquelle on dressoit vn bataillon, estoit parallelogrâme rectangle, les rengs distans l' vn de l' autre, de competent interualle pour receuoir les fatiguez. Qu' elle fust rectangle le plus souuent, la facon de parler Grecque le demonstre assez, outre ce qu' on en peut recueillir par Polybe, Auteur tres-excellent.

A . . . . . B
C . . . . . D
E . . . . . F

G . . . . . H
I . . . . . K
L . . . . . M

Soit donques vn gros ou bataillon ACE, BDF. Quand les regs sont cõsiderez κατὰ πλάτος ACE, BDF, cela s' appelle ζυγός. Quand il est, considere κατὰ μῆκος AB, CD, EF, cela s' appelle στίχος; aut στίχοι. Or ny στίχος ne se diroit point, si le gros n' estoit de rengs proportionnez, comme sont les arbres a la ligne, ni ζυγὸς ne se diroit si la largent n' estoit perpendiculaire a la longueur στίχος c' est vne ligne droicte. ζυγὸς c' est *normalis linea rectos angulos ad*

aliam faciens. comme E C A *recta, normalis & perpendicularis est ad rectum* A B. En Francois nous dirons que le reng pris en largeur, faisoit potence au reng pris de front. Aussi en Latin *iugum est transuersarium tignum tigno, cui iungitur ad normam impositum.* Combien qu' en terme militaire les Romains n' ont iamais vse de ce mot *iugum*, comme les Grecs de ζυγὸς. Puis donques que le gros ou bataillon, s' il vouloit garder la mesme figure, (car quelques fois il la changeoit, & les termes en Grecs y sont expres) il estoit contraint de tourner la teste vers l' ennemy, tantost selon la largeur A C E, tantost selon la longueur A B, il y auoit aussi termes exprimans ces changemens. Car marcher selon A B, c' est στιχεῖν. Marcher selõ A C E, c' est ζυγεῖν. Cela mõstre le rectangle demeurer entier mesmes, quand il marchoit. Aussi le soldat A, qui estoit a la teste de l' ennemy; s' appelloit πρόσταις au respect de B, qui estoit derriere luy, qui s, appelloit ὄπισθεν. D' autre part le reng A B, s' appelloit πρωτοστάται au respect du reng suiuant. Car ils s' appelloient δευτεροστάται Pose donques que κατὰ πλάτος, aut κατὰ ζυγὸν ils estoient πρόσταται, ὄπισθεν, κατὰ μῆκος autem, καὶ κατὰ στίχον ils estoient πρωτοστάται, δευτεροστάται, on peut conclure, que les rengs estoient paralleles, & les hommes & la figure rectangle. Qu' ils changeassent quelques-fois le rectangle en rhombe, & autre figure, & nous le scauons, & les termes y sont expres. Mais nous parlons du plus cõmun.

Ces rengs doncques, ou στίχοι, estoient laxés,

& competens a receuoir les fatigues, comme cy dessus nous auons dit, ce qui est expressement marque par Polybe. Tellement que les trauaillez, a scauoir le reng AB, se retirans couloient par le *iugum, aut ζυγὸν* ACE, au detriere de EF, comme Tite Liue le monstre au doigt, & mieux Polybe. Mais ie n'ay icy les liures. Non seulement les rengs de chasque gros estoient laxes: mais aussi l'interualle d'entre gros & gros estoit plus spatieux pour receuoir tout vn gros fatigue.

Soit donques le parallelogramme ACE, BDF, le gros des *Hastati*. Pressez ou chargez de l'ennemy, ils se veulent retirer, & faire place au gros GM qui est frais, n'ayant encores combatu: de deux choses l'vne, ou ils n'on peuuēt plꝰ, estans a rēdre les abois, ou ils ne sont si mal menez qu'ils ne puissent faire teste, estās raffraichis de secours. Au premier poinct ils se tournoient tous d'vne piece (il y a terme en Grec de cecy) sans se rompre par le ζυγὸς GIL: & se rendoient derriere LM, tout GM cependant s'auancant vers l'ennemy & empietāt la place delaissee par AF. Ainsi tout ledict parallelogramme AF se trouuoit place en la place de GM, entre les *Antepilani*, & *Triarii*. Quant a l'autre cas, les *Antepilani* faisoiēt largue entre leurs rengs, dedās lesquels ils receuoient les *hastati* trauaillez. Et ainsi ils cōbattoient *Vno agmine facto*, cōme dit Tite Liue, si bien m'en souuient. Et c'estoit *recipere in mediā aciem*. comme au contraire les *antepilani* venans a succeder aux *hastati, dicebātur venire*

in primam aciem. Les *hastati* se retirans aux Triaires, *dicebantur venire in postremam aciem. Prima, media, secunda acies, est prima pars, secunda, tertia, aciei. vt apud Iurisc. Prator in primo Edicto, secundo Edicto, hoc est in prima parte Edicti, secunda parte.* Voyla quant aux demandes, le plus sommairement qu' il nous a este possible. Car la chose meritoit estre deduicte plus au long, & illustree des passages des Anciens: ce que nous eussions faict, si nous eussions eu nos liures.

**
*

EXTRAIT

EXTRAIT D' VNE LETRE AV SIEVR VAZET.

ON trouue des pierres comme Agathes, Iaspes, Calcedoines, & autres grauees de figures, & characteres bizarres, lesquelles ont este taillees par les Payens superstitieux, gar obseruation d' heure, temps, constellation, configuration celeste. Et croit-on, comme encores font les Arabes & les fols Genethliaques, que telles pierres, auec telle obseruation entaillees, ont merueilleux effect contre les morsures des serpés, piqueures des scorpions, & blesseures de l' ennemy. Brief ils croyoient ce que le Pseaume XCI. 5. 6. 7. attribue au Souuerain contre tels accidens, cela auenir de la vertu de l' entailleure, faicte par obseruation celeste. Comme par exemple, Hali Aben Rodan guerit vn homme pique d' vn Scorpion, par la figure du Scorpion emprainte en vn grain d' encens, & pour ces fins portoit il en la pierre de son anneau, vn Scorpion engraue auec les solennitez y requises, qui est comme i' ay dit, apres auoir obserue l' ascendant de Scorpion, ou, comme les autres veulent, le milieu du Ciel. Ie lisois dernierement vn fort bel Auteur Arabe, qui n' a point de nom, qui escrit de la Cosmographie, auec vn stile fort gentil. Venant au tiers climat, il parle

ainsi d'vne certaine region nommee Hamptz. La ville de Hamptz, en la terre de Hamptz, est faicte par vne obseruation Talismanique: car en icelle il n'entre iamais serpent, ny Scorpion, & quand on y en auroit aporte iusq'a la porte, il meurt soudainement. & au haut clocher, qui est au milieu d'icelle, il y a vne effigie d'airain d'vn hõme a cheual, qui se tourne a tous vẽts. Or en la muraille dudict clocher, il y a vne figure de Scorpio, engrauee en vne pierre, & quand vn homme pique de Scorpion, ou mors de Serpent, entre au lieu, il imprime l'argille ou croye, qu'il a apporte auec soy en ladicte figure, laquelle incontinant auoir applique sur la playe, il guerit, & est garanti de la mort. Telles obseruations & tout ce qui se faict moiennant icelles, les Arabes les appellent Talisman. Desquelles si nous voulions rapporter icy tout ce qu'en ont dit Ptolemee, Porphyre & les fols Arabes, nous n'aurions iamais faict. Qui en voudra scauoir dauantage, lise Io. Baptista Porta; & nous en pourrions dire encores des choses plus rares, & plus exquises. Ce sera pour vne autre fois. Venons au laspe, ou il y a d'vn coste vn corps arme a la Romaine, auec la teste d'vn coq (combien que la creste soit bizatre) au lieu des iambes, des serpens basiliskques: en la main dextre vn fouet: en l'autre vne targe auec quelques caracteres, au desouz des caracteres Grecs, continuez en l'autre reuers. Ie dy que c'est vn Talisman pour lequel grauer, on a obserue les ceremonies cy dessus mentionnes, Item que

c'est

c'est œuure ancien Iudaique, lequel ils appellent טגן דוד *Maghen Dauid, Bouclier de Dauid.* Ausi la pierre est taillee en bouclier, & outre cela il y a vn bouclier en la senestre du corps bizarre. Les Iuifs donques, font vne infinite de tels Talismans, lesquels tous d'vn nom ils nomment *Bouclier de Dauid.* Mais cestuy-cy est composé de Talisman Arabic & Bouclier Iudaic. Car pour le respect de Talisman, il a la figure du corps bizarre. Et pour le regard du bouclier, il a les lettres & notes du bouclier de la main senestre. Or ie mettray en petites lettres Grecques, comme il est graue en la pierre, en lettres maiuscules αβρα. σαρη. αριρη. ωιθαβ. λαν. αθα. να. λβα. Voyla comme il est graue, ny plus ny moins. Ce que i'ay voulu mettre en petit caracteres vsuels, d'autant que peut estre on se pourroit tromper es autres, prenant vne lettre pour autre, comme ABPACA. on pourroit penserque C, est Latin: la ou c'est vn sigma Grec a l'antique. Or ces paroles ainsi exprimees en lettres Grecques, sont Hebraiques bigarrees quelque peu de langue Talmudique de Tiberiade. Et voicy comment vn Iuif les recognoistroit biẽ, ויטבלן אתא נאלבא ברח שרי אריריי *Abrach sari arirai Vuaicab lan atha na leba.* c'est a dire *Mets en fuite mes maudits o Seigneur, & ie te prie que mon cœur soit ioyeux.* Par les maudits, il entend les serpens, faisant allusion a ce qui en est dit au Genese III. 14. Car le serpent est appelle ארוך *Arour*, c'est a dire, *maudit*, de mesme mot qu'icy. Il

faut obſeruer qu'outre ce qu'il eſt dit Talmudiquement Arir, pour Arour, a ſcauoir *Iod* au lieu de *Vau*, les deux *Iod*, qui ſont a la fin du mot denotent l'affixe poſſeſſif pluriel. Car en gardant les poincts, il n'en failloit qu'vn Ariri, & ceux qui ſont verſez es liures anciens des Docteurs Iuifs, ſcauẽt ce que ie veux dire. Donques par les ſerpens il entend toute ſorte d'ennemy. Auſſi a il le fouet en main, pour les mettre en fuite, & le cuiracin Romain pour les cõbatree, & la targe a l'autre main pour les coniuret par les lettres caballiques y engrauees. Et la teſte du coq eſt ſigne de ioye, ceſt oyſeau eſtant touſiours vioge, alaigre, & de ſante, eſtant dedie a Æſculapius. Or les lettres de la targe ſont λλλ. ν. ν. ι. δ. ω ω ω ω. ou, ω, eſt pris pour *Vau* Hebrieu, comme nous voyons cy deſſus. Et les autres letres ſe doyuent rapporter a leur ordre: comme λ, a *Lamed*; ν, a *Heth*; ι, a *Iod*; δ, a *Daleth*. comme vous voyez que nous l'auons mis, leſquelles lettres chacune porte ſa ſignification. Et de dire que c'eſt, il n'y a que celuy qui les a faict grauer, qui l'ait ſceu, comme il eſt cuidant. Car on luy peut bailler mille interpretations. Et le ſcauoir ou ignorer, importe peu. encores ne ſcauons nous ſi cela eſt *Notarikon* qu'ils appellent, c'eſt a dire emportãt vn nom, qui ait le nombre de ces caracteres, leſquels tous enſemble valent 144. comme en l'Apocalypſe ΛΑΤΕΙΝΟΣ emporte le nombre de *666*. qui eſt le nom de l'Antechriſt. Or quand les Payens vouloient faire quelques coniurations

ou Ta-

ou Taliſmans, ou ſemblables choſes, nous ſcauons par les Poetes Latins, qu' ils auoient recour aux Iuifs, qui leur ordonnoient tels fatras, comme les Medecins ordonnent leurs Medecines. Meſmes quelquefois il s' en trouue en Epiphanius, que les Heretiques Chreſtiens ont pris & vſurpé pour tromper les foibles. Mais ie croy qu' il ſe trouuera peu qui ſcachent deuiner comment il les faut lire en Epiphanius. Et d' autant que les Payens ne ſcauoient lire en Hebrieu, on lenr a mis en caracteres Grecs a eux vſitez & cognus. Nous auons vne milliace de tels ſorcelages, dans les liures CabalIiques des Iuifs. Voyla ce qu' il me ſemble, touchant la ſculpture de ce Iaſpe. Que les doctes en iugent. A Preuilli le 1111. Iuin CIↃ.IↃ.XCII.

EXTRAICT D' VNE LETRE
Au ſieur de la Vau, du douzieſme Iuilliet ſuiuant.

Leſieur Vazet m' a remercie, touchant le Taliſman: c' eſt la moindre choſe que ie voudrois faire pour luy. Mais ſcachez que regardant la pierre, ainſi que ie la rendois a Nintrai, ie me ſuis rauiſe de la parfaicte interpretation, *quod me fugerat*, combien que ce ſoit tout vn. Mais quis qu' Il honore mon interpretation, plus qu' elle ne merite, il eſt raiſon qu' il l' aie telle que la verite le requiert. Scachez donc qu' il faut diſtinguer les lettres Grecques ainſi: ABPA. CAP. H. APIPL. H. ΩIΘAB.

ΛΑΝ. ΑΘΑ. Λ. Β. Α. Il n'y a rien de change en Hebrieu א. ב. ל. נא. ותיטתלו אתת. חבוח שך. יי. אדירי. יי. Les letres singulieres א. ב. ל. veulent dire אתה ברוך לעלם comme vn Iuif vous le dira sans delay. Le ח est, comme vous scauez, vn double ἰῶτα. Et le nom de Dieu יהוה est escrit par יי double *Iod*. C'est le plus beau que i' auois laisse couler, & les letres א. ב. ל. que ie lisois pour vn mot entier. Vous qui estes demy Asclepia dorabbinos scauez *hoc esse ad verbum. Fuga, nceps Dei, maledictos Dei. Et benefac nobis tu, obsecro te; In æternum tu benedictus.* C'est sans nul doute la vraye interpretation de ce *Maghen, Dauid*, ou selon les Arabes, de ce Talisman שך, c'est l' Ange au nom duquel ce Iuif ἐξορκιστὴς auoit faict ce מגן : Car ainsi s' appellent les Anges, attribuez a la garde des hommes, ou des nations dans Daniel. Et ainsi les appellent auiourd' huy & de toute anciennete les Iuifs. Gardes bien donques cette interpretation, & accoustrez le discours au mieux que scaurez pour le donner a entendre au sieur Vaetz. Aduisez que toutes les letres sont exprimees en Grec, sauf ח, in verbo היטוב, & non sans cause. Car les Grecs n' ont letre pour cela, ains *spiritum densum*. En la targe de la figure H. H. H. c'est sans doute יי. יי. יי.

le nom ineffable, comme auez desia veu.

EXTRAIT

EXTRAIT D'VNE AVTRE *lettre Audit Sieur de la Vau: du vingt-septiesme Iuilliet suiuant.*

VOvs vous pouuez asseurer que i'ay tresbien deuine le Talisman du sieur Vazet, d'autant que i'en ay trouue la confirmation dans vn autre Talisman, du quel le fils de Monsieur Tarquet m'a donne le pourtraict. La figure est telle que celle du sieur Vazet: mais l'escriture autre toutesfois tendant a mesme fin. elle est telle. ΑΒΡΑ. CΑΜ. ΙΑΩ. Λ. Κ. Λ. Ω. C. Θ. combien que les letres singulieres se peuuent interpreter diuersement: toutes-fois il les faut accommoder au sens des trois premiers mots, qui sõt entiers, sans aucune ambiguite soit dõc telle la suite & teneur de la sentence: טובתינו יהוה לי הצים סלם ליהצינו ושונאי הברתשם. *Fuga nomen Dei afflictores omnes affligentes nos, & osores boni nostri,* Id est, *inuidentes vtilitati nostræ.* Ie ne me peine pas beaucoup des letres singulieres. Car c'est folie: mais vous voyez que *ιάω*, est le nõ de יהוה, & ainsi le trouuerez dans les vers d'Orphee, citez par Eusebe, & autres anciens, comme scauent ceux qui ont leu les auteurs Grecs. Tant y a que *ιαω*, icy c'est H, dãs le Talisman dudict sieur Vazet, a scauoir יי, *duplex Iod.* La le faict s'addresse a vn Ange, & icy au nom de Dieu mesmes. Et que direz vous donques de si belle rencontre?

Letre a Pierre Antoine de Rascas, Sieur de Bagarris, maistre des Cabinets, des Antiques du Roy.

MONSIEVR Vous m'auez tant charge d'obligation pour vne fois, que ie n'ay moyen de vous remercier, ny comme ie le desire, ny comme vous le merite premierement pour m'auoir estime digne de vostre amitie, & puis pour le beau present qu'il vous a pleu me faire des empraintes des exquises Medailles que vous m'auez enuoyees, que ie tiens trescheres pour leur beaute, rarite, & bonte, mais plus pour le lieu dont elles viennent. Si ie me trouue donc empesche a vous remercier, ie ne le suis pas moins a vous reciter le contentement que i'ay receu a les visiter, & principallement a vous respondre sur tous les points & propositions desduictes en vostre inuentaire. Il est impossible non pas a moy, mais a vn plus exerce en ces recherches de rendre raison de tout, d'autant que les dessein de telles deuises tendent a diuers buts; les vnes sont Emblematiques, comme l'Ancre auec le Dauphin d'Auguste, les autres historiques, comme le Capricorne du mesme Prince. Les autres Magicques, comme nous en voyons plusieurs es Pierres, comme sont la pluspart des Chimeres, & entre autres celle qui a la teste d'vn coq, le corselet d'vn soldat Romain, au lieu des iambes,

bes, deux serpens, vn fouet a la main, auec lettres Grecques. Telles ont este faictes par les Diaboliques Heretiques Valentiniens, & la chimere & bizarrerie de leur deuise, depend de leurs ridicules positions, desquelles Sainct Irenee faict mention, & apres luy Tertullien & Epiphanius. A celle la sont semblables quelques autres que nous auons veu entaillees en esmeraudes assez grandes, & tous les douze signes du Zodiaque, auec quelque petit serpent, ou autres animaux. Telles deuises sont vrayement magiques, taillees auec l'obseruation de l'ascendant, signe, Planette, heure, & autres telles fantasticqueries, requises en telle curiosite, a quoy non seulement les anciens Payens ont este addonnez, qui appelloient ces deuises στοιχεῖα, mais aussi les Arabes, heritiers de la folle Astronomie des Grecs, s'en meslent, iusques a ne faire tailler vn anneau, sans l'obseruation de ces folies, & appellent cela TALISMAN. Or il en a, ou pour le moins y en peut auoir parmy celles que i'ay receu de vous, qui peuuēt estre plustost στοιχεῖα, que *Emblemata* & icelles sont malaisees a interpretation estant demeuree enseuelie dans la conception entendement de ceux qui les ont faict tailler. Quant aux historiques, elles sont aisees a deuiner par quelque marque qu'on y void, & recognoit par la lecture des bons Auteurs. Comme est la tant belle, tant naifuement representee & cottee la premiere, au nombre des vostres.

Ou Silenus soustient son nourrisson Bacchus encore petit enfant, l'empoignant de la main dextre, en la hanche droicte, & de l'autre main il le tient par la greue de la iambe gauche, & l'enfant s'appuye sur vn Satyre, posant son bras droit sur l'espaule d'iceluy, & le Satyre lui pose sa main droicte sur la mamelle, plus bas vn petit Satyrisque, porte sur son espaule la greue de l'enfant, lequel est grasselet & potelu, tel comme toutes les anciennes Medailles, marbres, & statues representẽt; Bacchus couronne d'vn chapeau de pampre, le visage plein, ne manquãt en rien a ce qui touche les marques de Bacchus. Que Silenus soit accõpagne de Satyres grãds & petits, il appert par Euripide en sa Tragœdie Satyrique intitulee *Cyclops*; que la ou Silenus est il y aye vne bouteille, il apert par les anciẽs Poetes, & mesmes par vn epigramme Grec, & puis c'est vn des harnois de Bacchus, derriere ce grãd Satyre, il y a vne des nourrices de Bacchus cueillant vn fruict, gros cõme vne põme d'vn arbre, qui m'est incogneu. Car il n'est pommier la fueille

elle y repugnant, il n' est figuier la grosseur du fruit monstrant le contraire. Or toute ceste representation n' est autre chose que les tableaux que les *Thymelici*, *Histriones*, *Comœdi*, *Tragœdi* posoient sur le Theatre, d' autãt que toute celle maniere de gens se nommoient τεχνῖται Διονύσου, *Artifices Liberi Patris*, & par ce leur *Thymele & scena* estoit ornee de telles histoires cõcernantes Bacch⁹ & ses dependãces, & tousiours a chaque ieu, ou act õ scenique, il y auoit *ara Liberi Patris* de laquelle il faut entendre le lieu de l' Andrie, de Terence, *fume verbenas ex hac ara* a ceste intention, vous voyez en cette belle graueure vne ὀρχηστὴν *vel Saltatricula Thymelice* auec son *Cymbalum* en forme de plat creux, qu' elle touche auec les doigts, qu' on appelloit κρότιζειν. Telles femmes sont appellees *Thymelicæ*, & la pluspart sautoient toutes nues deuant le mõde: vne autre sorte *Thymelicarum mulierũ* est la *Tibicina*, qui monstre sa teste, cõme naissant du derriere de la teste de Silenus, tenant deux flutes en ses mains. Bas le masque ou faux visage des *Comœdi* ou *Tragœdi*, & le bouc qu' on donnoit aux Tragœdes, qui auoient gaigne le prix. Tout cela est du gibier du Theatre & des *artifices Liberi Patris & eorum, qui ad Thymelen, aut scenam spectant.* Tellement qu' il ne faut nullement douter, que ce ne soit la representation des tableaux de Bacchus, qu' on posoit sur le Theatre, les compagnõs duquel & officiers, menestriers, sauteurs, & basteleurs luy estoient dediez. C' est vne viue & parfaicte graueure, n' estoit qu' il s' y trouue

vn grand defaut, duquel ie m' estonne fort, & c' est que de tout le Silenus, il ne paroist que la teste, ny restant aucune representation de tout le reste sauf la iambe dextre, entre les deux iambes du grand Satyre, sans aucune apparance d' ou elle mouue, & si n' a il nulle trace de l' autre iambe, ny de tout le reste du corps, qui est vn grand deffaut a vn tel chef d' œuure, en outre la teste du petit Satyre, ne paroist nullement qui deuoit naistre de l' autre costee de la iambe de l' enfant, monstrant pour le moins ses deux cornichons: Ie ne puis aussi deuiner, qu' est-ce qui est entre l' aissele de la flustereſſe, & l' espaule de Silenus, comme vne guirlande, ou atour de quelques choses rondes. Voyla ce qu' il me semble, touchant certe excellẽte pierre. Quand a la IV. de deux choses l' vne, ou l' Empereur assis est Theodose le Grand, & la teste de Fl. Maximus; ou, i' accorderois l' autre plus volõtiers, Constantius fils de Constantin le Grand, & la teste de Gallus: car la graueure est moderne, & sentant son temps au dessous de Diocletian. La cinquiesme a l' aube de lin plissee, sans doute c' est vne Ægyptienne, si c' est Isis ou vne autre, il y faut penser. La seconde est merueilleuse, & fourniſſant de quoy resuer autant qu' autre; ie ne doute point que la femme ne soit vne *saltatrix*, posant le genouil sur l'Autel de Bacchus; duquel nous auons parle cy dessus, & le *Herma Ithypallus* est vn de ceux qui estoient poſez aux Theatres, qu' on appelloit *hermulas* L' homme qui boit a la bouteille, est barbu & n' a rien de

Bacchus,

Bacchus, le vaisseau sur lequel il est vn char ou *currus Circensis* n'y manquât que les deux roues, ainsi vous auez en ceste graueure se char Circense, qui appartient aux ieux des courses des cheuaux, & le reste *pertinet ad Thymelen*, on ne s'esbahira de la posture de cette femme, quiconque lira les Epigrammes Grecs, περὶ βακχευομένων au sixiesme liure, & περὶ ὀρχηστίδων au quatriesme. Car tes Saltatrices estoient folles, n'y plus moins que les Bacchantes; vous auez aussi la flustereresse, qui est vn des mestiers Thymeliques. Ie dis là petite image de la flustereresse, que la femme tient en ses mains, semblable a celle du derriere de la teste de Silenus. La troisiesme est vne *Fama*, sans doute. La dix huictiesme est bien plus exquise que la i v. d'autant que ie la iuge plus ancienne de deux cens ans, & ne puis aduiser ce qu'on presente dans le plat, i'estimerois estre quelque present en signe de Tribut, ou submission. La vi i. du premier abort nous l'auons iugee comme elle est, la teste de Marcellus fils d'Octauia. Comme la x. on ne peut faillir a iuger que c'est Socrates. En la xii. le graueur deuoit faire la harpe plus courbe, presque comme vne faux *falcatum sustulit ensem. Ouidius.* La xvii. *Natura, Genius, Penates, Horatius de Genio. Naturæ Deus humanæ.* La xix. si la statue qui est a Rome *est palliata*, elle pourroit estre d'vn Chrestien; mais c'est a scauoir, & pose quelle soit d'vn Chrestien, s'ensuit-il qu'elle soit de Tertullien? Ce sont des coniectures fort friuoles, Tertullien estoit du temps

de Clemens Alexandrinus, ledit Clemens dit qu' il n' estoit permis aux Chrestiens de faire aucune semblance humaine. donc les Chrestiens ne portoient iamais en la pierre de l' anneau aucune effigie humaine, comme il dict: bien vne colombe, combien que nous scauons que Tertullien faict mention des goubelets, dãs lesquels estoient graueż le pasteur qui auoit berdu la brebis, & la brebis, dont il est faict mention en l' Euangile. Certes du temps de Tertullien les Chrestiens ne se faisoient ny peindre, ny grauer, ny tailler en bosse, le tesmoignage en est formel dans Clemens. La xxi. est vn Arabe voiturier, assis sur la salme, ou sommé de son Chameau que les Grecs appellent σάγμα. Cela pourroit bien estre rapporte à la conqueste de l' Arabie par Seuerus, dont il auroit esté appelle *Arabicus*. La xxiiii. Ie l' estime de plus bas siecle, & plus moderne que Eudoxia. La xxv. touchant les sacrifices que les femmes & les filles faisoient au membre viril, il faut voir S. Augustin en la cite de Dieu, *Festus* en la diction *Mutunus Titinus* & autres. La xxvii. est autre que celle qui est dans l' Onice: car celle de l' Onice, selon le discours que vous en faictes Payenne, mais certe-cy est Chrestienne, & la femme c' est l' Eglise, monstrant par le petit enfant, & la colombe, la regeneration au Baptesme, les estoiles sur son chef sont prises de l' Apocalypse. Ie la iuge du temps de Theodose, ou plus bas, que les Chrestiens commencoient à peindre des images es parois des Eglises, grauer

des

des effigies humaines aux anneux, les traicts de la taille monstrent qu'elle est du declinant Empire, que ie prens apres Constantin, nous auons faict vn fort long discours de cecy & autres dependences au Seigneur Marquardus Freher, Conseiller de l'Electeur Palatin, touchant son grand numisme qu'il auoit interprete autrement que nous, apres auoir veu son expositiõ. pour vostre contentement & esclaircissement de cette XXVII. medaille, ie voudrois que vous eussiez mon discours, mais ie ne l'ay point garde non plus que toute autre chose venant de moy, si merite il d'estre veu des amateurs de l'Antiquite non seulement Payenne, mais Ecclesiastique. La XXXIIII. sans doute est de la ville ancienne de Chios. En la medaille d'Homere, la Sphinx tient vn autre vase, ou, plustost vne *Pyxis* d'vne autre facon auec les lettres XIΩN. en vne autre medaille la Sphinx porte vn raisin, & en l'autre coste de la medaille est ΛΑΜΠΡΟϹ XIOϹ, & au milieu de ces deux mots vn *Ligo*, ou houe a becher la terre que les Grecs appellent ἄμπ σκαπάνη, par laquelle il est signifie que cestuy Lampros estoit Athlete. Car chaque athlete portoit sa σκαπάνη, comme il apert par vne Eclogue de Theocrite, & d'ou les σκάμματα des Athletes estoient appellez, mais nul ne s'est aduise de ceste σκαπάνη. Tant y a que vous voyez par ces deux medailles, que la Sphinx estoit la deuise de la ville de Chios, il faut noter que la Sphinx de Thebes, & de tous les Grecs generallement auoit des aisles, la ou celle des Ægy-

ptiens n' en auoit point. Pour la xxxvi. nous auons parle de ces Chimeres cy dessus, & auons dit que la plusspart d' icelles sont Talisman c' est a dire faictes par l' obseruation de magie, ou de l' horoscope ascendant: nous en auons vne des fols Valentiniens auec les lettres Grecques, cõprenant certains mots par eux inuentez, ou tirez violentement de l' Hebraisme. Quand a la petite medaille d' argent de Saturne, si iamais il y eust Talisman, celuy la en est vn, voire des plus remarquables, la deuise a este cognee en iour de Saturne, en conionction de la Lune & du Soleil, *horoscopante Hydra, &c.* Vous auriez plus grand contentement, si vous lisiez ce que i' en ay leu es liures de Arabes, qui ont pris ces fantasticqueries des anciens Genethliaques Grecs. Touchant l' autre, v i. *Consulatu suo Augustus Ægypto potitus est, Antonio & Cleopatra interfectis.* Ie dict, Auguste se nomme Iulius Cæsar par adoption. *de Cingulo & Labieno*, Silius lib. 10. *celsis Labienum Cingula saxa miserũt muris.* Mais que fais ie, Monsieur, qui sur le champ sans auoir autrement regarde aux liures, pense expliquer tout ce que vous auez propose? cela merite bien plus curieuse recerche: ce que i' en ay faict, ca este que trouuant la commodite de vous escrire, i' ay mieux aime dire quelque chose a la volee, qu' en differant vous mettre en peine de ma responce. Au reste il y a en ce pays le sieur Abraham Gorlay qui a vn grand tresor de telles pieces, il a bien plus de quatre mille medailles d' or exquises, plus de dix mille

d' ar-

d'argent, & plus de quinze mille de cuiure, le tout d'eslite. Il a faict imprimer chez luy a ses despens vn gentil liuret des anneaux des anciens, en nombre de deux cens soixante ou enuiron, lesquels i'ay manie moymesme, ce liure ne sera exposé en vente & n'a esté imprime que pour en distribuer aux amis, &c. Il ne me reste plus rien, Monsieur, sinon de prier Dieu qu'il vous tienne en sa garde. De Leyden en Holland. Ce x i i. Ianuier c i ɔ. i ɔ. c i i i.

Il faut noter que la description de la grande pierre gravee, est quelque peu differente de l'original, a cause que l'emprainte qu'on auoit enuoyee au sieur de la Scala, n'estoit pas nette.

FINIS.